Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Christoph Oetinger

Theologia Ex Idea Vitæ Deducta : In Sex Locos Redacta : Quorum Quilibet I. Secundum Sensum Communem. II. Secundum Mysteria Scripturæ. III. Secundum Formulas Theticas : Nova Et Experimentali Methodo Pertractatur

Francofurti: Lipsiae: Apud Aug. Lebr. Stettin, 1765

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Pr. XXXII. 564 p. Ind.
52b. 12.
978
F.h – 3125.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1680625624/phys_0002
DFG

THEOLOGIA

EX

IDEA VITÆ

DEDUCTA

IN SEX LOCOS

REDACTA,

QUORUM QUILIBET

I. SECUNDUM SENSUM COMMUNEM,
II. SECUNDUM MYSTERIA SCRIPTURÆ,
III. SECUNDUM FORMULAS THETICAS,

NOVA ET EXPERIMENTALI
METHODO PERTRACTATUR.

AUCTORE

M. FRID. CHRIST. OETINGER,
SUPERINTEND. ET PASTORE PRIMARIO
ECCLESIÆ ET DIOECESEOS
HERRENBERGENSIS.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ,
APUD AUG. LEBR. STETTIN. 1765.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624/phys_0003
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1680625624/phys_0004
DFG

PRÆFATIO.

Rationes instituti in hoc Libro, benevole Lector, brevibus accipe: *Prima* est, Practica Theologiæ pertractatio, quantumcunque Thesis theoreticum sit objectum. Beatus Bülffingerus nostras, vir candore scribendi non minus quam consulendi perillustris, in sermone de præcipuis quibusdam discendi regulis in hunc scopum quæstionem Theologiæ Studiosis momentosissimam reliquit, dum p. 15. illos ita alloquitur. Dicite, non mihi, sed vobis: Pluresne Theses ab aliis propositas historice didicistis, an ipsi e sacris Dei paginis eruistis; saltem ante erutas & aliunde auditas ad easdem exploraſtis? Theoreticis magis occupamini an Practicis veritatibus? & practicis pro

notitia an cum applicatione? & applicatione ad dicendum an ad faciendum? quoad facta aliorum an propria? præsentia an futura? Præivi certe studiosis in hac via ad illustris viri nutum.

Altera est, titulorum in Theologia reductio ad pauciores. Nam multi tituli vel loci impediunt, quo minus uno possis obtutu Theologiæ ambitum percurrere, & in uno quodam connectere principio; Hinc nullum omisi quidem; sed multos illos ad cognatos revocando, sex præcipuos constitui tantum: nempe de Deo, de homine, de peccato, de gratia, de ecclesia, deque novissimis.

Tertia est, ut ideam vitæ æternæ, quæ in sacris paginis potissimum regnat, ponerem quoque in Theologia pro principali. Et hæc est idea VITÆ, de qua peculiarem Librum, meletema de sensu communi & ratione, edendum curavi. Sensit Petrus magis quam pro illo tempore intellexit, Dominum loqui & habere verba vitæ æternæ Joh. 6, 68. Et huic Petro Angelus Domini, ut cæteris Apostolis e carcere eductis, Dei nomine mandatum hoc dedit: ite & vos sistentes loquimini populo

in

in templo omnia verba vitæ hujus: Act. 5, 20. Agunt igitur verba vitæ, 1. de Deo, fonte vitæ 2. de homine, receptaculo spiraminis vitæ 3. de peccato ut abalienatione a vita Dei, 4. de gratia ut communicatione novæ vitæ 5. de ecclesia, ut societate, in qua operatur spiritus vitæ, 6. de novissimis ut sunt exitus & fines vitæ. Ex his patet ideam primariam Theologiæ esse vitam Dei creaturis per Christum communicabilem. Hanc ideam, quantum fieri potest, ex s. scriptura exquisivi, & ex operibus naturæ clariorem feci, ut tanto facilius ad Theologiam possit applicari. Possunt, quæ in medium protuli, facili opera in ordinem Geometricum redigi, sed ordo Geometricus multa ad conceptum vitæ utilia rescindit. Sacra scriptura adhibet methodum generationi rerum quam concinnitati conceptuum aptiorem. Ordo Geometricus incipit ab una aliqua idea abstracta, ordo generativus, ut in seminibus patet, incipit a toto idque per minima explicat æquabiliter; quod nos non nisi simulacris imperfectis imitari possumus. Interim sufficit, nos inde rationem

reddere posse ordinis a Spiritu sancto adhibiti, sufficit, si in sex Locis Theologicis idea Vitæ sese diffundat æquabiliter per totum, & per singulas partes, id quod in Locis a me pertractatis observari facile potest.

Quarta denique ratio est ipsa hujus methodi imitatio, quæ est 1) ut ab experientia interna seu sensu communi quivis ipse incipiat, gradum faciens a se ipso ad alia, nam sane regulam orthodoxiæ probandæ nemo meliorem dabit ipso Salvatore. Sic ait ille cap. 7, 17. Johannis: si quis voluerit voluntatem ejus, qui me misit, facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. 2) ut ex sacris paginis ipse, prout ego feci, colligat, quæ cuivis loco conveniunt. 3) tandem, ut formulis theticis sese contra heterodoxos præmuniat, & ut typo doctrinæ publicæ cum sale & pace Marc. 9, 50. accedat. Hac ego certe methodo miratus sum, me tanta cum convictione Confessioni Augustanæ consonare.

Adeoque videt Lector, me hac ordinis ratione eo perveniisse, ut sine exter-

ternis ſtatus incitamentis ex animo credam, quod credo.

Conſulant igitur ſtudioſi primo ſenſum communem, cujus præceptor eſt ipſe Deus Pſ. 94, 10. deinceps puriſſimas ſacræ ſcripturæ lymphas bibant, tandem formulas Theologorum veritati ſcripturæ ſuperinducant & ſic, non alia ratione, Theſin ſuam, cum fructu ex radice, poſſidebunt. Hæc methodus eſt valde ſimplex, valde utilis, & conſcientiis ſalutaris. Et quicunque Theologiam ſolide vel diſcunt vel docent, illi non poſſunt non hac inceſſiſſe via. Hæc & non alia illuſtris Bülffingeri quæſtionibus occurrit. Sufficiat hoc pro rationibus inſtituti candide dixiſſe. Ne vero candori deſit aliquid, unum adhuc dicam. Philoſophia noſtro ſeculo vix carere poſſumus. Didici Leibnitianam ſub Præceptore Bülffingero. Illam non ſecus ac ipſam religionis typum ſeveriſſime coram Deo millenis exploravi viis. Tandem ex Logicis rationibus deſerere illam coactus ſum, ſaltem quoad Monades & materiam, quam ſane meram eſſe apparentiam inſtar iridis, perſuaderi nequeo. Geometria Wolffii rigorem propriæ Logi-

cæ non ſuſtinet, multo minus monadologia. Periculoſum eſt, illam adhibere ad Theologiam. Neutonianas notiones primas præ Leibnitianis adoptavi, quantumcunque dicant aſſeclæ Leibnitii, Neutonum haud fuiſſe Metaphyſicum. Hic ſane vir, pius & rectus, & in ratiociniis ultra humanitatem evectus, noluit altius volare per metaphyſicam quam aër Phyſicus permiſit. Ipſius Phyſica rationem valde humiliat. Metaphyſicam ille ſuam non aperuit, niſi pauciſſimis verbis. Cœlum & terram, vitam & materiam, potentias ſupra-mechanicas & atomos molis ab illis actuatas, niſi me omnia fallant, habuit Neutonus pro baſi notionum ultimarum. Hæc ſcripturæ ſ. ſunt conſona. Hæc adſcivi. Exploret me Lector vera cordis rectitudine, ſeveritatem examinis haud reformido. Ea mente, qua Paulus dicit: ſcientes timorem Domini, hominibus perſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Scripſi Herrenb. d. 1. Mart. 1765.

PRÆ-

PRÆLIMINARIA THEOLOGIÆ,

IN QUIBUS

GUSTUS MODERNUS ET ANTIQUUS CONFERUNTUR.

Quantum in adornanda Theologia, Scripturæ ſ. conformi, tribuendum ſit guſtui moderno, & quantum is per gravitatem antiquam moderandus ſit, ardua eſt & maxime prælimi-naris Theologiæ quæſtio. Omnino dandum eſt aliquid methodo noſtris temporibus uſitatæ, quoad illa quidem ad faciliorem & exploratiorem intelligentiam propoſitionum per demonſtrationem logicam tendit, pro quo Chriſtiano Wolfio gratias debemus. Sed pericula ſubnaſcuntur immaniora, quam quis crederet. Narratur ex transactionibus Suecicis Acad. ſcientiarum in literis publicis Hannovera d. 2. Febr. 1765. datis, accidiſſe, ut contagio pecorum exorto, Paſtor quidam, exemplis, mortem actu invehentibus, per demonſtrationes ſuas ſuperbe irriſis,

Guſtus Theologiæ modernus pericula minatur.

sis, temeritatem morte repentina lueret, in typum gustus moderni, qui omnia ex possibilitate mechanica metitur. * Haud fallar, si lapsum tertiæ partis doctorum *Apoc.* 12, 4. ad has rationes referam.

Inquiritur in rationes.

Est igitur operæ pretium, ut præliminaria Theologiæ scripturariæ expositurus distincte inquiram, cur gustus noster tantopere ab antiquo abludat, & cur nobis alea ludatur periculosa. Ex quo Leibnizius Metaphysicam

* Verba literarum publicarum ita se habent. De pecoribus, superiore æstate in confiniis Russiæ Eumeki interemtis, neque satis provide sepultis, quoddam cadaver ab urso evulsum est. Moritur ursus, moritur agricola, pellem urso detrahens. Jussu Wiburgensium exuviæ debuissent igne concremari: sed exuviæ traduntur coriario emundandæ. Moritur quoque coriarius cum suis. Pastor loci, nomine Gustrin, pellem dono accipiens, vendit eam. Re ad Imperatricem delata Pastor adigitur requirere exuvias: concremantur illæ una cum domo cerdonis. Pastor verò, priusquam id fieret, pellem corripit, ita apud se cogitando sermocinatus: quî possibile est, ut hæc causas funerum contineat? vellicat, crispat, conterit pellem. Exhalationes eum more ignis electrici penetrant. Moritur & hic, animum & animam exhalans.

cam per imitationem calculi Algebraici in novam refudit formam, leges motus reformando, vim activam corporibus tribuendo, vel primitivam vel derivativam, tribuendo vim quoque passivam vel primitivam vel derivativam, ex derivativa motum localem, Malebranco inexplicabilem, explanando, tum velocitatem, spatium, conatum, impetum ex infinitesimis definivit. Sic Metaphysica ex monadibus seu infinitis principiis, Physica ex dynamicis illustrata est. Theologi multi hoc schema demonstrationis instar idoli suspexerunt. Neutonus, Philosophus vere pius, sacras literas, teste Fontenellio, in æquali ac Matheſin pretio habens, hanc Metaphysicam cum Bernoullio contemsit, attractioni per rationem sufficientem inexplicabili insistens, & spatium absolutum quasi sensorium divinum in notiones fundamentales adsciscens. Castra Theologorum novorum hinc divisa. Watsius, Clarkius & apud nos D. Venzky Neutonum, Saxones & nostrates Leibnitium secuti. Sub his diversis cogitandi modis Philologia sacra refrixit, gustus Patrum, gustus s. scripturæ, gustus Philosophiæ sacræ defloruit. Potentissimus Rex Borussiæ in memoires

res de Brandenbourg Leibnitio & Thomasio hanc certe catastrophen tribuit. Hæc generatim: sed speciatim hoc tenendum. Theologus a Jesu Christo in veras notiones inductus ne apicem quidem Scripturæ sine ratione prostare statuit, & quamvis geneticas rationes nondum pervideat, persuasus tamen est, in futuro æone se rationes intime perspecturum, cur verba divina sic & non aliter posita, sic non aliter enunciata sint. Igitur ille Philosophiam sacram in eo constituit; ut primò in proximas inquirat rationes, cur verba divinitus præordinata sic & non aliter nobis speculi instar obversentur. Ut secundò autumet, nullo locutionis genere usam esse S. Scripturam, quin in consuetudine hominum inveniatur: igitur rationes supra sensum communem totius humanitatis assurgentes, non tanti habet, ac rationes planas & singulis e regione positas. Tertiò nova inventa non contemnit, sed ex Jesu Christi noëmate *Luc.* 12, 2. in pretio habet: non tamen supra communissima extollit. Quartò pro certo habet, rationes Scripturis insitas multo plus replere aviditatem intelligendi, quam omnium Philosophorum curtam supellectilem. Quintò adæquatam statuit

tuit ævo præsenti, quatenus in futurum desinit, intelligentiam Philosophiæ sacræ, & felicitatem inde, quantam in statu lapsus sperare licet, sufficientem pollicetur.

Hodie verò Academiæ se regulis his non satis attemperant. Primò multum quidem insudant Philologiæ sacræ; sed in rationes notionum fundamentalium, unde situs sacrorum verborum generatur, non inquirunt: hinc multitudinem observationum philologicarum non ad cacumina notionum prædominantium, vitæ, regni, gloriæ, animæ psychicæ & pnevmaticæ, reducentes, obruuntur altercationibus non necessariis. Secundò philosophemata ex penuria datorum evehunt supra sensum communem, quem s. Scriptura supponit & in Proverbiis delineat; Præoptant, si ad modum algebraicæ cujusdam formulæ sapiunt, quam si res, ut sunt, sapiunt. Tertiò ob novitèr detectas inventiones novos Papas in philosophia sibi creant, sectarie illis inhærendo, s. Scripturam in Metaphoras vertendo, si quibusdam gnomis magistrorum contradiceret. Quartò plus sperant ex præcoci inquisitione infinitesimorum, ac reipsa symbolis his inest: fugienda est curiositas, quæ nobis simpliciſſi-

pliciſſima & maxime neceſſaria obtenebrat. Quintò promittunt ſibi vanam ex doctrinis, ſpecie pulchris ſed non ſolidis, felicitatem, quæ nec ſanitati nec recreationi mentis nec neceſſitudinibus vitæ reſpondet.

En explicatiſſimas rationes, cur guſtus modernus ab antiquo tantopere abludat. S. Scriptura quinque virtutes ſupra dictas perfecte inſinuat, verba ſana, rationes omnibus planas, libertatem cogitandi veram, intelligentiam ſine ſectariſmo, felicitatem ſub cruce maximam propinat: ſed moderni hoc jugum non geſtant.

Vides, benevole lector, quibus ego quadraginta abhinc annis unice intentus fuerim meditandis, excolendis, repurgandis. Accedit, quod perilluſtris Baro de Zech, olim Conſiſtorii Præſes, mihi injunxerit, hoc Theologiæ compendium ſcribere: non igitur meo arbitratu, ſed juſſu ſuperiorum executus ſum mandata.

Auctor in ſua Theologia periculis guſtus moderni occurrit: ubi proprietatem verborum in notionibus funda-

Methodum hanc in præfatione jam expoſitam cur delegerim, quivis perſpiciet, cui rectum eſt ſinciput. Obviam procedere debemus periculis in Theologia: hoc verò inde maximum enaſcitur, quod notiones fundamentales vitæ, gloriæ, regni, pſyches, ſpiritus

ritus in metaphoras vertantur, & quod securitas inde oriatur detrimentosa. Hodie per ideas Wolfianas regeneratio ex spiritu & aqua describitur per immutationem repræsentationum, imaginationum & facultatum memoriæ & desiderii: sed hæc mutatio sine Spiritu Jesu Christi meram efficit polituram, qualis *Matth.* 12, 44. describitur. Verum est, mutationem repræsentationum & reliquarum facultatum ingredi necessariò in regenerationem: sed quod Deus per spiritum & aquam operatur, quia non tam explicabile est ac illud, exulat; & quia Theologi non satis ad notiones ultimas progrediuntur, improprie id sumi, sibi imponunt. Edidi in hanc causam librum, offentlich Denkmahl der Lehrtafel Antoniæ, einer Prinzessin von Würtemberg, quæ plus vidit quam illi metaphorici doctores. mentalibus tuetur.

Cur verò prægnantissimæ notiones fundamentales pro meris lusibus ingenii orientalis, ad metaphoras proni, habeantur, idealismus prædominans hodiernus est in causa. Depurationi idearum student Philosophi, & crassas imaginationes reputant omne id, quod intellectui sic dicto puro contrarium est. Quicquid igitur cum intellectu puro

puro, h. e. cum idolis philoſophicis, non conſonat, dicunt eſſe phantaſticum. Totam ſic civitatem Dei, ſic deſcenſum Chriſti ad inferos, ſic ſeptem Dei ſpiritus coram throno Dei, ſic ingreſſum dæmoniorum in porcos, ſic ipſos dæmone obſeſſos in metaphoras vertunt. Quò ruet tandem univerſa Theologia per Idealiſmum! Inducti hoc plures, quicquid huic contrariatur, Materialiſmum imò Manichæiſmum eſſe, falſo ſuſpicantur.

Metaphorica ſcripturam explicandi ratio ex Idealiſmo moderno & ex defectu notionum ultimarum oriunda.

Idealiſmus eſt repræſentatio corporum non vera ſed optica adeoque negatio ſubſtantiæ corporeæ realis.

Accipe radices ultimas Idealiſmi. Indigentia cogitandi philoſophica, cum neſciverint, unde principia cogitandi ordirentur, adegit Philoſophos, ut ab eſſentia & exiſtentia cogitandi filum nectterent. Antiqui τα ονται pro ſubſtantiis habuere, corporea pro meris phænomenis, vide Sophiſtam Platonis, p. m. 160. Id quod inobſervabiliter in noſtra usque ſecula ſe diffudit; nam γενεσιν â ſubſtantiis excluſere contra ſcripturam ſ. Corpus & materiam non ſatis diſtinxere antiqui & novi. Materia omnis reſolvitur in atomos: at non omne corpus reſolvi poteſt in atomos. Certe corpus, quod Leibnitiani poſt mortem tribuunt animæ, non eſt materiale, nam non eſt reſolubile in atomos: nec corpus Chriſti glorificatum

catum resolvitur in atomos. Sic in Deum nulla cadit materia: cadit verò in lucem gloriæ, in qua Deus habitat, corpus quoddam illimitatum seu spatium gloriæ immensum: quod ipse Leibnizianus Theologus noster Canzius non inficiatus est. Datur igitur corpus sine materia: datur corpus immateriale in ipsa gloria Dei, quod ex Ezechiele, nisi eum nasutuli in metaphoras vertant, rationibus invictis probavi. Aristoteles olim Platonis auditor subodoratus est, Platonis Philosophiam non nisi intelligibilia, h. e. τα ονται pro substantiis habere, tandem valedixit Philosophiæ huic, ajens, valeant ideæ Platonicæ, monstra sunt. Et cum Plato multum ab Sophis Babylonicis se fateatur didicisse, teste Patricio: Aristoteles etiam ab Judæis alioquin invisis Endelechiam mutuatus est, de quo vide in Technica sacra p. 20. quia de anima sine revelatione Judæis facta conceptus sufficientes non potuit assequi. Sed ne lectorem his detineamus, eum ablego ad librum M. Tob. Eckhardi, Technica sacra inscriptum, ubi a pag. 11. ad p. 22. multa sunt lectu digna: unde videmus eandem hodie scenam ludi ab eis, qui notiones ultimas s. scripturæ nesciunt,

quæ olim. Endelechia optime explicatur ab etymo ενδελεχεῖν secundum Melanchthonem libro de anima. Ἐνδελεχεῖν dicit continuatam & repetitam motionem quasi guttæ super lapidem. Igitur anima est progressio a forma ad formam, donec subsistat: habet igitur in se aliquid corporeum sed non materiale.

Ex quo idea scripturaria animæ, Nischmath chajim, i. e. halitus vitarum, ex Theologia est eliminata, notionesque scholasticæ Philosophiæ hunc defectum suppleverunt, innumeræ tenebræ in Theologiam irrepsere. Scholastici nescivere, quid sit endelechia. Hermolaus Barbarus dæmonem in obsesso quæsivit, quo veram ejus notionem inveniret, sed frustra. Endelechiæ vox non quidem ab Ebræis desumta est; sed notio ipsa Philosophiæ Judaicæ ortum debet. Judæi enim animam per progressionem entis penetrabilis in substantiam describunt, ut videre est in libro rarissimo mischnat chasidim, ubi de ascensu, descensu progressu animarum, multorum & Philosophis modernis incognitorum fit enumeratio. Ego verò ex fontibus Ebræorum ipsoque Ez chajim multis cum impensis hæc omnia rimatus sum

eò

eò usque, donec ad ultimas notiones devenerim tam ſ. ſcripturæ & Ebræorum, quam Platonis & præcipui ordinis Philoſophorum.

Ex his cernere poteſt quivis, quam Idealiſtæ, Platonici & Leibnitiani fallantur. Plato quidem multa ab Jeremia didicit, non verò ſe repurgavit ab Idealiſmo: ſane Heracliticam, Socraticam & Pythagoream Philoſophiam in unum congerendo ſibi non conſtitit. Auguſtinus, nimium Platoni tribuens, multas notiones indeterminatas Platonicas in Theologiam noſtram introduxit, quæ cum ultimis ſ. ſcripturæ non conveniunt, teſte Moshemio. Déhinc lubrica interpretandi ratio adhucdum in nobis radices agit, determinatiſſimas notiones ſ. ſcripturæ vage & indeterminate per metaphoras, non præciſe ſignatum ferientes, intelligendo.

Pſychicum & pnevmaticum ſunt notiones ſcripturæ fundamentales, ex quibus in ſylloge totam, quaſi in nuce, deduxi Theologiam. Nemo ex his auſus eſt tot, quot ego, corollaria nectere. Apoſtoli quidem hac methodo non uſi ſunt, ex vita pſychica & pnevmatica deducendi ſingula, ſed revera tamen ἐννοιας haſce reconditas

Auctor notiones Theologiæ primas ſive ultimas tradit, nulla metaphora vel metonymia eludendas.

habuere, ut cuilibet *1 Cor.* 15. penſitanti clarum erit.

Vita certe in ſcripturis eſt notio omnium frequentiſſima. Jam Paulus reprehendit in pſevdapoſtolis, quod neſciant quid dicant, & de quibus certi ſint, *1 Tim.* 1. id ſane in Theologo deberet deſiderare nemo. Quis enim, quæ ſunt ſpiritus & quæ ſunt animæ propria, ſine his explicabit? Idealiſtæ per intellectum purum has deprædati ſunt notionum evolutiones: nos revocamus eas. In novo Teſtamento gallico Enfantii & Belloſobrii nihil dicitur eſſe inexplicabilius, quam quod *1 Cor.* 14. de νοϊ & πνευματι ſcribitur: & olim amiciſſimus mihi Dn. Bachſtrom ſuper idem caput *1 Cor.* 14. mire hic luſit. In alio libro germ. von dem Werth des Gefühls pag. 32 & ſeq. teſtimonium Spiritus ſ. concinne quidem ex gravitationis Neutonianæ analogia dilucidatur, ſed proprietas verborum codicis deſeritur. Spiritus eſt ens divinum ſeparatim exiſtens, ſed repræſentativum non eſt primum in ſpiritu; poteſtativum & volitivum teſtari poteſt ſæpe ſine repræſentativo, inprimis in eccleſia. Igitur in ſpiritu inhabitante ſi vel deſit diſtincta diſcretio repræſentationis, tamen manet συμμαρτυρια alius cum

cum alio, quod negat auctor per metonymiam effectus pro causa. Ita per subtilitatem rhetoricam proprietas logica exterminatur. Breithauptius non præterit ea, quæ sunt spiritus; sed Baumgarten in eo reprehendit, quod definitiones ultimas non dederit: at neque Baumgarten has ex s. scripturis excussit, sed philosophicas Wolfii introduxit. Semper igitur novæ altercationes emergunt. Duas igitur animadversiones adhuc annectam præliminaribus hisce meis.

Auctor de spiritus in anima definitione acturus rejicit ideam simplicis, substituens ideam intensi.

Fons errorum hic est, quod Leibnitius endelechiam, vim progressivam Aristotelis, qui animam per εμπυρωσιν ψυχης εν καρδια, citante Charletonio in œconomia animali p. 6. Hippocratis more, definivit, ad simplicia sua pertraxerit, entelechias nominans simplicia, quasi simplex esset, ἐντελὲς ἐχον sine motu, sine progressione conatus ad terminum, quod a mortalium nemine concipi potest. Ipse Plato dixit, de simplicibus nil prædicari posse: & tamen in Sophista τὰ νοητὰ καὶ ἀσώματα. τὴν ἀληθινὴν ἐσίαν εἶναι statuit. Deus itaque vere est: ea verò quæ mutabilia sunt, Platoni non esse dicuntur. Hausit Plato quidquam ex *Exod.* 3. sed integram s. scripturæ Philosophiam non

percepit. Leibnitius per placita ſua Platonem demonſtraturus denuò ſimplicia ut τα οντα introduxit, corporea pro phænomenis habens. Ex hoc Platonis dogmate Cerinthus corpus Chriſti pro ente phantaſtico habuit, tota epiſtola Johannis contra ſimiles Idealiſtas directa. Certi eſſe poſſumus, Johannem & ſingulos Apoſtolos a vero Propheta Jeſu audiviſſe, has ideas eſſe rejiculas, eſſe proprietati carnis & ſanguinis ſui adverſas, eſſe antichriſtianas, *1 Joh.* 4, 3. ſed exceptis Polycarpo, Ignatio, Clemente Romano, pedetentim his de ſimplici ideis inobſervabiliter ſubſcriptum eſt a diſcipulis Ariſtotelis magiſtrum ignorantibus ſuum. Multum mihi præciſas Jeſu & Apoſtolorum ideas excuſſuro luctæ creatum eſt: ſubſtitui demonſtrativa certitudine evictus, ideam intenſi.

Intenſum eſt ens non diviſibile, ſed tamen penetrabilem & cedentem habens proprietatem. Septem ſpiritus Dei non dividuntur, ſed cedunt alter alteri in prædominium, penetrant ſe invicem inconfuſe: totum Spiritus ſancti eſt in ſingulis ſeptem ſpiritibus, & ſinguli ſunt in toto. Ezechiel tibi firmas de his & invictas ſubminiſtrare rationes poteſt. Ζωα quatuor ſunt intenſa, quia ſingu-

singula inexistunt cuilibet, & quia singulæ potentiæ sunt in toto; hinc extensibilitas de intenso non negari potest. Intensum habet proprietates in se immateriales, definit tamen in corpus primo internum, qualia sunt sensoria in rotis Ezechieliticis oculorum, manuum, aurium, alarum, deinceps quoque in externum. Corpus hoc internum est spatium absolutum non ex coëxistentia determinationum externarum, sed ex interno fonte intensitatis & subsistentiæ emergens. Dices, hæc receptis canonibus esse peregrina: sed nil refert, modo sit scripturæ s. consonum. Si naturæ interiora magis nosceremus, ut in transplantationibus quidem effectus apparet, etiam rusticis in propatulo esset ratio intensitatis, qua plenum esse cœlum & terram intensis, ubi totum in toto & totum in qualibet parte residet, viderent. Nonne Leibnitianus noster Bülffingerus, radicem cichorei in mille partes dissecans, ita ut ex qualibet parte in dolio terra repleto & foraminibus pleno, totum h. e. nova cichorei planta enasceretur, obstupuit, fateri ludicre coactus, totum esse in toto & in qualibet parte? Dantur intensa corporalia, ut lux septuplex Neutoniana: dantur spi-

ritualia, ut ψυχη και πνευμα. Pſyche quidem a πνευματι in ſpeciem ſeparari poteſt, ſed prædominio magis quam re ipſa. Interim pſyche eſt intenſum, & πνευμα etiam eſt intenſum. Dicunt Mathematici, dari infinitum infinito majus: ego dixerim, dari intenſum intenſo majus. Spiritus eſt intenſum majus ψυχη; eſt principium altius, ens in Deo ſubſiſtens: pſyche verò eſt ens in natura ſubſiſtens, ſed utrumque immateriale, deſinens in corporeum quid ſubſiſtens In libro meo, inquiſitio in ſenſum communem, de his latius actum eſt: igitur ſi quis me verbis ludere autumet, ibi plura legat rei fundamenta.

Progreditur auctor ad ideam ſpiritus in anima.

Si quis attentius in Cicerone legat, obſervabit eum animos in anima concepiſſe. Animus habet ideam exaltationis & dejectionis. Hodie ſtilus hic anilis videtur. Sed Ciceronis ideæ vim omnem humanitatis longe plus afficiunt ac Monadologiſtarum intellectus purus. In ſ. ſcriptura næphæſch, ruach, neſchamah occurrunt. Τῳ ruach in variis locis pſalmorum exaltatio & dejectio competit: hoc Wolfiani a proprio ſenſu in metaphoras torquent: ira etiam in ſpiritum novi Teſtamenti invehunt, ſuis faſcinati præjudiciis. Hinc ego in libro, Denkmal

mal der Prinzeſſin Antonia, ſingula loca, quæ de ſpiritu agunt, congeſſi, explicavi & multa determinate dixi, quæ Monadologiſtis debent videri ſtulta. Sed jam judicata res eſt a Spiritu ſ. Cui hæc ſtulta videntur, parum abeſt, quin ſit homo pſychicus. Spiritualis omnia ex vero judicat, usque ad radices rimatur, comparat, diſcernit, deque nullo homine gloriatur, quia ejus ſunt in Chriſto omnia. Si quis verò ignorat, ignoret.

Ex ſingulis locis in offentl. Denkmal Antoniæ congeſtis hæc tandem emergit definitio ſpiritus. Spiritus ſ. in anima fideli eſt 1) ens ex Deo derivatum, 2) non diviſibile ſed penetrabile, h. e. prædominio unius vis præ altera cedens ex mutua inexiſtentia & ſic transformabile; 3) manens quidem unum cum Spiritu Triados, ſed tamen appropriatione peculiari animæ inexiſtens, 4) in corpore mortali quibusdam affectibus & formis hominum ſe ſubmittens, 5) ſed tamen proprietates ſeptemplicis ſpiritus retinens; in ipſo prædominante animæ charactere, 6) creſcendi & ſeſe augmentandi vi ex Chriſto & Deo præditum. Habes hic definitionem ex ſingulis locis ſcripturæ contractam, quæ tamen in deſcri-

ptionem excrevit. Si loca huc pertinentia & a pag. 236. libri citati usque ad pag. 282. expoſita non liceret proprie ſecundum hæc prædicata interpretari, determinata certitudine adeoque perſpicuitate in explicandis ad ſalutem & teſtimonium Spiritus maxime neceſſariis eſſemus deſtituti. Ceſſaret quoque eminens analogia inter αοραται τε Θεε & ποιηματα *Rom.* 1. qua Deus cognitionem ſui naturalem omnibus manifeſtat. Patet hinc, quantis defectibus laboret indigentia cogitandi philoſophica de ſpiritu, de anima, de Deo, de intelligentiis, angelis, dæmonibus.

Plato dicit, aliud eſſe γένεσιν, aliud ἐσίαν ſeu eſſentiam: corporea γένεσιν habere, τα δε ονται non habere γένεσιν ſed eſſentiam tantum. Hæc ex ignorantia veri & unius Prophetæ Jeſu Chriſti ſcripſit Plato. Jeſus dicit, generatum ex ſpiritu eſſe ſpiritum, generatum ex carne eſſe carnem. Jacobus Apoſtolus τροχον γενεσεως in anima corpori opponit, *c.* 3. Vides itaque, lector, quod ſine Prophetarum genuinis notionibus Philoſophi neſciant proprietates neque corporum neque ſpirituum. Itaque ſi veram animæ quietem, nos inter Chriſti aſſeclas nati, velimus aſſequi, maneamus in pretioſiſſimis

fissimis hisce Spiritus prædicatis, ut testimonium Spiritus s. in anima, distinctissimis notis, nec plus nec minus quam prædicata singula innuunt, asserentibus, dignoscatur. In hoc enim cardo novi Testamenti vertitur. Quam ob rem prædicata spiritus denuo sigillatim enunciabo:

Primò spiritus hic est principium altius anima, quia psychici carere dicuntur divino hoc altiore *Jud.* v. 19.

Secundò spiritus est ens complexum non quidem divisibile sed transformabile *2 Cor.* 3, 18. μερισμὸς habens in prædominio. Sephirarum, næzalim, charismatum, *1 Cor.* 12, 4. 8. *Ebr.* 2, 4. *Num.* 11, 17.

Tertiò inexistit animæ per novam γένεσιν. Rotæ Ezechieliticæ gaudent proprio motu circulari interno, sed spiritus Dei concipiendus tamen est actuare rotas, ita ut motus rotarum & motus Dei sit unus idemque motus. Sin itaque unus idemque motus Dei spiritus & animæ existit, tum nova generatio intercessit. Generatio animæ prima est ex turbine septentrionali *Ezech.* 1, 4. 5. unde anima τροχὸν γενεσεως, qui est esch mithlakachath, accepit. Generatio secunda per fulgurationem v. 13. aut novam immersionem

nem ignis divini *Matth.* 3, 11. fit, ex quo motus ſempiternus ſed æquabilis irrequietus animæ ingeneratur ℣. 20. ſic ſpiritus in anima, etſi diſtinctus a Deo, tamen unus eſt ſpiritus cum Domino. Spiritus eſt ens derivativum, ſed non diviſum a plenitudine Deitatis. Inde eſt, quod μερισμοι πνευματος *Ebr.* 2, 4. quidem diſcernendi ſint a ſpiritu Deitatis univerſali, ſed non diviſim in partes ſecando, quia ſpiritus eſt intenſum, in quo nulla vis ab alia ſeparari poteſt, demonſtrante hoc Metaphyſico acutiſſimo Barone de Creuz, quem in Antonia citavi pag. 140.

Quartò propter communicationem idiomatum λογε & carnis in Jeſu Chriſto, ſpiritus inde communicatus ιδιοποιαν & μεταποιαν in fidelibus ſuſcipit in affectibus Jeſu Chriſto æmulis: inde poteſt ſpiritus ταραττεσθαι, poteſt λυπεισθαι, poteſt deliquia pati, deſperare, obtenebrari, angi, adeoque etiam formis ſe ſubmittere humanis, quemadmodum ſpiritus Pauli ſe in caſibus dubiis conſilio Jacobi ſubjecit. *Act.* 21, 12. 13. & ℣. 20. usque ad 27. Sane ſpiritus certiſſimus Pauli ſe ſubjecit incertæ formæ conſilii, quod plane contrarium exitum habuit. ℣. 28.

Quin-

Quintò ſpiritus fidelium manet ſpiritus intelligentiſſimus, qui ad ipſa βαθη τε Θεε penetrat *1 Cor.* 2, 10. ſed quoniam vita noſtra occulta eſt cum Chriſti vita in Deo: igitur ſpiritus non ſemper per repræſentationes diſtinctas agit, ſed in ipſis gemitibus repræſentationem ſui occultat *Rom.* 8, 26. Hoc magni intereſt noſſe, ut de teſtimonio Spiritus ſ. non ex noſtris conceptibus, vel ut ſupra dictus auctor ex analogia gravitationis Neutonianæ, judicemus, συμμαρτυριαν *Rom.* 8. jejuna interpretatione evacuando. Certe ſpiritus in ipſa dubia verbi divini meditatione occulte ineſt, & tamen συμμαρτυριαν præſtat una cum cogitationibus & ενθυμησεσι noſtris toti eccleſiæ ejusque membris. Recte igitur Bengelius noſter συμμαρτυριαν ex proprietate vocum explanavit. Sed συμμαρτυρια in eccleſia ex unitate ſpiritus eſt intelligenda, non ſemper ex unitate cognitionis diſtinctæ, vid. *Eph.* 4, 3. & 13.

Sextò creſcit ſpiritus ut ipſa anima. Antiquiſſimæ ideæ Hippocratis aſſerunt, animam vere & proprie creſcere, quod abſurdum videtur noſtris: hinc ſpiritus inimicitiam pſyches in carnem tractæ, per incrementa vivæ cognitionis magis magisque ſuperat ex virtute Chri-

Christi, qui ἐχθρὸν in ταρκὶ h. e. contrarietatem voluntatis divinæ & humanæ in se ipso superavit, *Matth.* 26, 42. & usque ad extremum halitum in spiritu crevit inde ab unione personali, donec factus fuerit consummatus *Eph.* 2, 14. 16. *Ebr.* 5, 8. 9. Emergit hinc possibilitas, qua momento quasi uno per imputationem & communionem statuum Christi *Eph.* 2, 1. 5. 6. generatio fidei & spiritus absolvi possit in anima vere justitiam sitiente. Possibilitas hæc debetur illimitato Christi merito, quod annos in horas vertit.

Auctor definitiones quasdam superaddit ideis systematicis ex vita deductis, sc. de tenebris, luce, materia, corpore, anima & spiritu.

Prima mea animadversio his jam absoluta est. Secunda est hæc: ut definitiones & notiones quasdam systemati Theologiæ necessarias, subjungam, ut, si contradictiones forte huic Compendio affingerentur, per has discuti possint. Spero lectorem agniturum, Theologiam hancce meam systematis veri requisita præ se ferre & continere. Etenim totum est in toto & in qualibet parte. Notio Dei ingreditur notionem hominis, legis, peccati, gratiæ, ecclesiæ & novissimorum: & quælibet notio partialis locos in se gestat singulos. Sed ne liber in odiosam prolixitatem protenderetur, non omnia per propositiones explicitas exaggeravi: potest

potest id quivis ipse ex datis sufficientibus supplere, si modò το πνευματικοις πνευματικα συγκρινειν aggrediatur. Scio multos reprehendere, quod demonstrationes heic quis ex collatione multa conquirere necesse habeat: sed hoc in exegeticis aliter fieri nequit ob id ipsum, quia totum est in qualibet parte. Dabo autem demonstratoribus definitiones, quas forte desideraverint. Desiderant, quid sint tenebræ, quid lux, quid materia, quid corpus, quid spiritus, quid gloria vel δοξα Dei, quid Deus ipse.

TENEBRÆ sunt vel potentiales vel actuales. Potentiales sunt atomi gloriæ divinæ inexistentes, irregularitatis incapaces: nam quis numerabit atomos in sapientia vel δοξα? *Hiob* 38, 37. & tamen extra Deum limites creaturarum constituentes. Actuales sunt congeries atomorum per irregularitatem situs se mutuò obtegentium.

LUX est regulariſſima atomorum transparentium forma, de quo lege Carteſium qui tria genera atomorum, scite adscivit, & observa, formationem tribui tum luci tum spiritui *Jes.* 45, 7. formo lucem, creo tenebras. *Zach.* 12, 1. formo spiritum in medio hominis: nota quoque, tenebris tribui creationem.

MA-

MATERIA est, quicquid in elementa vel in chaos est resolubile, ut homo in pulverem, cœli in sal. *Jesaj.* 51, 6.

CORPUS est, quicquid definit in subsistentiam. Subsistentia est ex attractione originaria septem spirituum, inde corporeitas omnis ortum habet ex prima qualitate septem spirituum, quæ in septima definit in veram, non Platonicam, substantiam. Philosophis notio substantiæ est obscurissima ex ignorantia septem spirituum. Maupertuis certe fassus est se nescire, quid dicat substantiam nominans. Subsistentia est ultimum substantiæ, estque vel interna vel externa. Interna inest extensis, quæ spatium in centro penetrabile & indeterminatum occupant, in exitu verò determinatum assumunt, h. e. ὑποςασιν seu subsistentiam externam. Interni corporis fons sunt Neutonianæ vires centrales ex resistentia attractionis & repulsionis, ut in qualibet funda patet. Subsistentia externa est in impenetrabili spatio materiæ & in compositione continui, quæ semper fuit labyrinthus Philosophorum. Hinc non mirum, Malebrancum nonnisi fide credidisse, se corpus habere externum

SPIRI-

SPIRITUS est ens penetrabile septemplici vi præditum, nullius inertiæ, nullius materiæ capax, quamvis prædicata motus & continui habeat, ut formarum sit receptivum.

ANIMA est ens penetrabile, non divisibile, sed per elevationem irregularem virium transformabile in plasma distemperatum vel temperatum.

ΔΟΞΑ seu gloria Dei est vestimentum seu plenitudo Deitatis *Ps.* 104, 2. *Eph.* 3, 19. *Col.* 1, 19. habens in se formas rerum creandarum, demtis imperfectionibus. *Prov.* 8, 30. 31.

Patet hinc, in Deo ut Deo, quatenus consideratur in abdito sui *Exod.* 33, 23. nullum corpus, nullas tenebras potentiales, nullum modum, nullum gradum aut modum, nullum spatium vel tempus, nil creaturæ analogum inesse. At verò in manifestatione gloriæ, quæ dicuntur posteriora Dei *Exod.* 33, 23. omnia prædicata gloriæ *Ezech.* 1. & 10. descripta, realiter & sine metaphora inesse, scil. ignem, motum circularem ignis, colores, sensoria, attractionem, repulsionem, seu contractionem & expansionem, & reliqua creaturis analoga. Quoniam verò modi hi creaturis analogi ad unitatem vitæ æternæ non habent rationem assignabilem: igitur in Deo ut modi

non possunt consistere, sed considerandi sunt, nullam habere rationem assignabilem. Hinc Deus merus est spiritus, mera lux. Concipiuntur modi in Deo eo fine, ut in creatura extra posita ratio adsit, cur in tenebras vel in atomos molis tanquam in limites desinat finitudine propria per derivationem virium ex Deo, qui nunquam est Creator nihili.

Hæc nunquam adhuc, ut Spenerus præoptavit, in Academiis ventilata sunt. Si quis est, qui mihi lites intentat: habeo tum, quod mihi & Spenero in votis est. Insunt hæc in proprietate verborum sacrorum per consequentias logicas: debent igitur in nexu occulto latere rationes conceptibiles, quas Philosophia sacra eruit per regulas deciferationum, comparando singula cum universis. Erunt verò cuivis olim in regno Christi in terris trivialia *Jes.* 25, 7.

Deus, ut Jehovah, Theologis meritò dicitur actus purissimus, semper in communicatione & exitu luminum seu sephirarum operosus, *Mich.* 4, 5. vincit & absorbet omnes creaturis analogos modos: hinc quarta sephira næzach ex *1 Chron.* 30, 11. Pythagoræis dicitur fons æternæ naturæ; per hunc enim omnes momentanee cogitabiles, sed nulla ratione assignabiles modi creaturales in unitatem ζωης ακαταλυτε recidunt,

cidunt, qui est primus de Deo conceptus ex *Ebr.* 7, 16.

Corpus internum gloriæ Dei, sui manifestativæ, competere, centena scripturæ loca clamant. Sed sic habeto: corpus hoc nullam admittere limitationem, ut in Cabala denudata falso ab illuminatissimo Jizckak Lorja demonstratur, qui statuit causam supremam, Deum, unicum sibi simillimum habere causatum λογον, qui est Adam Kadmon. Id sane Arianismum genuit, cum statuit, hoc causatum esse quid limitatum & contingens.

Si quis igitur objiciat, me in Compendio hoc asserere de Deo contradictoria, nempe corporea & spiritualia simul: ille sciat, contradictionem esse debere ad idem. At Deus in abscondito, sine modo creaturali, in manifesto cum creaturali modo consideratus, nullam contradictionem ad idem præbet. Ipsa S. scriptura Deum dicit αορατον, sc. in intimo sui: at verò in figura jaspidis & sardii *Apoc.* 4. visibilis erit in manifesto: videbitur sic sine tropo, videbitur sicut est. *Ps.* 48, 9.

Satis de his. Ipsi verò Patri Jesu cum gratias agere dignas hîc non possimus: gratias agemus in succedentibus æonibus, hæc visuri vera esse κατα ρητον.

Ad hæc præliminaria præcipue caput I. & X. Ezechielis ſigillatim conferri neceſſe eſt.

Auctor finem cogitatorum in initium revolvit per demonſtrationes ex Ezechiele ſuffi-cientes.

Multa in præliminaribus ex Ezechiele citavi; ſed opus eſt, ut caput I. & X. ſub unum viſus punctum ordine redigatur: multi enim probationem notionum, quas ex idea vitæ ſubminiſtravi, multo labore eliciendam & eruendam eſſe quæruntur. Ut huic objectioni ſatis faciam, caput I. & X. in pericopas ſuas dividam.

Proponitur cap. I. quid ſit gloria Dei, nam dicitur viſum gloriæ Dei. Ex c. 43, 2. apparet, gloriam ab oriente veniſſe, omnia illuminaſſe, ſonum edidiſſe, per portas orientales in templum introiviſſe. Prædicata hæc ſine tropo clamant, gloriam Dei habere attributa corporalia, non materialia: ipſa igitur gloria habet attractionem, elaſticitatem, celeritatem, denſitatem & ſimilia. Idque probatur 1) ex ortu ejus, quia enaſcitur ex tenebricoſa nube turbinis, quod eſt denſum quid ℣. 4. 2) ex oriundis inde quatuor vividiſſimis animantibus, ℣. 5-9. 3) ex animantium curſu reali, qui recta proceſſit, ℣. 9-14. 4) ex aſpectu rotæ extenſiſſimæ, in quo tamen 4 rotæ emicabant velut intenſa, potentiis invicem ſeſe gyrantibus. 5) ex throno Dei & Seſſore

Sessore throni, homine-Deo. Ecce capitis I. summam. Dices hanc visionem non probare probanda, esse visionem meram. Respondeo, visionem propheticam a Deo dari, ut res agnoscantur quales sunt, non ut lusibus opticis fallamur. Ezechielis ζωα citantur in Apocalypsi, ubi rotæ & oculi constituunt interius intelligentiarum. Si quis hic vim facit oculis suis, ei vix aperientur.

Caput X. non minus probat esse in gloria Dei attributa spatii, motus, corporeitatis & tamen persistere immaterialem naturam. Nam

1) describitur thronus corporaliter, ut in Apocalypsi, sine ulla metaphora. Ignis certe propriissime jubetur ex medio rotarum a viro quodam corporaliter sumi. c. 10, ℣. 1-3.

2) Gloria Dei sustollit se ex throno & migrat corporaliter in templum. Cherub quidam ignem extradit, ab intra rotarum correptum. Hic certe nulla metaphora locum habet: extus, intus, locum supponunt corporalem. ℣. 4-7.

3) Describuntur animantia præcisius & plane certa etsi paradoxa de illis enuntiantur. ℣. 8-13. Scil. intra alas animalium manus hominis videbatur, quatuor rotæ aderant animalibus, cuique una rota colore tarschisch: & tamen rota apparebat in rota, eundo non divertebantur a via sed recta procedebant. Omnis eorum caro, omne dorsum, omnes manus, omnes alæ, omnes rotæ oculos habebant, manifesta & invicta demonstratione,

corporalia ineſſe immaterialibus & ℣. 5. corpora intenſa veras eſſe ſubſtantias immateriales, omnia in illis eſſe repleta viſu & intellectu, eſſe entia progreſſiva ab intimo ſui ad ſenſoria externa, ℣. 8-13.

4) Ulterior animantium deſcriptio, quodlibet habere quatuor facies, ℣. 14. in ſublime illa vehi ℣. 15. illa ſine rotis ſeſe non movere ℣. 16. 17.

5) Gloria Dei prius in limine templi requieſcens per vibrationem animantium ſeſe elevavit, & portas templi verſus orientem occupavit, & ſe rurſus in thronum locavit, argumento quod gloria ſit primitiva & derivativa: primitiva in throno & ſeſſore, derivativa in animantibus ſeſe a throno elongantibus. ℣. 18.

6) Indiviſus motus animantium & rotarum & gloriæ, quæ ſupra thronum ſeſe peculiariter contemplandam exhibet, ℣. 19-22.

Si quis has pericopas cum verſione Ariæ Montani confert: multò plura inde eliciet, quam in præliminaribus dixi: nulla dari ſimplicia, dari verò intenſa, ubi inſunt potentiæ potentiis; immaterialia eſſe illa, eſſe progreſſiva a forma ad formam, donec in ſubſtantias corporeas chaſmal analogas deſinant; generare illa atomos lucidas, opacas & pellucidas, h.e. cœlum, terram, aquam, ut recte Cartes innuit; corporea & incorporea eundem habere ortum; formari hinc lucem & ſpiritus ex turbine aquilonari, evocare Deum lucem ex tenebris; viva eſſe omnia, quæ originariis ſpiritibus conſtant; ſeptem quidem ſpiritus in Ezechiele non numerari, ſed tamen ſupponi in quaternario, donec in Apocalypſi pleno ore tradantur; Philoſophiam ſacram non opus habere mutuatitiis notionibus, accidiſſe tamen, ut in Philoſophiam & Theologiam irrepſerint; mirum igitur non eſſe, quod his non aſſueti offendantur, & eos omnes Materialiſtas increpent, qui proprietati verborum conſecratorum inſiſtunt; ſed ſi ex Ezechiele ſapere vellent, non offendentur. Di-

Dicunt, Deum esse ens a se, ens simultaneum, in quo transitus ab occulto in manifestum non concipi possit; Deum nil habere per gradus, quia gradus limitationes involvunt: me verò dum gloriam Dei corporalibus attributis efferam, gradus in Dei essentiam invehere. Sed respondeo: nil me posse contra veritatem sed pro veritate. Ita sane Deus se ipsum in gloria sua concipiendum sistit. Deus & gloria ejus sunt distinctum quid, Deus tamen indissolubilis est a gloria sua vi ἀναλυσιας Deus non habet gradus, gloria habet gradus & modos, quos ipse sibi ponit, ut possit esse communicativus & manifestativus sui. Aut enim Deus & mundus una substantia est, in quo creaturæ sunt modi; aut modos sibi ipse dat in manifestatione gloriæ, quam creaturæ non quasi ab essentia sua, sed ex abundantia libertatis communicat infinitis gradibus. Ita non opus est dicere cum Leibnizio, monades esse coruscationes divinitatis: nam potentiæ septem spirituum libere a Deo emittuntur, non necessitate existentiæ. Gloria Dei est primitiva & derivativa: primitiva in Deo & throno, derivativa in rotis & animalibus & in tota Dei vita. Dicuntur ab Ezechiele singula ad gloriam pertinere, potentiæ primitivæ, prima materia, quæ ex nube & igne nascitur & in chasmal coruscantissimum transit, unde intelligentiæ & animæ ortum habent, non quasi ex essentia sed ex originariis Dei potentiis, quæ regulas ponunt principiis essendi & fiendi.

Elice consectaria ex pericopis C. I. 4-9. an effugere potes genesin rerum immaterialium ex tenebris originariis, an negare potes lucem ex tenebris evocatam primitus? Ex V. 9-14. sequitur, quod animalia non ex essentia Dei ipsa, sed ex originariis potentiis in fieri posita sint.

Aliud

Aliud est dicere εγενετο, cum Johanne aliud creatum est. Animalia non creata sunt, sed extiterunt ex vivis Dei potentiis, Joh 1, 3. Creari, formari, facta esse distinguuntur a Deo conceptis verbis, Jes. 43, 7. Sequitur quod quatuor animalia unius originis sint, singula motu insito & motu influo prædita; & quod in medio sui sint ignis in se ipsum recurrens motu æquabili; quod sint entia liberrima in orientem, occidentem, meridiem & septentrionem directa & tamen certo loco præsentia. Constitutionem eorum internam esse in τροχω γενεσεως: id quod rotæ tantum optice designant Apoc. 4, 6. 7. 8. alas, pedes, manus denotare sensoria externa, interne verò ea esse similia prunis coruscantissimis, continuo fulgure decussativo supra infra & ad latera radiantibus, & semper in lucta passivi cum activo circulariter constitutis. Hanc εσιαν habent ex liberrima voluntate Dei, qui modos ponit communicationi gloriæ suæ, Apoc. Possunt innumera consectaria elici pro vera Pnevmatologia: sed meditatio mea in Ezechielem fortasse alio loco dabitur amplior. Interea id tantum hûc velim attendi, visa Prophetica non esse Exaggerationes Asiaticas, nec esse condescensum in populares & rudes conceptus plebis, sed esse delineationes accuratissimas, sub extantissimis figuris præcisionem Philosophorum longe superantes, rerum fœcunditate, sufficientia, facultate & necessitate. Nullus enim Philosophorum res intelligibiles, tam determinate ex sensorio peculiari, (quod Rex Borussiæ in metaphysicis desiderat), distinctas tradidit. Hinc ultimæ ideæ omni humanitati perviæ traduntur in S. scriptura idque per partes & distinctis notis, sic ut per recapitulationem repetitam dubia excludantur, quæ occurrunt ex consideratione dissociata.

DE



DE THEOLOGIA ET SCRIPTURA SACRA.

Præliminaria.

De Theologia: De Objecto Theologiæ, scil. Religione; de Scriptura Sacra: de officiis singulorum erga revelationem: de methodo eruendi sensum erutumque connectendi in Articulos fidei, deque Conclusionibus theologicis.

De libris Symbolicis vide in Art. de Ecclesia.

DE THEOLOGIA.

§. 1.

Scopus Theologiæ, gloria Dei.

OMnis Theologia sive naturalis, sive supranaturalis, sive seculi præsentis, sive futuri, glorificationem Dei pro scopo habet.

De naturali id patet ex dicto *Rom. 1, 21. 24.* Ethnici sunt inexcusabiles, propterea quod, quum Deum norint, tamen non ut Deum glorificaverunt. ℣. *28.* Sicut Ethnici non explorate probarunt Deum habere in cognitione, ita tradidit eos DEUS in mentem judicii expertem.

Quod supranaturalis eo tendat, patet ex dicto *Joh. 17, 3.* Hæc est vita æterna, ut Te cognoscant solum verum DEUM, & quem misisti Jesum Christum.

Quod Theologia seculi præsentis & futuri idem intendat, clarum est ex *2 Cor. 5, 6. 7. 9.* Confidenti igitur animo sumus semper, & scimus nos, dum adsumus in corpore, peregre abesse à Domino. ℣. *7.* per fidem enim ambulamus non per adspectum. ℣. *9.* quapropter etiam contendimus ut hic præ-

sen-

sentes & hinc absentes ipsi placeamus. *1 Cor. 13, 12.*

De Theologia seculi futuri patet ex *Joh. 17, 24.* Pater, quos dedisti mihi, velim, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut spectent gloriam illam meam (τὴν ἐμὴν) quam dedisti mihi.

§. 2.

Sequitur inde Deum in Theologia non posse considerari mere ut objectum, quin simul ut finis & ut causa impulsiva glorificationis consideretur. Possunt quidem credenda de Deo per abstractionem aliquantisper objective considerari, sed hoc objectum tam amabile ipso momento veræ agnitionis ad glorificationem allicit. Ex corruptione nostra resultat quod interstitium quoddam inter credenda & agenda, inter objectum & finem, inter essentiam & cultum admittamus. Sed revera se res ita habet, ut propter torporem & incapacitatem nostram ita distinguamus; nam agnitio gloriæ & justitiæ divinæ speculi instar Deum per radios sui ipsius glorificare solicitat. *Rom. 1, 17.* Interim in nostro statu credenda ut objectum, non ut finem considerare possumus, praxin glorificationis ex fine non ex objecto desumimus. Sentimus nos peccatores non posse Deum glorificare.

Objectum Theologiæ, Deus ut actuosus, vel ut vita vivificans.

Sentimus impetus indelebiles, sed qui cito sufflaminantur. Contentus est Deus tantisper desiderio in luce ambulandi & glorificandi Eum. *1 Joh. 1.* Inde regenerantur in nobis prima inchoamenta gloriæ seu Imaginis divinæ per gratiam Dei & sanguinem Christi. Inde oritur spes fruendi Deo in vita æterna. Atque sic tandem sequitur Conclusiones Theologiæ omnes esse practicas. Theologiam esse habitum theoretico-practicum, ubi Theologia partim objective partim subjective consideranda venit.

1. Objective. Dicitur enim *1 Cor. 2, 6. 7.* Sapientia Dei latens in mysterio, i. e. occulta illa quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram.

2. Subjective. *2 Tim. 3, 14. 15.* quæ sapientem reddit ad salutem. *Phil. 1, 9.* cognitio & omnis sensus. *Eph. 1, 8. 9. 17. 18. Tit. 1, 1. 2.* cognitio experimentalis veritatis ejus, quæ est secundum pietatem sub spe vitæ æternæ.

Porro sequitur; quum sine intentione glorificandi Deum Theologia addiscatur, vacua illuminatione speciali. *2 Tim. 3, 5. 6. 7. Ps. 119.* patet, revelationem tanquam objectum Theologiæ considerandam esse, non quoad voces, nec quoad res solum, sed quoad concursum quoque divinum supra naturalem. *Act. 17, 14. Rom.*

Rom. 1, 16. cui qui se subducit, ejus cognitio etsi sit historica & literalis *Jac. 2, 19.* tamen non fœcunde literalis *Rom. 2, 18. 27.* multo minus spiritualis esse potest. *1 Cor. 2, 14. Joh. 14, 17.*

Sequitur porro, quod, quicunque per Theologiam intendit glorificare Deum, illum ut vitam æternam noscat, sicque restaurata in se imagine Dei, remunerationem investigationis Dei accipiat in se ipso. *Ps. 22, 27.* Laudabunt Jehovam quærentes eum: vivet animus vester in sempiternum. *Ps. 119, 33.* Reviviscet animus vester ô quærentes Deum. *Hebr. 11, 6.* qui accedit ad Deum hunc credere oportet esse Deum, & præmia largiri iis, qui ipsum requirunt. Talis exercitata reddit sensoria ut verum a falso, bonum a malo spiritualiter discernere possit. *Hebr. 5, 14.* Is demum veritatem docere potest & refellere contradicentes, utpote a Deo ipse edoctus. *Joh. 6, 45.* Usus porismaticus.

§. 3.

Est igitur uno verbo Theologia habitus. *Hebr. 5, 14.* (non dispositio tantum, sed promtitudo in animo firmiter radicata) practicus, non in objective creditis subsistens, sed ad glorificationem DEI omnia referens, sicque vitam & imaginem DEI primum Quid sit Theologia?

in se ipso restaurari desiderans, atque inde capax ad veritatem spirituali methodo docendam erroresque refellendos. *Tit.* 1, 9. διδασκαλίαν cum παιδεία, ἔλεγχον cum ἐπανορθώσει jungens. 2 *Tim.* 3. 16. 17. consequendæ a DEO & in DEO beatitudinis æternæ idque tum suæ tum aliorum causa. *Tit.* 1, 2.

§. 4.

De Theologia in societate exculta seu Religione.

Hactenus de Theologia ad DEUM maxime relata, quæ est doctrina de gloria DEI a peccatore ad salutem vel convertendo vel converso agnoscenda. Agendum etiam de Theologia ad homines sociales relata, quatenus una fide cordis, una professione oris, uno vinculo amoris h. e. Religione christiana se a gentilibus distinguunt. Sed quoniam hoc ad locum de Ecclesia reservatur, possumus ulteriore tractatione heic supersedere.

§. 5.

De norma religionis.

Quoniam neque Theologia neque Religio persistere potest sine norma constanti, igitur agendum jam de verbo DEI in sacris litteris consignato, quatenus est norma credendi & agendi, cujus tum definitionem tum attributa distinctæ subjiciemus considerationi.

S. Scriptura.

Sacra Scriptura est verbum divinitus inspiratum, per Prophetas & Apo-

sto-

ſtolos divina Autoritate & Efficacia ſub diverſis œconomiæ divinæ epochis conſignatum, ut ſit canon ſufficiens & perſpicuus ad inſtruendos homines de omnibus quæ creditu & factu ſunt neceſſaria, pro glorificando DEO, ſanctificandis moribus, & vita æterna impetranda.

Requiſita Theopneuſtiæ.

Sacra Scriptura omnis dicitur θεόπνευστος. *2 Tim. 3, 16.* partim quia ii, quibus DEUS tanquam inſtrumentis ad exarandas ſacras litteras uſus eſt, jam ante conſignationem variis inſpirationum & revelationum modis & gradibus præparati fuerunt; partim quia in ipſo actu locutionis & ſcriptionis illo ipſo Spiritu agebantur.

§. 6.

De modis revelationum ſeu Theopneuſtiæ variis.

Modi revelationum, quibus DEUS viros propheticos ſibi adaptabat in V. & N. T. erant varii. Præcipui ab ipſo DEO recenſentur. *Num. 12, 6 8.* Si fuerit vobis Propheta, ego Jehova in viſione adparebo illi, in ſomnio loquar cum eo, non ſic ſervus meus Moſes, ipſe in tota domo fidelis eſt; ore ad os loquar cum eo, & viſione, nec per ænigmata, & ſimilitudinem Jehovæ adſpicier. Tres vel quatuor hic gradus revelationis enumerat Deus. Quartus per ænigmata ad primum & ſecundum

referri potest. Primus, qui a Deo enumeratur, fiebat per visionem, quum Propheterarum oculis, animi vel corporis, objiciebantur imagines certæ. Sic Micha vidit Israelitas super montibus dispersos instar ovium. *1 Reg. 22, 17.* visorum significationem explicavit quandoque Jehova vel Angelus Ejus. Sic *Jer. 1, 11. 24, 5.* Sic *Ezechieli c. 37.* Sic *Danieli c. 7, 15.* explicatio facta. Alter modus a Deo recensitus fiebat per somnia. Quale legitur de Abrahamo *Gen. 15, 12.* de Jacobo *Gen. 28, 12. 31, 11. 12.* de *Daniele c. 2, 19. 7, 13.* Saul consuluit Jehovam, & non respondit ei nec per somnium, nec per Urim, nec per Prophetas. 1 *Sam.* 28, 6. Tertius modus erat visio & auditio Dei ipsius, vel in visibili corpore, vel in alia manifestatione gloriæ. Talis Mosi *Exod.* 33, 11. talis Aaroni, Nadabo & Abihu & Senioribus 70. *Exod.* 24, 9-11. talis Prophetis, *Jes.* 6. *Ezech.* 1. obtigit; talis etiam discipulis in monte *Matth.* 17, 2. Et quemadmodum Prophetæ V. T. per visionem gloriæ Domini ad officium propheticum inaugurabantur, ita etiam Apostolis N. T. idem majori gradu obtigit. 2 *Cor.* 3, 18. His & similibus Revelationum modis & gradibus elevabantur Prophetæ & Apo-

Apostoli, ut quæ locuti sunt, & quæ literis consignarunt, divino fecerint afflatu. Aliquando res & verba suggessit eis Spiritus. *Exod.* 34, 27. aliquando res & sensum solum, delectu verborum ab ipsis facto, & à Spiritu sancto directo. 1 *Cor.* 2, 4. 5. 12. 13. Quippe Spiritus sanctus docuit eos eligere verba; hinc neque particula, neque litera in S. Codice est, quin sit spiramine sancto affecta. Paulus vocem δικαιῶν a Spiritu S. edoctus elegit sibi pro statu controversiæ. Sic Jacobus pro charactere mentis per Spiritum propheticum dispositæ appropriavit sibi voces singulares. Sic Petrus alio gaudebat idiomate pro charactere mentis alio. De his plura invenies in libro meo germanico. Historisch - moralischer Vorrath in der Vorrede. item, Lehrtafel Antoniæ p. 389.

Maximopere interest de eminentia verbi prophetici distinctos, fœcundos & condignos habere conceptus. Quis enim Prophetiæ subjiciet notiones ex natura haustas, nisi sciat, illam eum in finem datam esse, ut suppleat id, in quo destituimur a natura; nisi noverit Prophetiam ex ea fœcunditate & profunditate sensus promanasse, quæ penetrat usque ad divisionem naturalium

Usus in æstimando Dei verbo.

& ſpiritualium junctūrarum nervearum & ipſius cerebri cum medullis, quæ dijudicet ἐνθυμήσεις h. e cogitationes in θυμῷ & ἔννοιας καρδιῶν cogitationes in νοῖ formatas, coram quo omnia ad atomos usque nuda ſunt, & cultro plusquam anatomico retecta & reſupinata *Ebr.* 4. Prophetia defectus philoſophiæ ſupplet; at vero philoſophi defectus Prophetiæ ſupplere volunt.

Unde hoc? quia altitudinem & profunditatem Prophetiæ rident homines Pſychici, proprio Spiritu & Senſu ἰδίας ἐπιλύσεως non divinitus ſubacto elati.

Hinc characteres & attributa verbi prophetici tanto penſiculatius diſtinguenda ſunt, quanto majoris eſt momenti, habere ea in promtu.

§. 7.

Attributa ſ. ſcripturæ ſunt

I. Auctoritas, quæ eſt tum Normativa & Canonica, tum motiva.

Attributa ſ. ſcripturæ. Primum attributum principale.

a) Auctoritas Canonica.

Normativa eſt, quatenus quod ſcriptum eſt, regulam præbet fidei & actionum, ita ut ſpiritus ſ. & cuivis individuo & cœtui integro ſit Interpres *Hebr.* 9, 8. auctoritativus principalis, ad quem Chriſtus ipſe provocavit, *Matth.*

Matth. 4, 7. ubi τὸ ſcriptum eſt, ter repetitur. *Matth. 19, 4.* nonne legiſtis. *Matth. 22, 29.* Seducimini, quia neſcitis ſcripturas neque vim DEI. *Joh. 10, 35.* non poteſt diſſolvi ſcriptura. Non igitur opus eſt judice monadico, qualis eſt pontifex, ſed tamen interprete diſcretivo, nimirum doctore, presbytero, *2 Tim. 3, 16. Tit. 1, 9.* aut quolibet fideli charismatis eminente, *1 Joh. 2, 20. 4, 1.* qui in Eccleſia de doctrina judicare poſſunt. *1 Cor. 14, 29.*

Quæ continet quoque vim normativam ſtili.

Dictum eſt de regula fidei & actionum. Inter actiones, quas normat ſcriptura, eſt quoque ſtilus ſeu idioma, quo res ſacras pronuntiamus. Hinc in methodo tradendi Theologiam, non debet adhiberi modulus diſciplinarum humanarum illarumque termini. *1 Cor. 2, 13.* niſi quousque faciunt ad pacem Eccleſiæ, rebus non aliter integris.

b) Auctoritas motiva externa & interna.

Auctoritas motiva, ſive fidei cauſativa ſeſe manifeſtat per characteres ſcripturæ partim externos partim internos. Per externos. 1) antiquitatis. *Gen. 3, 15.* 2) Miraculorum *Exod. 4, 1-9. 1 Reg. 17, 24. Joh. 9, 29-33.* 3) Providentiæ conſervantis & defendentis. *2 Chron. 34, 14. 15. Jer. 36, 4. 23. 28.* Per internos, ut ſunt

1. San-

1. Sanctitas & gravitas ſtili, maxime in prophetiis ſeu hiſtoriis anticipatis, quæ, quo tempore prædicebantur, nondum erant in cauſis fecundis. *Eſaj. 42, 9. Amos 3, 7. Jeſ. 34, 16. 46, 10.* In his prophetiis elucet ſtilus curiæ cœleſtis, maxime in Apocalypſi Jeſu Chriſti, multum e Phraſeologiis Prophetarum contextus. *Apoc. 19, 17. 22, 2. Ezech. 39, 4. 17. 47, 12.*

2. Simplicitas, qua Deus recta via loquitur ad hominis principia conſtitutiva ſibi ipſi abdita, ut eſt homini abditum, quod æternitas data ſit in cor ſuum *Eccleſ. 3, 11.* quæ ut primum tanguntur ſtilo divino, perſentiſcit, & ſimplicitati divinæ amen dicit. *1 Cor. 14, 25.* Difficile dictu quid ſit ſimplicitas, ſed patet ex contrario, quando nimium intelligendo nihil amplius intelligimus eorum, quæ ex ſimplicitate Dei nos recta linea tangunt. Talibus plenæ ſunt ſ. litteræ pro parvulis neque nimium ſapientibus, quibus ſ. ſcriptura eſt inſtar decipulæ. *1 Cor. 1, 19.*

3. Myſterioſa profunditas. Eſt enim Dei gloria celare quædam, ſingulis & univerſis, ſaltem ad tempus. *Prov. 25, 2.* ut inſtar Mariæ animo volutent quædam per integros annos. *Luc. 2, 51.*

4. Per-

4. Perspicuitas, quæ in rebus creditu & factu necessariis Deus ita loquitur, ut quilibet fidelis conscientiæ suæ naturalis judicio certus esse possit de sensu Dei. *Prov 8, 8. 9.*

5. Certitudo sibi constans, quando per unanimem librorum & veritatum sibi non contradicentium concordiam efficacia spiritus se exerit. *Act. 24, 14. Luc. 24, 27. Joh. 6, 63.*

6. Consensus cum Manifestatione operum naturæ. *Ps. 19, 7. 8. 119, 73. 89. 90 91.*

7. Universalitas ad singulos applicabilis, ubi Deus sub forma ἤθους Judæorum omnes complectitur. *Jes. 45, 22. 48, 17. 18. 54, 13. coll. Joh. 6, 45. Hos. 14.* cap. int.

8. Teneritudo affectiva, qua Deus peccatorem matris instar ad se allicit sibique familiarem reddit. *Ezech. 16, 6. 1 Thess 2, 7.*

9. Unio spiritualis cum conscientia virtusque testifica spiritus. *Gal. 3, 5. 9. 14. 2 Cor. 4, 2. Joh. 6, 63. 1 Joh. 5, 6.*

Horum characterum aliqui vel omnes generant efficaciam. Attributum s. scripturæ secundum.

II. Efficacia. *2 Tim. 3, 15. Hebr. 4, 12.* quæ verbo per characteres enumeratos etiam extra usum actu primo unita est, per

Cum qua coincidit Efficacia.

per quam spiritus s. accedente oratione, meditatione, tentatione *Ps. 119, 67.* effectus supernaturales tanquam causa principalis per instrumentum activum quandoque divisa quandoque indivisa actione producit. *Jer. 23, 22. Joh. 13, 7. Luc. 22, 32. Act. 16, 31. 32. 33. 34.*

Tertium attributum principale est sufficientia.

III. Tertium attributum principale scripturæ est sufficientia & perfectio. Attributa principalia redigi quidem ad duo possunt, auctoritatem & sufficientiam, quoniam secundum juxta distinguendi leges merito reducitur ad primum, sed dandum est aliquid usui.

De sufficientia observandum libros canone consueto comprehensos sufficere, quoniam dicitur *Joh. 20, 30.* multa facta esse, quæ non sunt scripta in hoc libro, & *Joh. 21, 25.* dicitur mundum non capturum esse libros de Jesu Christo describendos. Quamvis igitur *1 Reg. 4, 32.* 3000 parabolæ & 1005 carmina Salomoni tribuantur, tamen ex proverbiis tantum habemus 800. & ex carminibus canticum canticorum, & passim allegantur libri plures. *1 Reg. 11, 41.* Liber Actorum Salomonis, quos colligimus per providentiam studio esse perditos, quia, quos hodie habemus, sufficiunt ad salutem. Quemadmodum igitur

igitur Jesajas in V. T. *Jes. 8, 20.* in re maxime dubia canonem dat legem & suum testimonium ex lege dependens. & *Luc. 16, 29.* ad Mosen & Prophetas ablegatur dives, ita in N. Test. quatuor Evangelistæ, Acta, Epistolæ & Apocalypsis plane sufficiunt ad maxima & minima, quibus Deus in judicio olim sese justificabit ad conscientias, & quod de perfectione Apocalypseos *c. 22, 18. 19.* dicitur, de universo canone scripturæ prædicari posse videtur. Possunt ex. gr. epistolæ Ignatii ædificationi subservire, possunt alii libri ad illustrationem facere, sed probatio competit scriptis nonnisi canonicis.

§. 8.

De Analogia fidei seu articulis extantioribus fundamentalibus.

Methodus eruendi sensus scripturæ partiales sive articulos, & hos in integrales sive membra, hosque iterum in unum totalem seu corpus cum debita proportione & analogia omnium ad singulos compingendi; id a multis inde seculis exercuit Theologos. Utinam videre possemus formam integram veritatis ut formam corporis humani! Chemnitius in libello de typo doctrinæ ex Lexico Suiceri vel Thesauro patrum definivit catechesin per proportionatam summam doctrinæ. Quemadmodum vero talis summa ad mensuram

ram ætatis alicujus discipuli proportionari necesse fuit, ita ut alia summa pro infante septem annorum, alia pro puero quatuordecim annorum quadraverit, sic symbolum Apostolicum quadravit ad ætatem infantilem primorum Christianorum, sed non jam amplius pro nostra ætate sufficit. Surrexere per singula secula controversiæ novæ, ad quas dirimendas symbolo apostolico deficiunt plura. Inde distinctio orta in articulos fundamentales & non fundamentales, in fundamentales primarios & secundarios, in primarios constitutivos antecedentes & consequentes. Fundamentales primarii dicuntur, qui nec negari nec ignorari possunt. Secundarii, quos etsi liceat ignorare, negare tamen salva hominis salute non licet. Dixere Theologi ipsam alicujus articuli fundamentalis negationem ex ignorantia profectam, simul stare posse cum ipsa hominis fide & salute. Negatio itaque differt, prout vel ex ignorantia vel ex obstinatione provenit. Obstinatio autem est negatio systematica dogmatum antecedentium & consequentium inter se connexorum, cum influxu in mores agnito. Adeoque hæ definitiones efficiunt, ut tum veritates tum errores non amplius confide-

siderentur pro influxu intrinseco in mutationem hominis, sed tantum in respectu ad docilitatem vel obstinationem. Sic e. g. Articulus fundamentalis secundarius etiam dici potest, cujus negatio systematica ex obstinatione profecta tollit fidem; at vero sic valde indeterminata fit definitio talis Articuli. Rem sub alia facie sic propono: Veritates conferunt vel ad fidei præparationem per legem, vel ad fidei generationem per Evangelium, vel ad fidei augmentum per sapientiam, vel ad fidei consummationem per continuatam Plerophoriam agonis fidei. Jam quid in his fundamentale? Nonne cujus notitia per se influit in generationem fidei? Sed an lex prædisponens abesse potest tanquam minus fundamentale quid? Paulus unum fundamentum fidei ponit; quod Jesus sit Christus. In hoc latent veritates multæ; Christum habere patrem qui unxit, Christum esse unctum illum Regem filium, spiritum sanctum esse quo unctus est; unctionem Christo datam non pro se saltem, sed & pro subditis regni; omnes hos subditos ad unum corpus & spiritum esse ungendos. Si quis hæc vera fide tenet, fundamentum tenet, reliqua superædificantur

his. In his qui sapit sibi sapit, qui errat sibi errat. Non multum disputavit Paulus de his, sed auditores ipsos sibi prospicere jussit, obligatione à magna die probationis per ignem sumta. Ut fundamentum & superædificata rite se habeant, Paulus hypotyposin, seu formam sanorum verborum *2 Tim. 1, 13.* Johannes doctrinam a principio *1 Joh. 2, 24.* cum unctione ante oculos habere & conservare jussit. Et sic fidei & saluti singulorum satis cautum est. Sed fides universorum seu integrorum cœtuum paulo aliter se habet. Diversis temporibus diversi gradus notitiæ superveniunt. Crescit fides universorum secundum Epochas œconomiæ divinæ. Mensura cognitionis nostri seculi apud universos & singulos alia est, ac fuit ante duo vel tria secula. Hæc mensura symmetriam quandam habet pro Charismatis a Deo in commune datis. Nostra interest nosse Charismata, nosse symmetriam doctrinæ, nosse mensuram cognitionis hujus seculi præ aliis. Unum quid est fundamentum & domus superædificata. Quærere, anhelare, investigare quid hoc sit, satius est quam disputare de catalogo fundamentalium & non fundamentalium. Radix est fundamentum arboris. Ar-

bor

bor quoad tertiam partem ramis detruncata, fundamentum habet. Difficile est ramos enumerare, de symmetria arboris judicatu facillimum. Providit Deus per charismata divinitus doctorum ad veri sensus scripturæ demonstrationem & διδασκαλιαν. Dedit libros symbolicos ad unitatem fidei & ad professionem eandem. Subscribamus his sincera fide, quia scripturis sunt conformia, prout subscripsere ii, qui non tantum sunt de Ecclesia, sed in Ecclesia. Sic pacem colimus pro omnibus, ædificationem pro singulis.

§. 9.

De conclusionibus Theologicis.

Conclusiones theologicæ nihil sunt aliud, nisi quod ipse Johannes dicit, nullum mendacium ex veritate venire. *1 Joh. 2, 21.* Plurima in sacris litteris continentur verbis expressis sæpe repetita, multa etiam ex respectu mutuo veritatum vel propinquarum vel remotarum clarescunt, indice quasi digito spiritus sancti. Magni momenti sunt veritates latentes, sed per habitudinem necessariam expressarum indigitatæ. Potest hic enormis committi δυψυχία, quando habitudines clavis instar ad seram pertinentes, at pro stylo divino occultatæ ab indignis, non æstimantur à fidelibus; aut, si per conclusiones in-

ductæ, negantur. Hinc ſymmetriæ veritatum detrahitur, & ſubterfugia de articulis fundamentalibus & non fundamentalibus ſine fine cumulantur. Non ſunt admittenda facile axiomata naturæ, niſi quæ clariſſima ſunt; ſi ſint minus clara, per teſtimonium & normativum quoddam punctum ſcripturæ confirmata ſint, neque lis reciprocanda de valde abditis, ut de corporeis proprietatibus in humana Chriſti natura, de modis præſentiæ, de modis unionum; nos enim neque corporalium neque ſpiritualium analyſin ultimam callemus.

Quæ verbis diſtinctis expreſſa ſunt, etſi poſſibilitas naturæ ignoretur, ſancte ſunt tenenda, neque ſubterfugiis metaphoricis evacuanda. E. gr. In dicto *1 Cor. 3, 13.* ubi inædificata ſuper fundamentum ad ignem probatorium diei extremæ remittuntur, altercatio feritur inutilis, ſi poſſibilitas ignis phyſici in dubium vocatur, & ſenſus metaphoricus adflictionum contra omnem contextum ſubſtituitur. Peccat contra Majeſtatem verbi divini diſputator temerarius, experietur, ſtipulæ quî conflagrent.

§. 10.

§. 10.

Ex his jam patent officia, quoad vitandos errores, tum etiam officia quoad usus practicos, ad ædificationem sui & aliorum. Usus 1. ad evitandos errores.

Tres sunt errorum fontes 1. Pharisæismus. 2. Sadducæismus, & 3. Essæismus. Ille auctoritati humanæ, iste rationi, hic motibus spirituum plus tribuit, quam par est.

Auctoritatem ecclesiæ pontificii præferunt auctoritati scripturæ, perperam allegato dicto, *1 Tim. 3, 15.* Columna & firmamento veritatis ad ecclesiam, non ad subsequens mysterium magnum relatis; Interpretem auctoritativum principalem nolunt esse spiritum sanctum, sed Papam, conclusiones theologicas admitti debere nullas garriunt, ut obedientiam cœcam, proscripto rationis usu legitimo, tueantur.

Sociniani V. T. obscuritatis arguunt, & tamen sensum scripturæ ex principiis Logicæ naturalis nimium quantum eruere se posse persuasi. Hinc criteria ἐνεργείας scripturæ supra dicta maximam partem negaturi sunt.

Enthusiastæ modos revelationum extraordinarios supra dictos extollunt super ordinarium, de quo Christus Petro dixit: *Matth. 16, 17.* Hinc præter rem

charismata, sibi pro tempore denegata, ad se rapere adfectantes, illusionibus fores aperiunt.

Et ex his facile colligere est, contra quos theses impingant vel Pontificii, vel Rationalistæ, vel Fanatici.

2. ad vitam instituendam.

Officia quoad usus practicos per se patent ex tractatione de Theologia summe practica. Possidere Deum in cognitione Ethnicis incumbit, quidni Christianis, quidni Theologiæ studiosis? His glorificatio Dei instar epularum non una tantum hora, sed continuo delectantium, erit, veritatis gustu delicatissimo semel perfusis. Qui hac mente, hoc studio ad scripturas sacras accedunt, illis stellæ instar primæ magnitudinis conspicua fiet notio δόξης θεοῦ, gloriæ Dei, quæ notio integram s. scripturam quasi jubare replet lucidissimo. *Rom. 2, 7. 10. 3, 23. 5, 2. 8, 18. 21.* Hac δόξη sese orbatum videns peccator recta via ad sanguinem Jesu Christi ablegari se intelligit. *1 Joh. 1, 7.* Per hunc ille semitam certam in luce ambulandi & ad Dei gloriam dirigendi singula prospicit, atque verum ordinem salutis ingreditur ad mentem Johannis, *1 Joh. 1, 5--10.* & sic spe restaurandæ imaginis divinæ in se ipso iterum erigitur.

Hac

Hac semita regulas exegeticas aliquis per se, sub ductu spiritus sancti addiscet, ex characteribus s. scripturæ, quos ipse incipiendo per se ipsum sine doctore inveniet, & e tenuissimis initiis in omnem ambitum veritatis excrescet. Quodsi sub incrementis vitæ divinæ, per mediatam viam, ad immediatum sensum divinitatis & auditionis vocis Dei quis progreditur, ille non fanatico sed maxime ordinato usu mediorum gratiæ eousque pertingit, & habet, unde sibi in æternum gratuletur per inenarrabilem Dei & Jesu Christi gratiam in δόξη terminatam. Scit ille pleno sensu Domini dictum: Qui credit in me, vitam habet æternam in se. Verus ille theologus dici potest, non in ringendo cum disputatoribus sed luctando contra Satanam, ad regnum Dei in schola Christi exercitus; plura experturus, quam centum libris complecti vel exprimere potest. Et vani sunt, qui hoc fanaticum pronuntiant, nemo enim illuc nisi ordinatissimo mediorum gratiæ usu deveniet, & hunc plenum esse scopum theologiæ experimentalis sane clamat universa novi fœderis vocatio. Ille scit, quantum humiliari debeat homo coram creatore suo per Jesum Christum; quæ sit Majestas

verbi Dei, & quanta particularum singularum & vocum divinarum in V. & N. T. spiritualitas; Ille sub unctione vera experitur conclusionum theologicarum latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem.

I. DE DEO.

De Deo, ut uno, secundum cognitionem naturalem & supranaturalem: de fonte attributorum Dei, scil. Vita & Sanctitate: de ipsis Attributis: de Deo, ut Trino: de Creatione & Providentia: (de gubernatione immediata & de gubernatione mediata per angelos, vide art. de novissimis:) *de Prædestinatione.*

§. 1.

Cognitio Dei naturalis describitur a s. scriptoribus inimitabili virtute.

Primo de DEI cognitione naturali agemus, postmodum de revelata.

Deus non longe abest a quovis nostrum, nam in ipso vivimus, movemur & sumus. Sic Paulus *Act. 17, 28.* per summam stili simplicitatem ad interiora hominis sibi naturaliter incognita, loquitur. Quamprimum vero hæc legit, sentit veritatem dicti in se ipso. Sic quando legit, cognoscibile de Deo mani-

manifestum est in homine, Deus enim id manifestavit illi; scilicet duplici modo, partim per rationem; nam invisibilia Dei, inde a creatione mundi per ea, quæ fabrefecit, agitatione mentis intellecta perspiciuntur; partim per sensum abditum, nam non tantum invisibilia Dei, figuris comprehensa, sed & æterna vis & Deitas, figuras transcendens, ipsa sua essentia tangit sub visu sensum internum, adeo ut nesciam, utrum rationem præcedat sensus, an sensum ratio. Ita spiritus s. per stilum simplicissimum abdita naturæ hominis alloquitur, in quibus se quærit, non autem invenit, nisi verbo Dei admonitus.

Describitur hac ratione cognitio Dei naturalis a Paulo, qua non potest ab ullo Philosophorum. Hi enim non spiritualiter, sed psychice tantum judicant, *1 Cor. 2, 14. 15.* Non ad intima penetrant, sed extima tantum ratiocinando attingunt. Illorum aliqui sensu, ratiociniis non oppresso, simplicissimo, rectissimo, a scholasticis conceptionibus remotissimo, similiora scripturis proferunt, quam alii. Hinc olim audivi optantem Illustrem Bülfingerum, testibus condiscipulis, ut quilibet sensa sua de Deo ejusque co-

gnitione insita propriis verbis proferat, quasi nullum unquam terminum audivisset vel a Philosopho vel a Theologo acceptum.

§. 2.

Sancti scriptores notiones de Deo anticipatas, naturales, ferunt plus quam omnes alii scriptores.

Patet ex his, inesse sensum numinis gentibus natione diversissimis, sed alte immersum, eliciendum vel ex fonte interno, vel per externa, vel utrinque simul. Sensus ille latet in continua vitæ, motus & exsistentiæ dependentia a Deo, animæ & omnibus rebus propinquo, quam sibi inesse manifestum est, ubi ratione simplici & directa se ipsum intrat, & in pacatissima quiete præsentia Dei tangitur, nam tum λόγος insitus, vita & lux animæ, a supremo λόγῳ, a suprema vita & a suprema luce, se participatum & congenitum quid esse, in se ipso sentit. *Act. 17, 29. Joh. 1, 3. 4. 5. 9. Prov. 20, 27.* Inde est, quod Johannes ad has tres sensus communis ideas integrum pene Evangelium suum accommodaverit.

Quinque primis Capp. maxime ad λόγον, VIto & VIImo ad vitam, VIIIvo, IXno & Xmo ad lucem pertinentibus. Idea homini præsentissima est ipsa vita, qua vivit, nam vita λόγε est lux hominum, *Joh. 1, 4.* & antequam lucide intelligat homo, vivit & sentit se vivere. Sensus

sus vitæ ex fonte liberrimo animæ prosilit.

§. 3.

Anticipatæ notiones sunt sensus omnibus communis etsi abditus. Quomodo sensus hic elevetur?

Ex hoc profluunt anticipatæ notiones, quæ præverrunt ratiocinationem; ex hoc oritur, quod vel visis vel auditis quibusdam illico applaudamus, etsi causam ignoremus, quæ tamen in harmonia macrocosmi totius cum microcosmi vita latet. Sensus hic corroboratur instructione & ratiocinio, dum quædam, ratione & numeris evoluta, intuemur in universo uniformiter difformia, auctorem clamantia sapientiam propinquam & oprime omnibus cupientem infinitam. *Prov. 1, 20-33. 8, 1-5.* Instructio per ratiocinium nec nimis parva nec nimis magna mensura adhiberi debet ad hæc divina.

Qui ratione destituuntur, sensum hunc voluptatibus crassis perdunt, ut palam obvium est; qui ratione nimium utuntur, itidem sensum hunc obliterant, & idololatriam methodi suæ substituunt vestigiis methodi divinæ. Datur igitur quædam mensura rationis ab interno fonte tactus divini dirigenda, adhibitis quoque externis, quæ simplicissima, utilissima, & maxime necessaria sunt in omni natura. Secundum hanc mensuram sacræ litteræ ratiocinari docent. §. 4.

§. 4.

Quomodo corrumpatur.

Quod quoniam parvi æstimatur ab hominibus, videmus, similem esse fontem errorum in eruditis, qui est in populis idololatricis, quum sensum & instinctum hunc, cui se Deus manifestat, utrique in devia flectant: Illis leges simplificationis sui insuper habentibus & ratiocinatione nuda contentis; his defectu rationis a sensu directæ peccantibus. In aprico est idololatria gentium, eruditorum devia non sunt in aprico. Instigantur philosophi cupiditate adscendendi ad notionem infiniti, per comparationem inter finitum & infinitum, contingens & necessarium; at vero ratiocinatione in terminis, figuris, numeris, modis, abstractionibus, subsistente, defectu simplificationis sui ad ideam vitæ, tanti a Jesu Christo habitam, progredi metuunt, in structura mechanica vitam constituentes. Si vero ideam vitæ prosequerentur, per experimenta supra-mechanicum quid clamantia, comparationem instituentes inter vitam entis limitati & illimitati, parvo at sufficiente rationis usu colligerent, quod per scripturam sacram confirmatum est, esse vitam primitivam, esse lumina a Deo derivata, rerum omnium principia, distincta a Deo,

a Deo, & quia vita sunt, fontem activitatis habentia, composita, solubilia, duplicis ad minimum naturæ, naturalis & spiritualis.

§. 5.

Deus est vita æterna indissolubilis.

Proprietates vitæ creatæ cum vita increata comparando agnoscerent, Deum esse vitam supremam, absolutam ab omnibus imperfectionibus. At illi abstrahunt a vita, extensionem, figuram, motum, pro objecto habentes primario, qua extensionem & spatium finiti & infiniti respectum vident esse nullum; sic facile eo prolabuntur, ut ex mundo finito, terminos demendo, Deum sibi concipiant, (ut necessario concipere debent,) quasi intrinsecum mundi infiniti, pleni & contigui undequaque, etsi argumentum a contingentia & mutabilitate rerum, a Deo oriundarum, pro clypeo habeant suo.

Creaturæ vitam habent solubilem sed in intimo sui indestructibilem.

Proprietates vitæ in creatis rimaturo obveniet primo solubilitas virium, ex quibus vita colligatur, 2. virium agentium & patientium, cœlestium & naturalium, actio mutua circularis. Colligatio virium in Deo non repugnat. Vita in Deo est ἀκατάλυτος, *Hebr. 7, 16.* in creatura κατάλυτον quid, *Matth. 10, 28.* Vita in Deo est ἄφθαρτος δύναμις ἀΐδιος, *Rom. 1, 23. 1 Tim. 1, 17.* in creatura φθαρτὸν,

Jac.

Jac. 4, 14. Deus & φῶς ἀπρόσιτον distincta & diversa sunt, *1 Tim.* 6. 16. & tamen unum sunt, propter indissolubilitatem divinam, necessitatem existendi & inalterabilitatem, *Jac.* 1, 17. In creaturis est alterabilitas, ibid.

Agens & patiens non repugnat in Deo, modo adimas modum patiendi & recipiendi creaturis analogum. Deus enim est actus purissimus, sed manifestativus sui in se ipso, adeoque divinitus recipiens & patiens in se ipso sine transmutatione, lux ardens, non consumens, *Exod.* 3, 2. etsi consumat omnia contraria, *Deut.* 32, 22. Hi vitæ & ἀφθαρσίας divinæ conceptus sunt obvii, faciles, insiti & cum S. scriptura maxime conspirant. Talia Deo competunt ante omnem creationem.

§. 6.

In Deo distinguenda est vita absoluta in se & manifestativa sui extra se.

Deus est ens in se ab omnibus modis temporis, partium, celeritatis, successionis, alterationis, lucis & tenebrarum respectibus absolutissimum. In manifestatione sui est lux & fulgor in se ipsum refluus, originans & originatum, activum & receptivum, demtis imperfectionibus quibuscunque. His conceptibus de vita Dei sensui communi obviis, facile aliquid impurum & indignum adhæret; sed qui se ipsum simpli-

simplificat, ab omnibus imaginibus sese iterum purificat, & anhelat in silentio & puritate mentis, verbis ab ipso Deo subministratis, digne cogitare de Deo, modeste loqui de Deo, & magnifice glorificare Deum; gaudet tamen, sub sensu vitæ Dei sive per creaturarum contemplationem sive per abstractionem a creaturis, obvias habere in sacris litteris expressiones nominum & proprietatum divinarum, quibus ad mysterium Dei Patris & Christi unicum & omnium confessione maximum pertingat. Nemo enim scit, quis sit filius, nisi pater, & nemo scit, quis sit pater, nisi filius, & cui filius id vult revelare, *Matth. 11, 27.*

§. 7.

Transitu a cognitione Dei naturali ad revelatam facto, ulterius progredior. Primum methodi scripturæ vestigia simpliciſſima legam, deinde etiam Thetico-Scholastica.

Cognitio Dei revelata vitam Dei ante omnia cognoscendam objicit, & Deum per vitam definit.

Filius Dei de patre loquens, *Joh 5, 26.* vitam Dei iterum iterumque considerandam proponit. Secundum illum sermonem Pater est, qui habet vitam in semetipso; Filius est, cui dedit pater, habere vitam in se ipso; Spiritus sanctus est Spiritus Filii, *Gal. 4, 6.* eam ipsam ob rationem, quia filius accepit a Patre,

a Patre, ut vitam & in hac ſpiritum habeat in ſe ipſo. Eſt etiam Spiritus Patris, quia eſt Spiritus veritatis procedens a Patre, *Joh. 15, 26.*

Et quoniam vita a Jeſu Chriſto propoſita ex Spiritus ſancti interpretatione Apoſtolis δόξα h. e. gloria & immortalitas adpellatur, *Rom. 1, 23.* qua Chriſtus a mortuis reſuſcitatus, *Rom. 6, 4.* & qua corpora fidelium morti obnoxia revivificabuntur, *Rom. 8, 11.* Spiritus enim vita eſt, *v.* 10. hinc ſecundum eundem tenorem Deus Stephano dicitur θεὸς τῆς δόξης, Deus gloriæ, *Act. 7, 2.* Paulo pater gloriæ, *Eph. 1, 17.* Filius a Petro adpellatur, cui dedit Deus gloriam, *1 Petr. 1, 21.* & a Jacobo Jeſus unctus gloriæ, *Jac. 2, 1.* adeoque δόξα eſt diſtinctum quid a Deo & tamen unum & inſeparabile a Deo. Ipſe Jeſus petit a Patre glorificari ea gloria, quam habuit apud ipſum, priusquam mundus erat, *Joh. 17, 5.* & eam ipſam gloriam ponit in communi Patris & Filii & fidelium vita: *Joh. 17, 22.* dedi eis gloriam, quam dediſti mihi, ut ſint unum, quemadmodum nos unum ſumus. Jam de vita æterna Patri, Filio, Spiritui ſancto & fidelibus communi multæ poſſent quæſtiones formari, ſed talia nemo vere intelligit, niſi cui dies illuxit,

illuxit, quam olim jam vidit Abrahamus cum exsultatione, *Joh. 8, 56.* qua dignoscat id, quod dixit Jesus suis, *Joh. 14, 20.* Illa die agnoscetis, quod ego in patre sim, & vos in me, & ego in vobis. Teneamus tantisper potissima & gravissima Jesu Christi oracula de his & similibus, contenti hactenus observatione dicti Johannei, 1 *Joh. 2, 24.* Si manet apud vos, quæ a principio audivistis, tum & vos manebitis in Filio & Patre. Docebit quemvis unctio secundum gradum & ætatem in spiritu, quantum cuique competit.

Quæ de δόξα Dei retuli, ea his, qui a Philosophia conceptus suos anticipant, non videntur Deo digna. Dixi, δόξαν esse distinctum quid a Deo & tamen a Deo inseparabile. Jam dicunt, aut gloria Dei cum omnibus potentiis, quæ ei insunt, est aliquid a Deo diversum, aut cum Deo unum. Si est unum, & inseparabile quid a Deo, tum creaturis non potest communicari, si est diversum quid, tum & gloria est creatura quædam. Respondeo assumendo utrumque & negando consequentias. Est unum & tamen pro libertate Dei communicari potest & filio suo & hominibus sanctis, prout literæ sacræ clamant. Est diversum & tamen non crea-

tum, sed cum filio generatum. Generatio nec incipit nec desinit, est in actu continuo omnium proprietatum. Quid nos scimus, quæ proprietates Deo insint? Aspiciamus rubum ardentem Mosi revelatam, & discamus quid Deus sit. Omnimoda perfectionum possessio & repræsentatio realis Mosi non fuit primum cogitabile. Deus habet abyssos multas, βαθη, habet omnia quæ in creaturis sunt eminenter, habet activum & passivum, habet gradus & non gradus, habet omnia simul & tamen successionem in essentia, habet exitus & non exitus quia ipse est infinitus. Adeoque habet unum & infinitas diversitates ab æterno, habet æternam attractionem & repulsionem, habet ignem consumentem & non consumentem, habet proprietates corporeas & incorporeas. Sed quia Deus est actus purissimus omnium proprietatum, nil materiale, nil tenebrosum, nil alterabile manet in Deo, sed quamprimum potentias ex potentiis δόξης in creaturam derivat, ipsæ illæ potentiæ in continuo fieri positæ, in continua manifestatione sui actuosæ, non sunt in creatura ut in Deo. Deus ex essentia sua essentias generat, hinc est pater Luminum, Pater δόξης, Pater lucis, sed essentiæ modum creaturalem

ralem accipiunt in ipso fieri. Si sunt in Deo vires contrariæ ut attractio & repulsio corporeitas & incorporeitas, omnis imperfectio ob indissolubilitatem vitæ exulat, sed in creatura propter dissolubilitatem quibusdam tenebris seu quodam materiato terminantur. Non dici potest ex non manifesto Deum fieri manifestum, nam, non manifestum esse, in abyssis divinitatis exulat, & tamen sunt abyssi, quas Spiritus s. scrutatur demum, non simultaneo actu videt. Taceant Philosophi & Jobi pœnitentia manum ori imponant. Audiant, non anticipent, sintque discipuli verborum spiritus, qui solus scit quid sit in Deo, 1 *Cor.* 2, 11. adeoque si essentiam, existentiam, subsistentiam de Deo proloquimur, sonos non res cogitamus, consulimus solum infantiæ nostræ. Nam etsi essentia aliud quid sit, quam existentia vel subsistentia, tamen nescimus quid sint donec in loco Mosis sumus.

§. 8.

Notanda etiam sunt ex s. scriptura, quæ de nominibus Dei habet; præcipue de Jehova & Ælohim. Jehova est idem, quod *Exod.* 3, 14. exstat: Ero, qui ero; & *Jes.* 41, 4. Ego Jehova primus, & postremis sc. generationibus ego idem sum. *Ps.* 102, 27. ὁ αὐτός. Nomen

Cognitio revelata de attributis & nominibus Dei, inprimis de nominibus Ælohim & Jehova.

ælohim non tam ab adjurare, quam a posse & viribus valere, & hinc colere & adorare obtinet. Conjungitur cum El, ut *Gen.* 33, 20. ubi altare adpellatur a Jacobo Æl ælohe Israel. Potens est ille Deus Israelis. *Gen.* 1. solum nomen ælohim, non vero Jehova, rebus creandis adjungitur. *Ps.* 53, 5. 6. ælohim nominatur propter potentiam Dei super hostes. *Ps.* 14. ejusdem tenoris mutatur denominatio ælohim in Jehova propter fœdus in Christum erga fideles. Igitur Jehova ad manifestationem Dei per fœdus in Jesu Christo uno verbo ad vitam Dei spiritualem; ælohim ad manifestationem ejus per opera naturæ seu ad vitam Dei naturalem refertur. Quamvis enim naturalis vita in Deo simul sit spiritualis indivisim, tamen per nomina diversa innuitur manifestatio unius vitæ præ alia. Ex his patet, quam acute Bohlius Deum definiverit: Deus est spiritus æternus, unus, bonus, verus, omnium rerum ælohim, omnium actionum Jehova. Quanquam enim Jehova essentiam essentiarum, seu potius essentiatorem essentiarum denotet, tamen in nomine Jehova, quatenus respicit creata, magis attendendum est ad libertatem seu voluntatem Dei h. e. ad vitam Dei spiritua-

ritualem, per quam habent res intimum sui esse, *Apoc.* 4, 11. quam ad potentiam seu vitam naturalem, quæ radicem habet in nomine æl, ælohim. Bene itaque dicitur Deus rerum ælohim, actionum Jehova.

§. 9.

Porro distinguebatur jam in V. T. unitas & individibilitas a modis subsistendi. Unitas patet ex *Deut.* 6, 4. modi subsistendi ex vocibus Panim & Makom. Illud notat Deum in facie distinctum per characterem personalem; hoc locum vel subsistentiam, receptivitatem sive terminum manifestationis. De illo dixit Jehova ad Mosen, viam Dei scire cupidum, *Exod.* 33, 4. facies mea ibit; quod ex ℣. 17. patet, Jehovam ipsissimum in facie adfuisse; h. e. Jehova in filio fuit ipse Jehova, licet facie & personali manifestatione distinctus. Vox makom reperitur ℣. 21. ubi dicitur: Ecce subsistentia est mecum, tu autem collocaberis super petram, & quando transit gloria mea, obtegam te manu mea, sed quum amovero manum meam, videbis posteriora mea; Facies autem mea videri non potest. Videtur hic subsistentia & posteriora Dei pro iisdem fere sumi. Dicitur autem, quod Moses aliquandiu

De unitate Dei & de modis subsistendi.

manu tegendus sit, donec aliquid subsistentiæ hujus puræ, h. e. adhuc extra carnem Christi videri possit.

Modi subsistendi realiter in vita divina distincti probantur inde, quia in sacris litteris contradistinguitur verus & essentialis Deus vero & essentiali Deo, ubi unus non est alius, & tamen in essentia est unus & idem. Legat quis integrum textum *Zach. 2;* Nervus hic est ℣. 12. coll. ℣. 13. Dixit Jehova Zebaoth: post gloriam misit me; adeoque Jehova Zebaoth mittitur, at a quo? respondet ℣. 13. a Jehova Zebaoth. Distinguitur Jehova Zebaoth missus a Jehova Zebaoth mittente. Idem tenor inest ℣. 14. 15. Ita porro *Genes.* 19, 24. Jehova, qui pluit, distinguitur a Jehova, a quo pluit. *Dan.* 9, 17. Deus captivorum Judæorum misereſcens distinguitur ab Adonai, propter quem misericordia obtigit. *Jer.* 23, 5. 6. Jehova suscitans distinguitur a Jehova Messia suscitando, quem vocabunt: Jehova justitia nostra. *Hos.* 1, 7. Jehova salutem promittens distinguitur a Jehova salvatore, per quem salvatur Israel. Ita Spiritus S. *Ps.* 34, 6. *2 Sam.* 23, 3. charactere suo personali distinctus legitur, ut alias passim. Apparet igitur, tria esse, quæ vere subsistunt, & tamen constat, Deum esse unum. §. 10.

§. 10.

Juvat etiam ex N. T. loca illa conferre, ubi occurrunt particulæ ex, per, in. 1 *Cor.* 8, 6. *Eph.* 4, 6. *Rom.* 11, 36. *Gal.* 3, 20. Juvat considerare, quid sint exitus, mozaoth, ex Deo, *Mich.* 5, 2. de filio Dei prædicati. An septem spiritus sub septem oculis & sub septem lucernis aurei candelabri designati *Zach.* 4, 2. 10. ejusdem ordinis sint, cum mozaoth, *Mich.* 5. Considerationes de Deo modestæ, haud festinanter decidendæ.

Cur in proverbiis de Deo & sapientia, non de tribus mentio facta sit? Cur itidem in Evangelio Johannis Dei & verbi non etiam spiritus mentio fiat? An sapientia coincidat cum λόγῳ, paralleliſmo perfecto? cur sapientiæ tribuatur lusus archetypus essentiarum originalium? an hoc idem dici possit de λόγῳ? Porro quid sit illud in Deo, quod sub nomine oculorum, pedum & aurium divinarum indigitetur, quod sub nomine manuum, brachiorum & digitorum, quod sub nomine oris & narium? Nonne omnipræsentia, omnipotentia & omniscientia? An Deo competant hæc sensoria, si non corporaliter, tamen proprie? si proprie, quomodo distinguantur, ne sub vocibus spiritus sancti battologias Alcoranis in modum pro genio populorum orienta-

lium ſtatuamus? quando attributa, quando perſonæ innuantur, ut, ſi per digitum ſpiritus ſanctus, per brachium filius Dei? quam caute procedendum, ne meris metaphoris fœcunditatem ſenſus ſcripturæ reddamus inanem; quomodo attributa Dei methodo ſpiritus ſancti denominanda? quid ſit Deus in ſanctuario? quid ſit Deus in expanſo roboris ſui, *Pſ.* 150, 1.? Quomodo differant Cabhod & Os, gloria & robur, *Pſ.* 96, 7. coll. cum robore gloriæ, *Col.* 1, 11.? quid ſit Hod & Hadar & Tipheret in Deo, triumphus & ornamentum & pulchritudo, *Pſ.* 96, 6. coll. 1 *Chron.* 29, 11. ubi magnitudo, fortitudo, pulchritudo, victoria, triumphus attributorum more Deo competunt. *Pſ.* 145, 3-9. Sed hæc ſufficiant pro exercitio libero meditationis. Unum addo, Judæos præcipue Rabbi Iſaac in libro Jezira tres numerationes, quas nos perſonas dicimus, tribus Jod ׳ ſub notato Kamez deſignare. Nomen ineffabile niſi die propitiationis non pronuntiabatur; ſed loco hujus teſte GALATINO in libro de arcanis cathol. veritatis C. 10. p. 82. & teſte SCHICKARDO noſtro Tubingenſi in diſſert. de nomine Tetra-grammato p. 16. dictum

eſt

est Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, tres in uno, unus in tribus.

§. 11.

Cognitio Triadis pragmatica salutaris quomodo instituenda?

Afferenda sunt, quæ suavius adficiunt animam anhelantem ad ea, quæ sunt saluti proxima. Mysterio pietatis summopere conducit demonstratio, quod veritates V. T. præcipuæ non explicari queant sine Triadis cognitione. Jehova Deus noster per prophetas in V. T. iterum iterumque repetit, justitiam nostram prodire debere ex se ipso, *Jes.* 54, 17. Hæc est hæreditas servorum meorum & justitia eorum a me, dicit Jehova. *Jes.* 49, 26. ait, se esse Jehovam salvatorem & redemtorem potentem in Jacob. *Deut.* 32, 15. ait, esse se petram salutis. Dicit porro *Ezech.* 20, 12. se esse sanctificatorem Israëlis. Dicit *Jes.* 60, 5. manifestatum iri gloriam Jehovæ & omnem carnem visuram, quod Domini os id eloquatur. David in Psalmis non una vice canit fore, ut Jehova rex super omnem terram adpelletur, *Ps.* 97, 1. 99, 1. 24, 7-10. Magnifica & mira eructat Zacharias, *cap.* 14, 9. & erit Jehova rex super omnes terras; illo tempore Jehova nonnisi unus erit, & nomen ejus nonnisi unum. Jehova quidem quoque Hierosolymis *Jer.* 33, 15. tribuebatur

sed Jesajas hoc *cap.* 23. ad Messiam refert, & intransitive reddi debet, in Jer. vocabitur ei, non vocabitur urbs Jehova. Jam vero harum impletio prophetiarum inde ab initio N. T. cœpit fieri, & implebitur semper magis & magis. Universa ad Romanos epistola demonstrat, per filium Jesum Christum justitiam Dei ad nos venire, *cap.* 1, 7. 3, 21. 22. 4, 16. 5, 17-19. 8, 3. 4. Christum esse illum salvatorem & redemtorem potentem, *Col.* 2, 15. Christum esse petram salutis, 1 *Petr.* 2, 4. 6. In Christo esse salutem illam a prophetis deprædicatam, *Act.* 4, 12. 10, 43. sermones Jesu Christi & Apostolorum eo maxime collimant, ut spiritum sanctificationis exhibeant ab Ezechiele promissum. *Rom.* 1, 4. 2 *Thess.* 2, 13. 1 *Petr.* 1, 2. *Joh.* 17, 19. 1 *Thess.* 5, 23.

Totus N. T. stilus de doxa in filio manifestanda & communicanda resonat, *Joh.* 17, 1. 2. 2 *Cor.* 3, 3-17. *Act.* 3, 13. 15. 16. 20. 21. *Eph.* 1, 18. *Col.* 1, 11. 27. 2 *Thess.* 2, 14. Integra Apocalypsis Johannea perruptis regnorum mundanorum repagulis Deum & Christum ejus in æones regnaturum concinit, *c.* 11, 15. 15, 3-5. 19, 11-16. 20, 4. Hæ V. T. expressiones non plene intelliguntur sine patefacto Triadis mysterio. Sanctitas,

ditas, universalitas & tota auctoritas & efficacia verbi prophetici, tum etiam magna illa & spiritualis commendatio ad conscientias videri, agnosci, observari & simul intelligi, secundum *Jes.* 41, 20. non potest sine perspicientia, quomodo Deus in unum colligaverit omnia salutis & vitæ verba in mysterio patris & Christi. Quando autem oracula V. T. in ænigmate dicta & tamen cum amplitudine reperita per gloriam jubaris N. T. in corda nostra repercutiuntur sub obtutum collecta unum, tum vero demum cum voluptate legitur V. & N. Testamentum.

Filius & Pater unum esse debent, si, quæ Pater de se prædicat, per filium æquali robore perficiuntur. Pater, Filius & Spiritus s. unum esse debent, si, quæ Jehova in sua eloquitur persona, adimpletur in filio per spiritum sanctum. Dicit Jehova: Ego ponam inimicitiam inter satanam & mulierem, nonne hoc fit per Spiritum s. nonne per Spiritum illum amamus Deum, odio habemus satanam, oramus filialiter & pugnamus contra mundum?

Hic Deus non potest esse Deus noster sine remissione peccatorum, sine justificatione & sanctificatione; jam vero per filium accipimus remissionem, &

& per Spiritum obsignationem & sanctificationem, & quemadmodum redemtio Jesu est causa salutis, sic sanctificatio Spiritus est causa vitæ & gloriæ, qua Deo vivimus, in communione cum Patre & Filio.

Methodus Thetico-Scholastica.

§. 12.

Formulæ Theticæ. Cognitio Dei naturalis est vel insita vel acquisita. Probatur dari insitam.

Th. I. Cognitionem Dei naturalem esse vel insitam vel acquisitam. De insita B. noster HOFFMANNUS ait, illam & ἔμφυτον adpellari. Theologi probant illam ex dicto Pauli, Ethnicos opus legis scriptum in cordibus exhibere, *Rom.* 2, 14. Deinde probant illam ex notionibus naturalibus a Paulo, *Act.* 17, 27. 28. enumeratis, quibus quasi manibus contrectari Deus & quodam contactu in operibus sentiri possit; confirmat id ipse CICERO, Lib. I. de natura Deorum, nullam esse gentem, quæ non habeat sine doctrina anticipationem Deorum. Insita illa secundum Theologos non est posita solum in mera facultate ratiocinandi, sed in indelebili conatu ad Deum, & in potentia quadam intellectivæ superaddita, quo sensu Musæus eam per potentiam propinquam describit. Introd.

trod. ad Theol. C. 2. §. 19. B. D. OSIANDER & D. HOCHSTETTER habitui analogam esse volunt. His tamen omnibus clariora sunt, si, quæ sacra scriptura dicit, in unum redigantur, & exinde inferatur, quod mutuus respectus oraculorum colligi vult. Ut *Prov.* 20, 27. Spiritus s. anima hominis est lucerna Dei; Hoc plus dicit, quam notitias insitas, dicit imaginem lucentem lucis supremæ, dicit irradiationem idealem sive intellectualem, cogitationes autem tantum dicuntur jæzær cordis, *Gen.* 6, 5. πλάσμα seu formatio figurata; & *Eccles.* 7, 30. cogitationes opponuntur luci illæ directæ. *Zach.* 12, 1. dicitur Deus formans Spiritum in medio cordis, *Jes.* 57, 16. *Ps.* 145, 15. Nonne hoc desiderium ad originem conversum dicit? nonne hoc plus est, quam potentia intellectivæ superaddita?

Notitia acquisita vel ex discursu acquirenda probatur a Theologis *Ps.* 19, 2. *Job.* 12, 7-10. sed quousque ille discursus procedere debeat, ut demonstratio de existentia Dei sit scientifica id recentiores Theologi ita efferunt, præcipue Illustr. Dn. BÜLFINGERUS in Collegiis suis. Apostolus Paulus in dicto *Rom.* 1, 19. 20. medium terminum

probatur dari acquisitam.

num non expreſſit, nec oſtendit, quis ſit nervus illationis ex effectu ad cauſam. S. ſcriptura adhibet argumenta talia non ad probandam exſiſtentiam, ſed ad attributa. Argumentum ab ordine nil probat, niſi ſupponas, ordinem eſſe contingentem, nam ſi hic ordo rationem ſui in ſe habet, mundus eſt ens neceſſarium. Nego, ſcientifice demonſtrari Dei exſiſtentiam ex opere creationis, niſi admixta contingentiæ idea; nam non demonſtrare vales, mundum non habuiſſe rationem exſiſtentiæ in ſe, niſi per ideam contingentiæ, qua aliter potuit eſſe mundus. Contingentia ergo mundi probat exſiſtentiam entis a mundo diſtincti. Ad demonſtranda reliqua attributa, argumenta a proprietatibus mundi, ſcilicet ab ordine ſufficiunt.

§. 13.

Definitio Dei.

Th. II. De Definitione Dei. Deus eſt Spiritus inviſibilis, infinitus a mundo & anima diſtinctus. Eſſentia ſpiritualis

1. Una, non multiplicabilis, ſed communicabilis tamen, ſc. tribus perſonis.

2. Simpliciſſima, excludens compoſitionem materiæ & formæ, ſubſtantiæ & accidentis, potentiæ & actus, ſuppoſiti

positi & naturæ, essentiæ & existentiæ. Sed simplicitas Dei per ἀναταλυσιαν explicari debet, alioque sensu caret.

3. Æterna, sine successione & mutatione.

4. Immensa, cum virtute & potentia ad producenda omnia possibilia, tum essentia, juxta quam non potest esse ubique citra extensionem & circumscriptionem.

5. Intelligens & volens.

6. In tribus personis subsistens.

§. 14.

Th. III. De Attributis Dei. Illa sunt — Attributa Dei.

1. Unitas Deo tributa α) adsertive, *Deut.* 6, 4. β) negative, *Deut.* 4, 35. γ) exclusive, 2 *Reg.* 19, 15. — 1. Unitas.

2. Simplicitas, quæ quidem sub denominatis respectibus ex scriptura demonstrari nequit, at illi tamen usui sunt ad arcendos conceptus temerarios. — 2. Simplicitas.

3. Æternitas, qua Deus, quidquid est, simul est, & in se ipso successionem excludit. Prævidet quidem successiva; sed hæc successio non est in actu, sed in termino visionis. — 3. Æternitas.

4. Immensitas, qua Deus nulla replicata unitate exhauriri potest. Immensitas est non tantum virtutis, quando poten- — 4. Immensitas & Omnipotentia.

potentia Dei, etsi absoluta, tamen non fit secundum sufficientiam virium, quia exercitium potentiæ semper ordinatur ab aliis attributis; sed & substantiæ & essentiæ in omnipræsentia, qua Deus in inferno æque ac in cœlo præsens est secundum indistantiam, non tantum secundum operationem. Modum omnipræsentiæ Theologi ita exprimunt, Deum præsentem esse non synecdochikῶς, ut comprehendatur ab aliquo, sed συνεκτικῶς, ut ipse comprehendat omnia, non circumscriptive, nec definitive, sed repletive, ita ut sit ubique totus.

Saxonicorum a Tubingensibus dissensus circa omnipræsentiam Dei.

Accusabantur olim Tubingenses a Saxonicis, quod libertatis divinæ exercitium ex idea omnipræsentiæ eliminaverint, & hanc formaliter in substantiali adessentia posuerint, nulla liberæ voluntatis interposita dispensatione, sed hodie lites illæ per alias obliterantur.

5. Omniscientia.

α Intellectus Dei.

5. a) Intellectus Dei est actus purissimus solum in signo rationis a Dei essentia distinctus, quo Deus se ipsum & omnia extra se, per se, in se ipsis cognoscit & infallibiliter præscit, etsi nondum in suis causis secundis sint. Notanda hic triplex Dei scientiæ distinctio α) simplicis intelligentiæ, vi cujus

jus Deus omnia possibilia & futura contingentia uno actu & immediate novit, *Ps.* 139, 2. *Gen.* 15, 13. β) visionis, qua præterita, præsentia & absolute futura præscit, 1 *Sam.* 2, 3. γ) scientiæ mediæ, qua conditionate futura prænovit, *Matth.* 11, 21. 1 *Sam.* 23, 11. In *Apocalypsi c.* 20, 12. mentio fit librorum, & unius libri vitæ; secundum contenta librorum fiet judicium: in libro vitæ nomina inscripta sunt hæredum vitæ.

β Voluntas Dei.

b. Voluntas est tum ad intra, tum ad extra. Ad intra est ipsa libertatis plenitudo cum bonitate absoluta coincidens, diciturque, *Rom.* 11, 33. βάθος πλάτε. Ad extra est promtitudo adplicandi activitatem ad producendum omne bonum pro mensura bonitatis. Comprehendit α) justitiam, hoc est, sapientiam cum amore temperatam, 2 *Thess.* 1, 6. *Rom.* 2, 5. 8. β) bonitatem, vel in se considerandam, *Matth.* 5, 48. perfectionem dictam, & *Jac.* 1, 5. simplicitatem nemini in fide petenti aliquid exprobrantem; vel respectu aliorum, quibus Deus bonus est, in genere causæ efficientis, exemplaris & finalis. *Jac.* 1, 17. *Ps.* 73, 25.

Comprehendens justitiam & bonitatem.

§. 15.

Comparatio hujus ordinis

Quod si hunc ordinem attributorum cum

attributorum scholastici, eum ordine scripturario.

illo, qui a Paulo 1 *Tim.* 1, 17. & *c.* 6, 15. 1 *Chron.* 29, 11. enumeratur, contulerimus, ubi dicitur 1) rex æonum, 2) incorruptibilis, 3) invisibilis, 4) solus sapiens; & altero loco 1) beatus, 2) solus dynasta, 3) rex regum, 4) solus immortalitatem habens, 5) lucem habitans inaccessam, 6) invisibilis, videbimus esse differentiam inter methodum scholasticam & sacram.

Leibnizianorum ordo attributorum: Aseitas, ex qua immutabilitas & independentia, unde pendent reliqua.

Aliter attributa Dei ordinant LEIBNIZIANI, aliter NEUTONIANI. Non abs re erit, instituere comparationem inter methodum illorum & horum. LEIBNIZIANI incipiunt concludere a contingentia ad ens absolute necessarium, quod habet rationem existentiæ suæ in se, & hæc dicitur aseitas. Ex aseitate fluit tum immutabilitas & æternitas, tum independentia & infinitudo. Contingentia mundi non habet rationem in ipsa Entis a se essentia, alias ipse mundus esset necessarius; habet igitur in actu aliquo electivo, quem præcedit intellectus. Hæc attributorum ordinatio ex metaphysica profluens est LEIBNIZIANIS valde utilis ad consequentias ethnicas amoliendas. Methodus ordinandi NEUTONIANA incipit a libertate Dei, qua usus est in formando universo. NEUTONO mundus

Neutonianorum ordo, quibus primum attributum est Æternitas.

non

non est ab æterno, ut LEIBNIZIO; creavit illum Deus libere. Primum igitur attributum Dei ipsi est æternitas seu necessitas exsistendi, dicto *Ps.* 90, 2. comprobata. Secundum est activitas Dei in creando libera, per potentias supra-mechanicas sese exserens, inter quas gravitatio est exstantissima, qua suspensa reciderent omnia in atomos sine ordine, *Ps* 104, 24. Tertium est omniscientia, qua Deus numeravit atomos, *Hiob* 38, 37. & adessentia sua quamvis atomum tenet. Quartum est sapientia, qua cuivis atomo non tantum adest, sed & eas in organismum & fines disponit, &, qualis est in minimis, talis est in maximis. Hinc dicitur numerare stellas & nominare nominibus, *Ps.* 147, 4. 5. nec est investigatio intelligentiæ suæ, ℣. 24. Hinc in scriptura dicitur, quod non tantum per sapientiam, sed etiam in sapientia fecerit omnia, & qualis est dispositio in mundo naturali, talis etiam est in morali. Quintum potentia, cui nil resistit, & qua tum magnitudinem tum velocitatem corporum regit, potentiis supra-mechanicis trahit, penetrat, movet. Sic Planetæ ultra 400 milliones millionum cubicarum milliarium continent, qui in annua motione per unam

Secundum Libertas non exclusa omnipræsentia.

Tertium omniscientia ex omnipræsentia.

Quartum sapientia.

Quintum omnipotentia

horam 52000 milliaria velocitate peragrant. Hinc Elihu Jobum his & similibus mirari jussit, *cap.* 37, 14-16. Inde confessio Jobi ante per resistentias in creaturis obtenebrati, *Job* 42, 2. 6.

Sextum jam in secundo supposito, est omnipræsentia.

Sextum est omnipræsentia. Non possumus omnipræsentiam in exercitio concipere nisi per adessentiam substantialem Dei per potentias illas. Sol mundo per radios virtuali tantum præsentia adest, Deus substantiali, unde totus Psalmus 139. in nexu. Alia notio cum sensu communi non consistit. Omnipræsentia Dei est illimitata. Universum in partibus & in toto est limitatum. Inde est, quod Deus dicatur inhabitare æonem; dicitur enim *Jes.* 57, 15. κατοικῶν τὸν αἰῶνα.

Septimum immaterialitas & ἀφθαρσία

Septimum est immaterialitas; nam Deus auctor potentiæ gravitationis æqualiter præsens est in solidis, ut in spatio extra solida, nec mechanico impulsu agit externe in superficie tantum, sed penetrat corpora, secundum quantitatem materiæ in corpore quovis. Hinc clarescit ejus immaterialitas.

Octavum, bonitas.

Octavum, beneficentia, qua tellus plena *Ps.* 33, 5. 107, 43. Irregularitates morales & naturales reservantur ad diem judicii,

Nonum, immutabilitas.

Rom. 2, 5. Nonum, Immutabilitas, resplendet ex constantia & uniformita-

te

te regularum, secundum quas omni tempore & loco in motu, attractione, gravitatione, refractione, potentias illas exserit. Aliquando Deus supra regulas illas agit, 2 *Reg.* 6, 5. 6. Quo demonstratur, Deum immutabilitate sua non impediri in libertate. Decimum: vita actuosissima. Deus enim dicitur vivus non tantum in oppositione ad idola, sed etiam in se, quoniam spiritus Dei est in actu continuo. Agnovit id Darius, *Dan.* 6, 26. 27. Undecimum: Unitas in infinitudine. Elucet hæc in concordia rerum tam diversarum & potentiarum supra-mechanicarum ex uno fonte. Duodecimum: Dominium & Auctoritas ex ea ratione, quoniam in eo vivunt, & moventur, & sunt omnia. Tales titulos auctoritatis, propter quos Deus cum jubilo celebrandus est, allegat David, *Ps.* 95, 3-7. Dices hæc attributa non tam Logice cohærere, quam LEIBNIZIANA: sit ita, dummodo rationi cognoscendi ex creaturis sit convenientior; nemo dabit Logicum ordinem in Ente supremo, neque Logicum ordinem invenies in 1 *Tim.* 1. & 6. & 1 *Chron.* 29, 11.

Decimum, vita actuosissima.

Undecimum Unitas in infinitate.

Duodecimum, Dominium.

§. 16.

Th. IV. In mysterio Trinitatis optandum fuisset, ut Theologi de legibus

De mysterio Trinitatis ante omnia

convenien-dum esset in Legibus ex-plicandi mysteria.

veniſſent tractandi myſteria. Myſterium non invenitur viribus naturæ, de eo conſtat maxime per externum teſtimonium, nec partes ſingulæ, nec totum, nec ejus nexus ita intelligitur ex teſtimonio, ut dici poſſit cognitio perfecta, niſi Deus cognitionem dederit numeris definitam. Nihil igitur in myſteriis eſt obtrudendum, niſi quod e terminis teſtimonii expreſſis patet, &, quæ ex his eruta ſunt, formulis firmari debent, quantum fieri poteſt, non a Philoſophia ſumtis. Ante Concilium Nicænum formulæ non invaluerunt. In Nicæno cœptum eſt, formulis arcere hæreticos. Formularum ſenſus eo usque examinandus eſt, donec concors inveniatur cum ſcriptura. Optandum eſſet, ut idem proceſſus a quovis teneretur, qui inde ab infantia eccleſiæ ad provectiorem nunc ætatem ſucceſſive exſtitit. Methodus ſcripturaria cum ſcholaſtica ſi committitur, etiam ad id conferre aliquantum poteſt. Sed vero etiam eo pertinet Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſcopo dogmatico ex ipſis fontibus haurienda. Hæc audivi in votis fuiſſe Illuſtri BÜLFINGERO, Præceptori olim meo. Ego quidem non tantum Illuſtr. BÜLFINGERI, ſed & ipſius veritatis ab ovo ſcrutandæ, impulſu

Quid cuivis incumbat, nempe myſteria ſine terminis technicis primo ex S. Scriptura eruere.

pulsu feci hoc, legi Patres per integrum annum, scripturas in principio sine commentariis Steganographice quasi deciferandas investigavi per plures annos, simul & Arianorum & Socinianorum, nec non aliorum argumentis tantantisper cessi locumque dedi, quasi ipse unus ex illis essem. Scripsi etiam Theologiam quandam, quasi nullum audivissem terminum technicum, & quamvis ipse mihi miratus sim, me hac via tantopere LUTHERANUM esse factum, tamen effugere non potui, quin ab aliis heterodoxus habitus fuerim. Sic fit, ut consilia theoretice data theoretice adhibita magno alicui sint usui, at vero in seriam praxin versa, quod a pauciſſimis fit, detrimento, immo & risui. Sed veritas manet tamen immota; rupes omnibus, qui constantiam cordis præferunt favoribus hominum. Non est locus hic ulteriori diverticulo. Properandum est ad exponendum hujus mysterii sensum publicum formulis circumseptum. Lis inter Ecclesiam orientalem græcam & occidentalem latinam fuit de definitione Personæ, hypostaseos formulam illa, Personæ hac adsumente. In Persona definienda inesse debet aliquid, in quo conveniant singulæ tres, & aliquid, in

Sensus mysterii Trinitatis sub formulis technicis quomodo stabiliendus?

Definiendum, quid sit Persona?

quo differant. Conveniunt, quod cuivis personæ competant nomina, attributa, opera & cultus divinitatis. Differunt quoad actus personales, generationem & spirationem, e quibus fluunt proprietates, paternitas, filiatio & processio & notiones personales: innascibilitas & spiratio activa. Est igitur uno verbo Persona, cui præter communia divinitatis idiomata competit peculiaris subsistentia, & propter hanc incommunicabilitas. Patris est generare, Filii est generari; Spiritus est procedere. Generatio Patris activa est unitatis per purissimum actum commotio in dyadem, sed sine motu locali & divisione. Generatio filii passiva est exitus generati non localis, sed manifestativus essentiæ generantis ad intra. Processio iterum non est exitus localis, sed æterno actu hypostatico illuminativus, 2 *Cor.* 4, 6. & ubi se creaturæ communicat, distinctivus sui pro puritate recipientis. Hinc Judæi tertiam personam adpellarunt Binah, a distinguendo. Exitus & processio Spiritus sancti, quatenus sit a Patre & ab unigenito distinguendus est ab exitu circulari potentiarum supra-mechanicarum supra memoratarum, quæ in scripturis adpellantur quandoque os, oculi,

Personæ definitio.

definitur Generatio activa Patris.

Generatio passiva filii.

Processio Spiritus S.

Quid sunt os, oculi, nares, digiti Dei sec. scripturam sacram.

li, nares, manus, digiti Dei. Earum vero exitus est circularis vel rotatio & adpellatur a Jacobo rota vel rotatio naturæ, *Jac.* 3. quatenus per circulares illas potentias spiritus naturam actuat, movet & sustentat. Hinc differentia processus personalis ab exitu potentiarum libere in circulum directarum.

§. 17.

Trinitatem ipsam probat 1) specialis trium personarum designatio, *Matth.* 3, 16. 17. 28, 19. *Joh.* 14, 16. 17. 1 *Joh.* 5, 7. 2) id quod jam supra evictum, prædicata Jehovæ tributa, tribui & Filio & Spiritui sancto. Quod enim de Jehova dicitur *Num.* 21, 5. 6. quod tentaverint illum, refertur ad Christum, 1 *Cor.* 10, 9. quod contra Jehovam factum refert Moses *Num.* 14, 26. 27. de murmuratione populi, contra Spiritum S. ab ipso Jesaja factum adseritur. *Jes.* 63, 10. Unde constat, Filium & Spiritum S. esse Deum, ut Jehovam, iisdemque argumentis, queis Deitas unius Personæ probatur, probari & alterius. Eadem nomina & prædicata onomastica, eadem attributa idiomatica, eadem opera & prædicata energetica, eadem prædicata latrevtica cuivis sunt communia.

Demonstratio Trinitatis Thetica.
1) per trium subsistentiarum expressam designationem
2) per prædicatorum communitatem.

Hinc eruitur Filium & Spir. S. esse Deum.

Probatur ὁμοσία Filii.

Ita filium esse non tantum ὁμοιούσιον Patri, sed & ὁμοούσιον probatur 1) ex nominibus. Sic dicitur nomen Jehovæ esse in angelo fœderis, *Exod.* 23, 21.22. *Ps.* 2, 7. *Joh.* 5, 18. huc pertinet identitatis cum Deo & Patre adsertio, *Joh.* 10, 30. omnis plenitudinis Deitatis attributio, *Col.* 1, 19. 2, 9. 2) ex attributis; æternitatis, *Apoc.* 1, 17. *Prov.* 8, 22. *Joh.* 8, 58. omnipræsentiæ, *Joh.* 3, 13. 14, 9-11. omniscientiæ, *Joh.* 21, 17. omnipotentiæ, *Joh.* 5, 19. 3) operibus; creationis, *Joh.* 1, 10. *Hebr.* 1, 10. *Eph.* 3, 8. 9. Providentiæ, *Col.* 1, 17. *Joh.* 5, 17. Gubernationis omnium, *Prov.* 8, 14. Gubernationis ecclesiæ, *Eph.* 1, 20-23. 4, 10-13. Redemtionis, *Act.* 20, 28. Executionis judicii ultimi, *Joh.* 5, 22. 4) ex cultu, *Phil.* 2, 9. 10. *Jes.* 45, 22.

Spirit. S. non esse merum attributum, sed esse personam.

Spiritum sanctum non esse attributum, sed personam, ostendit 1) expressa ipsius ut personæ in scriptura notatio, *Joh.* 14, 26. 15, 26. Genus masculinum πνεύματι, quod est neutrius conjungitur, *Joh.* 16, 13. 14. ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα. 2) Attributa personalia, intellectus & charismatum largitionis, 1 *Cor.* 2, 10. 11. 12, 7-11. 3) Missio a patre & filio, *Joh.* 14, 26. 15, 26. 4) Actiones personales. *Rom.* 8, 16. 26.

Spiri-

Spiritum S. tertiam Trinitatis personam Deum esse Patri & Filio ὁμοούσιον, probant 1) divinum nomen, *Act.* 5, 3. quod refertur a Jehova dictum. *Jer.* 31, 33. illud a Spiritu S. dictum refert Apostolus, *Hebr.* 10, 15-17. 2) Attributa; æternitatis. *Hebr.* 9, 14. omnipræsentiæ, *Ps.* 139, 7-10. omniscientiæ, *Jes.* 11, 1. 2. 3) Opera; creationis. *Ps.* 33, 6. *Hiob* 26, 13. sanctificationis, *Rom.* 1, 4. gubernationis ecclesiæ, *Act.* 20, 28. 4) Cultus; ubi, quod tribuitur Jehovæ, *Ps.* 95, 6. 7. ad Spiritum S. refert Apostolus, *Hebr.* 3, 7-11.

Probatur ὁμοουσία Spirit. sancti.

Stilus de mysterio Trinitatis in N. T. talis est, ut vocetur mysterium Patris & Christi, *Col.* 2, 2. consequenter est unum mysterium pietatis, 1 *Tim.* 3, 16. unitate, sicut *Joh.* 17, 21. collective sumta. Est igitur unum mysterium, quatenus Deus & Christus unum sunt, & quatenus per hanc unitatem, unum corpus mysticum Judæorum & Gentilium, una vita Dei & Christi repletur, *Eph.* 3, 3. 4. 19. 4, 4-6. 10. Facies stili de his tantam plenitudinem spiritus refert, ut determinationibus humanis exhauriri nequeat.

Stilus s. scripturæ in mysterio Dei Patris & Christi per terminos non est extenuandus.

DE

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

§. 18.

Definitur creatio generatim.

Creatio est actus omnipotentiæ, quo Deus non ex necessitate naturæ, sed ex abundantia bonitatis & libertatis vocat ea, quæ non sunt, ut sint. *Rom.* 4, 14. *Hebr.* 11, 3. dicuntur visibilia extitisse ex non apparentibus, idque asseritur fide intelligi non ratione, nam per rationem nullam actus creationis ideam habemus, quia vix hactenus exemplum in creatis cognoscere licet.

§. 19.

Quid sensus communis assequatur de creatione.

Sensu communi persentiscimus perennantem potentiam & divinitatem, qua creata continentur. *Ps.* 104, 24. *Rom.* 1, 20. Ratione vero ulterius quid per experimenta NEUTONI certa colligimus, esse potentias supra-mechanicas, vitales, h. e. non materiali pulsu externo agentes, sed interna vi penetrativa & omnibus rebus præsente. Potentiæ illæ non debent appellari leges, ut leges motus; Hæ enim habent aliquid necessitatis hypotheticæ. Sed terminus potentiarum illis proprie competit, queis Deus identidem actuat materiam passivam, secundum liberam sed constantem virium præstationem ex beneplacito. *Hiob* 12, 10. dicitur in

Quid ratio assequatur de potentiis Dei secundum Neutoni experimenta.

Dei

Dei manu esse anima omnis viventis & Spiritus carnis cujusvis. Esse in manu Dei significat per potentias illas divinas conservari in vita & motu, quemadmodum primitus anima viventis per easdem extrapositа est & creata. Eodem sensu *Hiobus c.* 6, 9. annihilationem sui præoptans ait: Utinam dimitteret manum, h. e. utinam potentias illas retraheret, finemque mei faceret. Eodem sensu intelligenda est maxima pars *Ps.* 18. ubi *David* dicit ℣. 7. sqq. vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus. Quid inde fit, ut exaudiatur? Hoc fit, ut concutiatur terra, cum ira Dei accenditur contra hostes. Ascendit fumus per nares ejus, & ignis ex ore ejus consumens, prunæ ardentes ab eo sunt. Et demittens cœlum descendit, cum caligine sub pedibus suis: & insidens Cherubinis volat, volitatque super alas venti: Disponit tenebras latibulum suum, circa se tugurium suum; tenebrosas aquas, densitates superiorum nubium. A splendore qui est ante eum nubes ejus densæ transeunt, tonante in cœlis Jehova & ex celso edente vocem suam. Quid hic nasus, quid os, quid pedes, quid volatus super alas venti, quid tonitru vocis Dei? Nonne hæc sunt potentiæ inter

ter Deum & creaturas interpositæ, etiam id regentes & moventes, quod casui est simillimum. Potentiæ illæ se exserunt rotatione circulari, unde rotæ illæ Ezechieliticæ invisibiles, *c.* 1. 10. possunt intelligi ab iis, qui volunt intelligere physicam sacram. Nam hæ potentiæ agunt directionibus inter se contrariis, id quod arbitrio Dei primitus ita stabilitum est, nec potest fieri ut passiva & iners materia relinquat motionem rectilineam, nisi vis contraria hanc in motum urgeat circularem.

§. 20.

Methodus scripturaria de creatione per quæstiones a Deo propositas.

Si quis hæc & similia ad locum de creatione pertinentia methodo scripturaria velit considerare penitius, evolvat librum *Hiobi c.* 38, 6. Quærit Deus cui rei bases terræ fundatæ incumbunt? Ubi primo vacuum innuitur. Respondeo ex *c.* 26, 7. vacuo, ad quod poli terræ alligantur. Hoc est vacuum NEUTONI liberum a resistentiis, sine quo motus ipse perdurare non posset, quemadmodum id a Physicis fere omnibus agnoscitur. Porro quærit Deus: *v.* 8. Quis occlusit valvis mare, quum ederem ipsum tanquam e vulva exiens, quum ponerem nubem עֲנָנ indumentum ejus, & caliginem עֲרָפֶל incunabula ejus? Quid jam sunt anan & araphel, quibus terra & mare tanquam

Secundo potentiæ supra-mechanicæ, queis α) tanquam fasciis Deus terram & mare constringit.

quam veſte & faſciis involvuntur? Reſpondeo: Sunt una ex potentiis illis ſupra-mechanicis, qua conſtrictio & frigiditas oritur; id enim faſciæ innuunt. Unde David canit: coram frigore ejus quis conſiſtat? Porro quærit Deus, ℣. 12. An tu matutinæ luci mandata ut ego dediſti, an tu notum feciſti auroræ locum ſuum? Jam quid eſt matutina lux, boker, & quid eſt aurora, ſchachar? Suntne hæc ſynonyma? Reſpondeo: Lux matutina eſt lux ante ſolis & ſtellarum ortum præexiſtens, per potentiam ſupra-mechanicam aliam, conſtrictivæ contrariam, mandata Dei accipiens. Eſt lux purior & ſubtilior absque contra niſu potentiæ conſtrictivæ ſubſiſtens. Schachar vero eſt lux ex contraniſu contra frigus & tenebras prorumpens. Pergunt verba Dei in *Jobo*, ℣. 13. ut carperet oras terræ, cum excutiuntur improbi ex ea, ℣. 14. ut ea mutata ſicut argilla ſigillaris ſiſteretur illi, velut indumento obducto; ut prohiberetur ab improbis lux eorum, & brachium elatum frangeretur. ℣. 15. Jam quid hoc ſibi vult? Reſp. Niſu potentiæ ſupra-mechanicæ extenſivæ extremo die paululum retracto frigus & congelatio invaleſcet. *Zach.* 14, 6, 7. Ita lux retrahetur ab

β) queis lucem tenebris contranitentem diffundit.

Unde retractio lucis die noviſſimo.

ab impiis diabolorum more tartarisandis. 2 *Petr.* 2, 4. Fiet illo die magno concussio δυναμεων cœli. *Luc.* 21, 26. ut impressio prior terræ sicut argilla immutetur & intrinsecum telluris reveletur, extremis tenebris tandem præcipitatis, terra sistetur velut indumento lucis iterum obducta. Pergit Deus quærere ℣. 16. perveniſtine usque ad profunditates maris, aut in penetrali abyssi ambulasti. ℣. 17. An revelatæ sunt tibi portæ mortis, aut portas umbræ lethalis vidisti. ℣. 18. Considerasti ne usque ad latitudines terræ? Indica, si nosti eam totam. ℣. 19. Quanam via habitat lux, & tenebrarum ubi est locus? Nonne hic portarum mortis, penetralium abyssi, loci tenebrarum & habitaculi lucis mentio fit? Ego rem mihi ita concipio. Potentia constrictiva centripeta, & extensiva centrifuga æqualiter sibi contranitens, efficit motum circularem, rotam naturæ, in placidiore luce temperata perennantem, in prævalente autem acriori constrictivo quasi fulmine iterum dissilientem (nam quærit Deus *c.* 38, 24. quænam est via, qua in partes dissilit lux?) & propter principia obnitentia, sibi & pugnantia sursum deorsum & ad latera quasi in quadrivium dissecatam; subti-

subtilioribus iterum sese in orbitam sive rotam priorem revolventibus. Ita per motum decussatorium gravia dejiciuntur, & hæc sunt portæ mortis materia; Leviora altum petunt & viam lucis rectilineam constituunt, unde lux progenita ipsa constrictioni resistens placidam naturæ rotam continuat, & sic salis & ignis naturæ continua fit generatio, & ex his thesauri nivis & thesauri grandinis oriuntur, & reliqua omnia producta pluviæ, roris, glaciei, pruinæ ventorumque.

Quid sint portæ mortis & viæ lucis.

§. 21.

Hæc sunt principia, quibus creatio rerum continetur, quæ si conferuntur cum *cap. 1. Gen.* inveniuntur pene eadem esse. Ibi enim tenebræ chaoticæ & lux, ibi aquæ igneæ superiores, ibi expansum, ibi aquæ inferiores, terrarum origines. *2 Petr.* 3, 5. unde omnia pro sex potentiis supra-mechanicis ordinem separationis & commixtionis servant eundem. Ita David opera creationis *Ps.* 104. enumerans, secundum eundem ordinem *c. Gen. 1.* contemplationes instituit suas. Ita nos vestigia revelationis etsi obscure intellecta, fide tamen teneamus tantisper, donec in die revelationis oculis adspe-

Collatio quæstionum Jobo propositarum cum cap. 1. Geneseos.

ctabimus, vera & certa fuisse, quæ os Domini locutum est.

§. 22.

Cur creatio sextiduo facta, non uno momento.

Unum adhuc addam explicandi *cap. Gen.* 1. gratia. Si vel unica vice perlustraverit aliquis contenta capitis hujus, illico subibunt illi hæ quæstiones. Nonne perfectius & Deo decentius esset terram creare uno actu, uno momento? Nonne creatio ipsa est instantaneum quid? Cur terra primum facta est vacua, inanis & sine ordine, ex *Jes.* 34, 11. ubi linea tohu & lapides bohu ruinas & confusionem notant. Resp. Si nulla alia esset ratio, hæc sufficeret, quod Deus chaos & atomos molis primum per potentiam produxit, ut ostenderet non se necessitate naturæ, sed plenitudine bonitatis inductum esse ad creandum, ut demonstraret libertatem & bonitatem ante omnia, & postremo demum sapientiam. Dei interest magis communicare bonitatem creaturis, quam ostendere sapientiam, *1 Cor.* 1, 21. Ex hoc etiam patet cur non uno momento, uno actu Deus creaverit terram, nam præter dicta *Jes* 43, 7. ubi dicit verbis successivis; quem creavi ad gloriam meam, quem formavi, quem etiam feci, & *Jes.* 45, 7. Jehova format lucem & creat tenebras; in primo

primo illo *Gen. cap.* quolibet die sextidui, formula initialis, & dixit Deus, & formula finalis, sic fuit vespera & fuit mane diei primi, secundi, tertii, quarti &c. adhibetur. Inde colligitur in qualibet separatione lucis & tenebrarum Deum ex beneplacito interposuisse unam ex potentiis supra-mechanicis. Prima se superinvestivit luce; secunda se superinvestivit expanso virtutis: *Ps.* 150, 1. tertia sese induit virtute specificativa & productiva specierum; quarta noviter illuminativa atque distinctiva; quinta prolifica; sexta sensoriorum formativa. Harum potentiarum quælibet complectitur reliquas, sed una sese exserit magis hoc quam illo die. Sufficit Deum, qui terram potuisset alio ordine creare, indice digito designasse, sapientiam ita fuisse applicatam, ut ex fonte libertatis & bonitatis, quæ manet in æternum, *Ps.* 136. prodierit. His potentiis septimo die in motum ordinatissimum & quietem respectivam reductis, vel hoc septenario potentiarum vitalium operatur Deus cum Christo omnia. Hippocratem ex sacris originibus per traditionem simile quid statuisse, legi potest in libro meo de sensu communi & ratione. p. 109. sqq.

Potentiarum supra-mechanicarum Dei 1. activitas in sextiduo.

2. quies in septimo die.

§. 23.

Usus ad gloriam Dei.

Laudent nomen Jehovæ, quæ ipso præcipiente illico creata sunt, quæ stabilivit in sempiternum, in seculum (ordine sextidui) quibus decretum dedit, quod nullum transgrediatur. *Ps.* 148, 5. 6. In seculum, ô Jehova, verbum tuum consistit in cœlis; a generatione ad generationem fides & constantia tua; sicut quum statueres terram, illa constabat, ad ordinem tuum perstant hodie, quia illa omnia sunt servi tui. *Ps.* 119, 89 90. 91. Opera manuum ejus sunt veritas & judicium, constantia omnia mandata ejus (quolibet die sextidui) fulta in æternum & seculum, factaque fideliter & recte. Quasi fœdus iniissent creaturæ cum Deo. *Ps* 111, 7. 8. *Jer.* 33, 20.

JAM DE PROVIDENTIA.

§. 24.

Sensus communis de Providentia facile corrumpitur vel certe obruitur.

Sensus communis Providentiæ est quidem in omnibus; hinc appositè dixit SOCRATES, negare Providentiam esse dæmoniaci instar insanire. Sed proh! quam ille sensus momento perit in impiis, quam difficulter conservatur in piis. Unicus est & sanctissimus actus, simultaneus magis quam successivus,

sivus, quo Deus creat, conservat, dirigit, definit, intelligit & vult omnia, maxima, media, minima, necessaria, libera, contingentia, fortuita, naturalia, moralia. Quam igitur difficile est, Deum adeo præsentem & actuosum venerari viribus naturæ in omnibus quæ accidunt, sive contraria sint nobis, sive amabilia. Quam ille sensus æternitatis, quem SALOMO ait, in cor hominis datum esse *Eccl* 3, 11. facile obruitur rerum nobis objectarum instabilitate & vanitate, totque hinc oriundis laboribus fruſtraneis. Rupes est Jehova, perfectum est opus ejus, hinc omnes viæ ejus accuratum quid sunt. Deus est Deus constantiæ, neque est aliquid in eo a statera declinans; justus & rectus est ille. *Deut.* 32, 4. At quam facile nos miseri diffluimus!

§. 25.

Ergo quam ocyssime a sensu communi ad constantiam verbi Dei transibimus. Deus quidem eventibus justis etiam inter gentes verbo Dei destitutas identidem refricat providentiæ sensum occalescentem, & professoris historiarum munus esset, id demonstrare. Sed nobis non licet esse tam prolixis. Pergam in methodo scripturaria, qua nos de providentia erudit Spiritus san-

Igitur cito fit transitus ad methodum s. scripturæ, quæ quatuor momenta nobis objicit

ctus quam diligentissime. Quoniam sensus communis de providentia tam est labilis, imo perpetuo quasi dæmonio Deo adversante obsessus, hinc sacra scriptura quoad tertiam sui partem occupata est, 1) in describenda perversitate sensus de providentia, in referando mali ortu, & in depingendis intimis moribus, quibus homines obluctantur Deo tam propinquo & provido; 2) in eventibus historicis remunerantibus bonum, rependentibus malum, in casibus specie externa fortuitis; 3) in describendis rebus naturalibus post ideas de creatione datas, determinatissima directione a Deo pendentibus. Multa ruderibus similia, multa casui relicta videntur. Sed nullus est casus quem Deus sibi relinquit, quin tanto majori cura & sollicitudine retrahatur ad fines Dei. 4) In sistenda & infigenda amplissima idea de Deo in Christo, quatenus Christus serpenti antiquo caput conterit. Hinc secundum Protevangelium videtur universus sacræ scripturæ tenor concinnatus, ut appareat, astutiam Satanæ per sapientiam Christi & fidelium pudefactum iri, tam privatim, qua singulorum experientias de his, quam publice, quatenus omnis caro totius mundi palpabiliter

describit 1. pervérsitatem sensus de providentia.

2. eventus rependentes bonum & malum.

3. directionem operum naturæ.

4. triumphum Christi serpenti caput conterentis.

liter videbit Satanam cum Antichristo & falso Propheta in locum orci detrusum.

§. 26.

Explicatio momenti primi.

Quoad primum, sacræ literæ sensum providentiæ insitum, innuunt quidem variis locis, præcipue *Act.* 28, 3. 4. occasione viperæ Pauli manum impetentis. Sed plura sunt loca, ubi describuntur abnegatores providentiæ, ut Pharao. Quis est Jehovah? Nil scio de Jehova. *Exod.* 5, 2. ut Rabsake legatus Sanheribi. *Jes.* 36, 7. 15. 18. 20. Pleni sunt Psalmi, plenus Hiobus, plena Proverbia his descriptionibus. *Ps.* 10, 4. 11. *Job.* 21, 14. *Mal.* 3, 13.

§. 27.

Origo mali moralis & physica.

Ortum mali sacræ literæ quidem magis moraliter quam physice describunt per seductionem & persuasionem serpentis. At vero consideratis omnibus, quæ hinc inde occurrunt, clarum est, physicum mali ortum etiam subinnui, & poni in dissolutione potentiarum, quæ a Deo coordinatæ sunt, ut unum quoddam constituant. Deus solus habet vitam ἀκατάλυτον, solus habet immortalitatem. Nulla creaturarum habet vitam in se ἀκατάλυτον. Verum est animam non posse occidi, & post corporis interitum Psychen

corpori superstitem esse. At anima hoc non habet per necessitatem naturæ, sed per liberam constitutionem Dei. Inde λυσις vitæ Psychicæ & spiritualis potest evenire per causas moraliter agentes, ex quo physica turbatio & dissolutio harmoniæ consequitur. Sic *Job* 4, 18. dicitur Deus ponere lucem in ministris suis. Hæ potentiæ lucis ubi a malis angelis retrahuntur (*Hiob* 38, 15.) a reliqua vitæ indestructibilis compage, ipsi in causa sunt. Talis solutio potentiarum spiritualium describitur *Jud.* 5, 19. Sequitur hinc immortalitatem animæ ex scriptura sacra non demonstrari posse, sed immunitatem tantum a morte.

§. 28.

Permissio mali. Permissio mali ita delineatur, ut Deus nullo modo peccati auctor argui possit. Deus Rabsako respondens concedit se quidem operari omnia in omnibus, se inde a longinquo tempore facere, & a diebus priscis formare illud, quod Sancherib sibi adscribit, sed ita ut Deus immunis sit ab omni malo. *Jes.* 37, 22-29. Sic 2 *Sam.* 21, 10. dicit David: Quid mihi vobiscum filii Zeruja, si maledicit, atque si Jehova edixit ei; maledic Davidi. Ecquis dicat, quare sic facis? Vide etiam *Ezech.*

Ezech. 21, 24-27. *Exod.* 9, 16. 2 *Sam.* 12, 11 12. Adde quod in bonum finem dirigat Deus, quæ ex malo orta sunt. *Gen.* 50, 20. vos quidem contra me cogitaveratis malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere.

§. 29.

Explicatio momenti secundi.

Ad secundum, de eventibus malorum malis, bonorum bonis, vide speculum meum seu tabellam exemplorum, ubi eventus remuneratorii & vindicatorii in unum collecti. Sed instar omnium sit nobis hic notabile exemplum 2 *Chron.* 16. Baësa rex Israelis munivit urbem Rama, mediam inter duas residentias, Jerusalem & Samariam, ea intentione ut includeret regem Juda. Assa rex Judæ sibi metuit a moliminibus regis Baësa, seque fœdere sociavit cum Idololatrico rege Syriæ Benhadad, thesauro templi adhibito ad munera Benhadado præstanda. Benhadad autem etsi fœdere prius junctus cum Baësa, tamen instigante Assa, armis in Baësam invehit. Sic Baësa retrahebatur quidem a fortificatione Rama, sed Assa Deum antea tam providum & pro salute Judæ vigilantem in victoria contra Æthiopas & Lybios expertus, graviter carpitur a Propheta Hanani, quod abnegans providentiam

se cum idololatrico rege sociaverit. Additur quoque descriptio tum ipsius Providentiæ tum finis illius. Ita describitur Providentia v. 9. oculi Domini discurrunt per totam terram. Describitur finis providentiæ: ut firmum se exhibeat erga eos, quorum animus integer est erga illum. Tum Assa prophetam in carcerem tradidit, ipse vero ex pedibus ægrotans, duplici pœna mulctabatur. 1. Quod a Deo relictus fuerit propriæ in Dominum diffidentiæ. 2. Quod a morbo convalescere non potuerit. Sic describitur providentia ab oculis Dei, ut *Job* 34, 21. & 1 *Reg.* 9, 3. oculi mei & cor meum ibi sint continuo, ut *Prov.* 15, 3. sunt ubique videntes bonum & malum. Numerata sunt coram eo omnia. *Matth.* 10, 29. *Jes.* 40, 12. *Prov.* 30, 3. oculi numero septenario comprehenduntur. *Zach.* 3, 9. 4, 10. Respectu motuum cordis moralium Deus sese describit æque vigilem ac in rebus naturalibus. *Ps.* 121, 4. 5. 33, 10. 11. 15. 18. Egregie juvat NEUTONIANA attributorum descriptio; ibi enim omnipotentia & omnipræsentia & omniscientia unum sunt, intima Dei ipsius actuositas per potentias illas, quibus dicitur esse non tantum supra omnia, sed per omnia

omnia & in omnibus. Non tam in oculos incurrit regimen Dei in dirigendis cogitationibus hominum ad fines divinos, sed haud scio an dici possit, majorem Dei curam inesse rebus moralibus quam materialibus, omnia enim æqualiter a Deo reguntur. Sunt quædam a casu fortuito dependere visa, sed illa ipsa æqualiter a Deo reguntur, ac ea quæ regulæ constanti subsunt. Sic dicitur *Prov* 16,33 sors jacitur in sinum, sed cadit ut Deus vult. Miles ejaculatur sagittam sine scopo, fertur autem in Ahabi interitum. 1 *Reg.* 22. *Exod* 21,13. Ejus est tum errans, tum seducens. *Job* 12,16. Suntque fines Dei mirabiliter subordinati in eis, quæ nobis videntur ruderibus similia.

§. 30.

Explicatio momenti tertii.

Ad tertium, plenæ sunt scripturæ descriptionibus rerum naturalium. *Job* 28,24. Ipse in extremitates terræ intuetur, sub omnibus cœlis videt. Hinc cœlum & cœlestia contemplari nos jubet, *Jes.* 40,26. meteora, *Ps.* 147,7.8.16.17. *Job* 37,5. quum nivi edicit, esto in terra, aut imbri ac pluviæ; mox imber pluviæque roboris ejus adsunt. *V.* 9-12. diem & noctem, *Jer.* 33,25.26. *Ps.* 74,16.17. tuus est dies, etiam tua nox, tu parasti lumen hujus

hujus & solem. Tu statuisti omnes terminos terræ, ipsam æstatem & hyemem formasti; generationes rerum, *Ps.* 71, 6. tibi innitor inde ab utero. *Ps.* 139, 13. 14-17. mare, *Ps.* 65, 8. 74, 13-15. Notabile est in scripturis res naturales longe aliter describi ac a Philosophis concipiuntur, concursum Dei cum viribus insitis & influxum generalem substernentibus. Sunt certe vires insitæ, & habet quodlibet individuum vim extrapositam spontaneitatis capacem, sed illæ nunquam agerent, nisi potentiis Dei liberrimis sustentarentur. Bene GÜRTLERUS in synopsi Theol. p. 194. an formare colubrum, *Job* 26, 13. subtrahere stillas aquarum, *Job* 36, 27. manibus lucem obtegere, *Job* 36, 32. nivem vocare, *Job* 37, 6. *Ps.* 147, 16. 17. soli ortum interdicere, & ante stellas viam obsignare, *Job* 9, 7. gressus & sermonem viri dirigere, *Prov.* 16, 1. *Jer.* 10, 20. cor regis inclinare, quo inclinans vult, *Prov.* 21, 1. est generali influxu concurrere? Imo est singulares producere singularum causarum actiones.

§. 31.

Quoad quartum commendatur lectio Apocalypseos.

Ad quartum, legatur a Providentiæ studioso inde a Protevangelio ad *c.* 20. Apocalypseos; & tum habebit plus cogni-

cognitionis de hoc, quam excerpendo demonstrari potest.

Formulæ Theticæ.

§. 32.

Jam quæ hactenus ad ductum scripturæ prolata sunt sine terminis, magis jam acroamatice proponenda sunt.

Methodo scholastica de creatione & providentia acturus

Th. I.

Primum est quod notari debet, Philosophos modernos LEIBNIZIUM & WOLFIUM, etsi multum a SPINOZA sese alienos glorientur, tamen in eo convenire cum SPINOZA, quod I. infinitudinem molis & extensionis in mundo statuant. CARTESIUS indefinitum dixit mundum, sed NEUTONIANI systematis ignarus non potuit non statuere infinitum molis. Quæ enim ratio ipsi fuisset ponendi terminos, quum vim attractivam ignorare voluit. II. Quod creationis nullum initium faciant, quia monades tantum, non materiam passivam ex potentiis generabilem noverunt. Nam ut se habet æterna causa ad æternum effectum, sic se habet creatio ad mundum. Creatio igitur illis fuit ab infinitis instantibus, quia nullum instans indicari potest, quo Deus æternus cœperit creare.

ante omnia creationi mundi ab æterno & infinitudini mundi Leibnizianæ opponit modestius & scripturæ convenientius systema Neutoni.

creare. At vero NEUTONIANUM ſyſtema longe dignius de Deo cogitare facit. Deus infinite removetur a creatura, & tamen per potentias illas ſupra-mechanicas creaturam paſſivam liberrime produxit, & quamvis inexhauſtum mare ſit potentiarum, Deusque Zebaoth ſeu potentiarum plus quam 130 vicibus in Jeſaja & Jeremia vocetur, tamen ſufficit, Deum infinite ſuper creaturas elevatum, potentias vitales inter ſe & materiam paſſivam interpoſuiſſe, ut verum initium ſtatui poſſit creationis, ſi vel ab infinito Deus creator fuiſſet, quod tamen aſſerere non audent NEUTONIANI. Terminos mundi ſtatuunt dum cubum mundi tribus ſextilionibus milliarium cubicorum plenum ponunt. LEIBNIZIANI perſpicaces revera unam tantum ſubſtantiam admittunt. Actualitas ſpeculorum monadicorum ſeu entium ab intra manifeſtativorum ſui ex infinita manifeſtatione ſubſtantiæ infinitæ pendet. Jam cum admittatur, materiam mundi nil eſſe niſi phænomenon monadum regulatum, non video, quî poſſit excuſari LEIBNIZIUS, quin, cum plenum ſtatuat in univerſo, mundum phænomenon corporeum ipſius Dei ſtatuere debeat. Si monades ex

Deo

Deo sunt proprie, materia vero est resultans necessarium monadum, ipse mundus ex Deo esse debet. Id quod Judæi Cabbalistæ asserunt, quem ego novum Spinozismum abhorreo. Scio ipsos hanc consequentiam amoliri a se vehementer. Dicunt productionem mundi optimi esse actum voluntatis electivæ; sed hæc electio eliditur per hypothesin mundi infiniti tam ratione molis, quam ratione temporis. S. Scriptura αρχην κοσμε aliter concipit; Tu, ait Paulus, κατ' αρχας την γην εθεμελειωσας. *Hebr.* 1, 10. Tu secundum initia, adeoque successiva non momentanea terram fundasti; & hoc bene quadrat cum systemate NEUTONIANO, in quo mundus incepit per voluntatem Dei, & existit contingenter 1) propter liberrimam virium centralium & potentiarum applicationem ad materiam passivam, 2) propter mutationes etsi uniformes, tamen alio modo possibiles. Est proportio quædam in viribus attractionis, quæ tamen longe alia ratione potuisset indi a Deo. Si quis varios modos electionis & contingentiæ in hoc systemate pervidere penitius cupiat, adeat ipsum librum WHISTONI, qui erat NEUTONI discipulus genuinus. Astronomical Principles of Religion. p. 81-90. §. 33.

§. 33.

Creario actio Dei ad extra contradistincta actionibus ad intra.

Th. II. Creatio est actio Dei externa transiens. Actiones Dei sunt vel ad intra vel ad extra, sunt vel immanentes vel transeuntes. Illæ intra Deitatem peraguntur; hæ effectum extraponunt, suntque vel pure tales, ut opera potentiæ & justitiæ, vel mixtæ, a tribus Dei personis pervenientes, ad unam vero terminatæ, ut incarnatio. Pertinent huc regulæ: opera Dei ad intra essentialia sunt indivisa, personalia sunt divisa. Opera ad extra interna & externa pure talia sunt indivisa; mixta sunt communia ratione principii, propria uni personæ ratione principii.

§. 34.

Creatio an ex nihilo negativo.

Th. III. Creatio concipitur facta ex nihilo pure negativo. Sed nos, etsi id asseramus, genuinum tamen conceptum non habemus hujus propositionis. Scriptura certe sic non loquitur, ut jam supradictum est. Vocare quæ non sunt ut sint, non est ex nihilo pure negativo creare. Adde quod dicatur: εξ ε τα παντα. Certe aliquid ex Deo libere prodire jussum est, sc. id per quod vocavit ea quæ non sunt ut sint. Nos sane nescimus, quî factum ut

ut immobile effectum extrapoſuerit mobilem. Motus, ſpatii, temporis reſpectivas ideas habemus, non abſolutas. Silendum de his, & acquieſcendum, quod poſſimus Deum vero corde creatorem cœli & terræ appellare. Πιςει νοεμεν κατηρτισθαι τες αιωνας. Sufficit Deum nobis in Jeſaja demonſtrare, ſe eſſe eum, qui hæc omnia creavit, qui omnia nominibus novit determinaris, qui omnia numeravit & æonibus incluſit. Plura velle ſine Deo ſcire ſupervacaneum eſt. Sufficit creationem requirere virtutem infinitam, ſoli Deo competentem, & omnia conſtitiſſe in filio priusquam facta ſunt. *Col. 1.* Creationem eſſe actionem liberrimam nullá re potentius demonſtratur, quam ex philoſophia NEUTONIANA; vid. WHISTONI jam allegata aſtronomical principles of religion. & ex dicto *Apoc.* 4, 11. Tu Deus creaſti omnia & per voluntatem tuam exſtitere & creata ſunt. Liberrima actio non excludit archetypum & rationes moventes. Rationes vero mundi optimi ſibi fingere, alio ſenſu ac *Prov.* 8, 22-31. eſt novis anthropologiis Deum ſibi concipere paulo dignius quam artificem.

§. 35.

Telluris initium quomodo probetur.

Th. IV. Eleganter B. noster HOFFMANNUS, p. 198. Nulla alia ex re magis mundi novitas vel existentia non adeo diuturna apparet, quam ex propriæ generationis meditatione. Ab Adamo enim usque ad Christum Evang. *Lucas c. 3.* generationes LXXXIII. numerat. Cum vero experientia constet, nostra ætate tres fere generationes annorum centuriam vel seculum absolvere, a Christo usque ad hæc nostra tempora ultra LI. generationes non sunt, sicque facile intelligitur, unumquemque nostrum non ultra CXXIV. vel CXXV. generationes distare ab Adamo, qui primus homo & totius generis humani parens extitit.

§. 36.

Providentia Dei super minima se extendens.

Th. V. Providentiam & curam Dei super res creatas dari, tum Dei ipsius idea insita seu conscientia, tum creatorum status, tum ordo mundi, tum revolutiones imperiorum & termini regionum, tum judicia & remunerationes Dei, & ex his profluus consensus gentium probat. Si quis dicat Deum non curare quot pulices nascantur & occidant, ille substituat pro pulicibus passeres, & pudebit eum Servatori contradicere. Deus non potest non

non scire omnia, hinc non potest non prospicere omnibus optime. Certe vero nobis per partes ad totum cogitantibus non contigit aliter de his quam anthropopathῶς cogitare. Vix enim punctum temporis possumus sustinere ideam actus simultanei providentis omnibus æqualiter.

§. 37.

Terminum vitæ pro mediorum usu prævisum cuivis rei vel ponit vel prorogat vel relinquit.

Th. VI. Terminus vitæ sicut aliæ res Deo ab initio notus fuit. *Act.* 17, 26. *Ps.* 139, 10. Deus cuique vitales potentias dedit duraturas diutius nisi corrumperentur. Scit Deus corruptionis causas & ordinem suum.

Omne nimium & parum nocet. Sapiens prorogat dies, stultus abbreviat. Qui contra me peccat, propriam vitam lædit; qui me odio habent, amant mortem. *Prov.* 8, 36. Varie igitur Deus de termino vitæ statuit pro motivis & mediis.

§. 38.

Providentia peragitur conservatione & gubernatione.

Th. VII. Providentia peragitur conservatione & gubernatione. Conservatio dicitur a quibusdam continuata creatio. Gubernatio est directio ad fines vel permissionem & non impeditionem vel positivam ordinationem mediorum ad fines includens. Providentia est operatio Dei circa creaturas.

An Phrasis Biblica, in Deo vivimus, movemur, sumus, sit parallela cum Philosophorum conservatione, concursu gubernatione.

Sunt qui concursum inter conservationem & gubernationem locant, & verba: in Deo sumus, vivimus, movemur, eo adaptant, quasi conservatio esset. Synonymum cum eo, quando dicitur: in Deo sumus, h.e. meum Esse habet rationem existentiæ in Deo non tantum primæ sed & continuatæ. Porro concursum ad verba: in Deo vivimus, adaptant, & sensum hunc substituunt, omnes nostræ vires agendi & actiones sunt in Deo. A Deo est virtus, a Deo est exercitium illius. Porro gubernationem ad illud: in Deo movemur, trahunt, quasi diceretur; patimur a rebus extra nos mutationes, idque in Deo est, qui res in suo ordine conservat, ut ne plus una agat in alteram quam ille vult. At vero sensus communis non invertit ordinem verborum sacrorum, ut philosophia, ex qua hæc interpretatio fluxit. Vita in Deo est absolutum quid; in creaturis aliquid a potentiis supra-mechanicis dependens & limitatum. Hinc primo vivimus in Deo; deinde movemur per vitam, & per vitam & motum Esse nostrum se exserit, hinc τὸ Esse ultimo loco ponitur.

Negatur vero tres illos terminos Philosophicos esse parallelos tribus his phra-

phrasibus divinis. Quidquid sit de illo quod aliter viderit Paulus ac Philosophi, terminus concursus certe in s. scriptura non invenitur. Concursus est celer corporis cum alio motus vel prævius & dirigens simul, vel simultaneus, mere socialiter cum altero currens. Postremo sensu non concurrit Deus, sed primo. Sed semper quæritur, an virium semel datarum usus Deum determinet? an Deus vires? vel an alternatim id fiat? vel an alio modo longe superiore? Dixere Philosophi, prævio Deum causas secundas ad agendum excitare & præmovere, simultaneo in ipsas secundarum causarum actiones influere.

Concursus non est vox Biblica, sed technica humana.

§. 39.

Th. VIII. Philosophi concursum quoque in generalem & specialem dispescunt. Generali Deus concipitur influere ad vires; speciali in actionis determinationem. Generalis se habet ut fluvius ad vehendam scapham; specialis ut remigis actio. Difficultates per has analogicas ideas de rebus divinis semper accumulatæ sunt. Causæ secundæ, per potentias Dei supra-mechanicas accepere vires, per ordinem cum aliis, structuram & machinam. Utrumque vel regit Deus vel sibi re-

Concursus a Philosophis dividitur in generalem & specialem.

Difficultates novæ ex terminis.

linquit. *Pſ.* 81, 12. *Act.* 14, 16. *Pſ.* 5, 10. *Eccl* 9, 11. Id enim fieri utrumque poteſt. Mox relinquit ſibi, mox regit iterum. Interponit activitatem ſuam quando & ubi vult. Neſcimus etiam intelligentiarum influxum pondere, menſura & numero determinatum, quod in ſ. ſcriptura verbum Domini audit. Neſcimus intelligentiarum altioris ordinis operationem, quæ dicuntur angeli facientes beneplacitum Dei, ad diſtinctionem eorum, qui ſecundum regulas conſtantes ad ſuſtentationem elementorum præcipue ignis aquæ & aëris conferunt. *Pſ.* 103, 20. 21. *Apoc.* 7, 1. 14, 18.

Differentiam potentiarum ſupra-mechanicarum a viribus inſitis non ſatis perſpicimus, niſi quod illæ Deo, hæ nobis ſint cognatiores. Si dicimus Deum vires inde ab initio indidiſſe, ut ſubſiſtere in ſeipſis poſſint, creaturæ nimium tribuimus. Si dicimus, Deum influxu poſitivo continue dare, quod primo dedit, tum neſcio quid conſervatio differat a creatione; & tamen clare percipio aliud eſſe, quando in abditis formatur & creatur aliquid, aliud, quando formatum conſervatur. Certe operatio Dei alia eſt in hoc, alia in illo. Dicis rem optime expediri, ſi aſſeras

asseras, conservationem realem esse a Deo, modificationem a Creatura. Sed vero neque modificatio solum est a Creatura. Nam Deus quandoque eodem modo modificat actiones morales, ac modificat naturales, quemadmodum dicitur Deus ligasse aquas in densis nubibus. *Job* 26, 7. 8. 9. 10. decreto circinasse superficiem aquarum usque ad consummationem lucis cum tenebris. O quam phrases S. scripturæ sunt phrases fidei! patebit quod nos & Philosophi nesciverimus in multis quid locuti simus. Sed Deus scit quid loquitur. Hinc caveamus in his abstrusis de modis operationum Dei in creaturas a figmentis verborum humanorum. Ictus occisionis est a creatura; at Deus Achabum occidit sagitta militis. Adeoque si vocem concursus adhibeamus, intelligamus id ita, ne scripturæ Phrases extinuemus, si paulo aliter sonent. Concursus non antecurrit electionem & determinationem liberi arbitrii. Deus non præmovet præcise omnes circumstantias sub quibus pedem moveo, calamo scribo, sed tamen determinatis jam his circumstantiis concurrit Deus ad præstationem virium in pede, & ad continuationem scribendi in manu. Hoc sensu Deus innocenter

ad male determinatam actionem concurrit. Nescimus causarum secundarum terminos vere discretivos sui, ab eo quod accipiunt continuo. Insistamus igitur verbis scripturæ.

§. 40.

Gubernatio Dei.

Th. IX. Gubernatio Dei consistit in directione ad finem summum per intermedia. At vero, dum Deus gubernat mox positive influendo, mox res sibi relinquendo, idque vel permittendo vel non impediendo; in actu peccaminoso intercurrit tum Dei præviso & prohibitio, tum virium sustentatio, vel simultaneus influxus, tum determinatio.

§. 41.

An Deus voluerit fieri ea quæ permittit.

Ardua quæstio, an Deus quæ permittit, etiam voluerit fieri? Nam malum non est objectum voluntatis Dei nec permissivæ. Deinde mali Spiritus & vires naturæ multa protrudunt, quæ Deus non vult. *Zach.* 1, 15. dicitur: Ego parum tantum irascebar, ipsi vero ad interitum, quem nolui, juvabant. Interim quia Deus omniscius, bonus & potens; 1. per omniscientiam toties impedit malum, quoties sine ortu majoris mali potest fieri. 2. per bonitatem nil relinquit boni, facit quantum fieri potest. 3. per potentiam impedit

dit quodcunque vult. Deus igitur toties impedit malum, quoties potest impediri, ita, ut non majus malum emergat, tum quoad rem, tum quoad modum agendi. Quoties vero non impediri potest sine ortu majoris incommodi, toties non potest non permittere. Ubi Deus permittit malum, ibi ex impeditione majus ortum fuisset malum. Dices: quodnam secuturum fuisset malum, si Deus impediviſſet hoc illud? Resp. Tu non potes vias pervidere omnes ad æstimationem majoris mali.

DE PRÆDESTINATIONE.

§. 42.

Sensus communis multas de prædestinatione figuras observat.

Quid sensus communis assequatur de his, & quam vario modo aberret a cogitationibus Dei, id liber *Hiobi* egregie depingit. Quando intuemur arborem frugiferam, veluti quercum, nonne alloquitur nos ista arbor, innumeras esse glandes, quarum quælibet fieri posset arbor, neque tamen fit; innumeras esse vires, quæ concurrunt ad unicam glandem, acerbum, acre, amarum, dulce quid continentes? Et quando secundum Thumigii experimenta concludimus, ex folio non minus

nus quam ex radice arborem evolvi posse, porro inferimus esse chaos inexhaustarum virium in minima particula; vires illas infinite determinabiles esse. Neque tamen scimus an vires illæ per præformationem ad hanc vel illam speciem præstabilitæ vel determinatæ a condito mundo sint, an vero continua λογοι in Spiritu aquis incubante præsentia prodeant illæ vires singulis noviter annis. Vita certe per vim attractivam universalem colliganda sensum communem intime occupat. Hæc est ἀϊδιος θεου δυναμις και θειοτης, quæ singulis pene momentis alloquitur homines, ut digne & cum simplificatione sui de Deo cogitent, ut Deum, ut plenitudinem virium, ut materiam passivam bene distinguant; loquitur, semina visibilia ex invisibilibus facta esse; visibilia duplici constare ente, vitali activo, materiali passivo: vitale activum esse colligationem potentiarum, chajim ab Hebræis dictam, & materiale passivum semper elevari per vitale activum, quod qui experimentis sensum communem confirmantibus stabilitum legere vult, adeat novum systema generationis BUFFONII, cujus extractus in selectis physico-œconomicis, Part. III. p. 1. 7. 5. exstat. Vide-

Vis Dei æterna vitam rebus suggerens, continuo alloquitur mortales & sollicitat ut vitale activum a passivo distinguant, & ut liberam sed constantem utriusque productionem expendant.

Videbit ibi præformationem non dari sensu Leibnizii. Sit vero hujus ad sensum communem respectus cuilibet optio libera. Facit certe ad conceptus de prædestinatione præparandos. Essentiæ rerum necessariæ vel arbitrariæ non feriunt sensum communem, non sunt intelligibiles. Sensum vero rectum habenti approbabunt se ultima rerum, dicta a Zophare raalymoth chochma, duplici facie constantia, illa neque necessaria, neque arbitraria sunt, sed per vires centrales liberas Dei evocata.

Non datur præformatio specierum in speciebus: nec dantur essentiæ rerum necessariæ.

Sed ultima rerum duplici facie continuo producuntur a Deo, ordine constanti.

§. 43.

Mittamus hæc, & videamus in libro Jobi, quot sensus communis de prædestinatione sibi scenas præfiguret. Hiobus causas fatorum suorum inquirens, partim in absolutissimum decreti divini incidit, *c.* 9, 22. partim in proruptiones monstruosas virium ad malos eventus abreptorum, quas optavit conjurando repressas fuisse nocte conceptionis suæ. *c.* 3, 8. Quam ille non penetravit in rationes primo statim capite indicatas, in sollicitationes Satanæ, in retractionem manus divinæ, qua factum est, ut Satanas permissione Dei potuerit abuti viribus naturæ ad mala & dolores Jobo injiciendos! Ex adver-

S. Scriptura vanas hominum cogitationes de his pridem delineavit.

adverso quam amicorum Hiobi sententiæ de rationibus objectivis prædestinationis divinæ in Hiobum, ex convenientia rerum desumtis, multo magis abluserunt a vero! Sane pretium est operæ, perlegere librum Jobi integrum, illo scopo a me in analysin perspicuam redactum. Patebit respondendum prius esse ad quæstiones a Deo Jobo propositas, antequam Theodicæas & Justificationes viarum Dei pro nostro captu adornemus. Possunt quidem modernæ de mundo optimo, de voluntate antecedente media & finali ventilationes aliquantum facere ad objectiones pro genio hujus temporis solvendas, sed sensui communi per illas non plane satisfieri potest. Satisfieret longe melius, si quæ Deus proposuit, primo ad adorationem viarum Dei, secundo ad justificationem applicarentur. Sufficiant hæc pro sensu communi.

§. 44.

Ad methodum s. scripturæ inquiritur, quid prædestinatio & reprobatio innuat.

Progrediendum ad ea, quæ lux N. T. clarior nobis exhibet de prædestinatione & reprobatione pensitanda. Vox prædestinationis, προορισμὸς in s. scriptura semper in bonam partem accipitur. *Rom.* 8, 30. Uti non datur vocatio ad malum, ita nec prædestinatio ad mor-

mortem, ſtilo ſcripturæ. Dicitur quidem *1 Petr.* 2, 8. Infideles impingere ad lapidem angularem, ad quod etiam poſiti erant. Sed ponere non dicit prædeſtinare, dicit tantum locare eo, quo ſeſe excuſſerunt per infidelitatem. Proteſtatur *Paulus Rom.* 11, 11. Deum non intendiſſe lapſum, ſed lapſum eorum ad bonum aliquod totius eſſe ſubordinatum. Præmiſſo jam ſenſu aliquo ſcripturario prædeſtinationis & reprobationis, adponenda ſunt 1. oracula præcipua de univerſalitate gratiæ, quam Theologi noſtri quandoque voluntatem antecedentem vocant. 2. dicta de προθεσει, prævisione & prædeſtinatione ſubnectenda ſunt. 3. explicanda ſunt capita quædam epiſtolarum Pauli, in quibus tum de prædeſtinatione ſingulorum, tum de prædeſtinatione univerſorum agitur. Et hac methodo tractatio ſcripturaria noſtra de prædeſtinatione abſolvetur.

Speciatim oracula 1. de univerſalitate gratiæ.

2. de προθεσει, prævisione & præordinatione.

3. Capita quædam integra epiſtolæ ad Romanos expendenda ſunt.

§. 45.

Proponamus itaque 1mo extantiſſima dicta ſ. ſcripturæ de univerſalitate gratiæ. *1 Tim.* 4, 10. dicitur Deus vivus, *Servator omnium hominum* maxime vero fidelium. *1 Tim.* 2, 5. 6. Unus enim eſt Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus,

Oracula de univerſalitate gratiæ.

sus, qui se ipse dedit redemtionis pretium pro quibusvis, testimonium illud præstitutis suis temporibus reservatum esto. *Joh.* 3, 17. Non misit Deus filium suum in mundum ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum. *Joh.* 4, 42. Scimus hunc esse vere servatorem illum mundi, Christum. *Gen.* 22, 18. Benedictæ erunt in semine tuo omnes gentes terræ. coll. *Gal.* 3, 8. *Esaj.* 53, 7. omnes nos ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Jehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm. *Joh.* 1, 29. Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. *1 Cor.* 15, 22. Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. *Rom.* 5, 18. Sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per unum justificamentum beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ. *Joh.* 1, 9. Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. *Col.* 1, 19. 20. Quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in eo inhabitaret, & ut pace per sanguinem crucis ejus facta per eum reconciliaret omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. conf. *Eph.* 1, 9.

1,9. 10. Postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ, secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat in sese, nempe ut in plena temporum illorum præstitutorum dispensatione summatim recolligeret omnia illa in Christo.

§. 46.

2do Oracula de προθεσει, prævisione & prædestinatione bene notanda sunt. *Eph.* 1,11. Quum essemus prædestinati secundum præstitutum ejus, qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ. *Eph.* 3, 10. 11. Ut nota fiat per ecclesiam imperiis & potestatibus in cœlis multiformis illa sapientia Dei, secundum præstitutum æternum, προθεσιν των αιωνων, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 8,28. Novimus autem iis; qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, iis videlicet, qui ex præstituto vocati sunt. *Rom.* 9,11. Nondum enim natis pueris, quum nihil feciissent boni vel mali, ut præstitutum Dei secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret. *2 Tim.* 1,9. Qui servavit nos & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, κατ' ιδιαν προθεσιν, & gratia, quæ data quidem est

Oracula de προθεσει prævisione & prædestinatione.

est nobis in Christo Jesu ante tempora seculorum. *Rom.* 8, 29. Quos præscivit etiam prædestinavit. *c.* 11, 2. Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit. *1 Petr.* 1, 2. Electis ex præcognitione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus &c. ℣. 20. Præcogniti quidem (scil. Christi) ante jacta mundi fundamenta, manifesti autem facti ultimis temporibus propter vos. *Act.* 2, 23. Hunc definito illo consilio & præcognitione Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis. *Act.* 4, 28. Ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius prædestinavit ut fierent. *Rom.* 8, 29. Quos præscivit etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. ℣. 30. quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit &c. *1 Cor.* 2, 7. Loquimur sapientiam Dei latentem in mysterio, id est, occultam illam, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram. *Eph.* 1, 5. Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Jesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ. ℣. 11. in ipso in quo etiam in sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati secundum præstitutum ejus &c.

Occur-

Occurrit etiam vox εκλεκτοι & απολλυμενοι. Illi ſtilo ſcripturæ quandoque prædeſtinationem involvunt, quandoque ſimplicem prærogativam & ſegregationem a reliquis, qui ſunt inferioris ordinis. Sic Paulus angelos ſuperioris ordinis dicit εκλεκτες. *1 Tim.* 5, 21. ſic alia dicta videntur ſumenda. *1 Petr.* 2, 9. *2 Joh.* 1, 13. *Apoc.* 17, 14. *Tit.* 1, 1. *2 Tim.* 2, 10. *Matth.* 24, 22. Fallor an non εκλεκτοι κλητοῖς oppoſiti eodem ſenſu ſumendi. Κλησις innuit vocationem benevolentia Dei univerſali, qua Deus intendit ſalvare homines in multitudine conſideratos, quorum illi, qui regulam, habenti dabitur, non obſervant, ſed ipſos excludunt, quo minus ſint electi. Prædeſtinationem aliquam involvit vox εκλογη. *Rom.* 9, 11. c. 11, 5. 7. 28. *1 Theſſ.* 1, 4. Απολλυμενοι ſeu pereuntes dicuntur *2 Cor.* 2, 15. 4, 3. 9. *2 Theſſ.* 2, 10. *1 Cor.* 1, 18. illi, qui propria culpa excidunt ſerie εκλεκτων, qui dein a ſiniſtris conſtituti, dicuntur vaſa κατηρτισμενα in απωλειαν. *Rom.* 9, 22. *Ep. Jud.* ℣. 4. παλαι προγεγραμμενοι, jam olim prædicti & præſcripti; *1 Theſſ.* 5, 9. conſtituti ad iram.

§. 47.

Ex his omnibus ita concludere licet, προθεσιν includere quidem προγνωσιν, (*Oetingeri Comp. Theol.*) G imo

An detur προθεσις ſine rationi-

bus objectivis. imo esse ipsam Dei παντοψιαν, sed tamen poni posse ante præscientiam, quia prævisioni operum opponitur προθεσις ιδια, h. e. quæ nullum habet exemplum neque in angelico, neque in humano intellectu, neque in harmonia rerum, sed quod sui typum & rationem habet in intima Deitatis abyssо, in libertate gratiæ, in æonibus sibi succedentibus manifestanda. Neque putandum est προθεσιν ex beneplacito emergentem nullas habere rationes objectivas vel impulsivas. Habet omnino, sed tales, quæ cum nostris optimi ideis, cum nostro sapientiæ modulo nullatenus conveniunt. Si angeli gestiunt demisse intueri quasdam tantum manifestationes προθεσεως in Christo; in quantam quæso raperentur admirationem, si totam perviderent προθεσιν, si mensuram & regulam constantem noscerent, secundum quam in æonibus illam successive revelabit Deus. Hinc Principatibus & Thronis angelicis clavis ad revelanda hujus beneplaciti secreta per multiformem sapientiam successive dabitur. *Eph.* 3, 10. Faciles quidem & obvii sunt conceptus de prædestinatione & electione fidelium ob prævisam fidem; nam quæ causa impulsiva est salvationis in tempore, eadem

eadem etiam est electionis ab æterno. Decreto & executioni sua omnino constat harmonia, & quæ sunt rationes infidelitatis & indurationis, eædem sunt etiam reprobationis, & uti prævidit & præordinavit agnum immaculatum, sic & fideles in sanctificatione Spiritus constitutos prævidit & elegit Deus. *1 Petr.* 1, 20. *Rom.* 8, 9. 11, 2. *1 Petr.* 1, 2.

Quænam difficultates subsint in concipiendo Dei beneplacito.

Hæc sunt facilia cuivis. Sed non adeo facilia sunt, quæ de προθεσει & beneplacito Dei in superioribus dictis asseruntur. Inde omnis etiam lis nostra cum Calviniſtis. Quæritur an Deus propter προθεσιν largiatur vires credendi, an vero in προθεσει inveniat in prævisis fidelibus receptivitatem, qua Deus gaudet, quia sapientiam in mysterio illis infundere potest præordinatam ad gloriam eorum. Primum Calviniani propugnant: alterum nos docemus. Sed in quo consistit illa receptivitas in προθεσει divina inclusa? Legatur integra s. scriptura V. & N. Testamenti. Nonne deprehendetur maximam partem tum historiarum tum picturarum spiritualium eo collineare, ut agnoscamus, quæ stulta sunt mundo elegisse Deum, ut pudefaciat sapientes; & quæ sunt infirma mundi elegisse Deum ut pudefaciat valida; & quæ

ignobilia sunt in mundo & pro nihilo habita, elegisse Deum, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat. *1 Cor.* 1, 27. 28. Deum ab ore infantium & lactantium fundatam disponere laudem, propter hostes suos, ad compescendum inimicum & ultorem sui? *Ps.* 8, 3. Tales infantes æstimatione Dei habiti etiam sunt discipuli Salvatoris, qui verbis vitæ æternæ citra ratiocinia multa, ita sunt in admirationem tracti, ut disputationes quibus reliqui impediebantur, statim missas fecerint, certo argumento illos λογω, qui omnes illuminat, fuisse præ aliis patulos. *Joh.* 6, 68. *c.* 1, 9. Hinc Salvator *Matth.* 11, 25. 26. gloriam tibi tribuo Pater Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia placuit tibi ita. Cernis quæ sint rationes προθεσεως, quæ beneplaciti divini, (multa autem sunt quæ se simpliciter in beneplacitum resolvunt ad βαθος pertinentia) per αιωνας αιωνων sese patefacturæ.

§. 48.

Explicatio succincta cap. 9, 10. 11. Rom.

Progrediendum jam nobis est ad explicationem *cap.* 9. 10. 11. *Ep. ad Rom.* Ibi enim ideæ προθεσεως cum reliquis in

in nexu exhibentur. Sufficiat nobis nexum horum capitum exhibuisse.

Cap. IX.

a) ℣. 1—5. Paulus suspicionem Judæorum contra se amolitur, & amorem in illos singularem significat & juramento quodam confirmat.

b) 6—13. Probat promissionem Israëli datam in fidelibus esse impletam, secundum verum scripturæ & προθεσεως Dei sensum, non vero secundum Judæorum præjudicia, utpote rejiculorum.

c) 14—29. Responsiones abruptæ ad ea quæ objiciunt carnales Judæi oggannientes, Deum esse tantum Judæorum Deum, aut certe injustum, quia agat ex absoluto decreto.

d) 30—33. Thesis principalis; nempe gentiles propter fidem ad justitiam perveniisse, Judæos excidisse propter infidelitatem; has esse causas impulsivas electionis & consilii divini.

Cap. X.

a) ℣. 1—10. Omnes propriæ justitiæ insistentes & propterea infideles, sua culpa excidere divina προθεσει; fideles autem in illa prævisos esse.

b) 11—21. προθεσιν Dei in scriptura satis esse expressam, esse illam προθεσιν coagmentatam, secundum moti-

va sapientissima, justissima; exesse illis προσωπολημψιαν; hominem qui Dominum invocet præteriri nullum.

Cap. XI.

a) ℣. 1—11. Dantur ad objectiones Judæorum responsa magis explicita, non tam abrupta; nempe Deum in electione gratiosa neminem præterire, fidei ordinem ingressum, præterire Deum illos tantum, qui propriis operum conceptibus innituntur, induratos sua culpa, non electione invidiosa indurari, septem millia Israëlitarum in occulto suspirantium satis demonstrare Deum in προθεσει rationem habere singulorum.

b) 12—24. προθεσιν Dei rationem habere universorum, nempe multitudinis tum gentilium tum Judæorum; multitudinem fidelium Dei præordinatione ita in apricum esse positam, ut alterna vice gentiles fideles ad zelum excitent Judæos infideles, quemadmodum olim Judæi fideles ad zelum excitaturi erunt reliquos mundi.

c) 25—32. Post implerionem temporis gentilium totum corpus Judæorum ab infidelitate liberatum iri, adeoque secundum προθεσιν etiam vocationem Dei nunquam defecturam, finem & initium temporis epocharum quoad Judæos

dæos & gentiles assecuturum esse id, quod Deus sibi proposuit.

d) 33—36. Ita προθεσιν & electionem Dei quoad singulos & universos sub unum redigendam esse obtutum. ℣. 36. ut quilibet vocationis suæ certus esse possit; multas quæstiones speciales formari posse, ad quas ex conceptu illo προθεσεως generali non possit responderi, imperveſtigabiles esse thesauros profunditatum tum libertatis, tum sapientiæ, tum scientiæ; cavendum ne in justificatione viarum Dei nos geramus, quasi sapientiores Deo consiliarii, id quod faciunt, qui ex harmonia rerum universali vel ex alio sapientiæ modulo responsatores esse viarum Dei volunt.

§. 49.

Hæc connexio Thesium scripturaria præferenda est omnibus, quæ ab hominibus doctis extra hanc connexionem in medium proferuntur. Sed nondum exhausta sunt ea, quæ de prædestinatione nobis suggerit scriptura, hinc pro colophone subnectendum est aliquid ex epistola ad Ephesios & Colossenses, collatis a quolibet etiam iis, quæ *caput* 15. *1 Ep. ad Corinthios*, nostris mysteriosum, habet. Subjungitur nonnihil ex Epist. ad Ephesios & Colossenses.

Προθεσις seu decretum Dei non uno absolvitur ævo, sed ex multis colligatum est æonibus. *Eph.* 3, 11. Prævisi sunt æones multi, quibus executio contentorum decreti ad finem currit. Quilibet æon in gloriam Dei renovatam cedit. *Rom.* 11, 36. 16, 27. *2 Tim.* 4, 18. *Ebr.* 13, 21. *Apoc.* 5, 13. Hinc Deus, magnifico titulo, dicitur rex æonum. *1 Tim.* 1, 17. & vivens εις τας αιωνας των αιωνων. *Apoc.* 4, 9. 10. ubi notetur bene articulus qui semper occurrit cum Deo vivente. *c.* 5, 14. 10, 6. 15, 7. & qui de ascensu fumi quidem occurrit *c.* 19, 3. semel vero non occurrit. *c.* 14, 11.

§. 50.

Usus practicus. Nulla dies prætereat, quin hæc meditemur, ne callo mundanæ stupiditatis indurescamus. Perrinet hoc ad unum illud pietatis mysterium, de quo supra in articulo de Deo diximus, non sunt speculationes inanes. Cognita sunt Deo opera sua inde ab æone vel a principio æonum, *Act.* 15, 18. Et sic dicitur respectu horum æonum το Α και το Ω. *Apoc.* 1, 8. 11. 21, 6. 22, 13. Hinc Deus in προθεσει universa sua, semper fide nobis obversetur, si verum ex idiomate Apostolico N. T. fructum trahere volumus. Unum est mysterium

rium per ſecula patefaciendum, & quod nobis obverſabitur usque in æonas æonum, id jam præſenti ſeculo fide nobis ſit propinquiſſimum, & cum centro animæ coadunatum, ubi omnes unius myſterii pietatis partes uno quaſi ictu oculi pervadendæ. Ejiciamus omnia ſcandala quæ nos impediunt, omnia quæ huc non faciunt, quantum per quotidianas occupationes licet; ſic Spiritus divinus νουν replere poteſt gravitate Chriſtianum decente ſemper. Sic & ea quæ ante jam dicta ſunt & poſt dicemus, in una baſi cogitationum, vita æterna, ζωη αιωνιω, in uno apice poſſideamus. Sic fortitudinem & præſentiam animi & parrheſiam in facie, loquela, geſtu & factis præſtabimus adeo proficuam nobis & aliis.

§. 51.

Explicatur per notas breves præcipuus locus epiſt. ad Epheſios, ut pateat denuo gratiæ univerſalitas.

Jam ad rem. Singulæ voces Epiſtolæ ad Epheſios & Coloſſenſes ſunt ambitus infiniti, ſed brevitatis gratia apponam tantum aliqua, notis ad rem facientibus, illuſtranda. Προθεσις αιωνων eſt προθεσις in Chriſto. Hoc patet ex *Eph.* 1, 7. ſqq.

℣. 7. In Chriſto habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem inquam lapſuum ſecundum divitias gratiæ ipſius,

8. qua exundavit in nos omni sapientia & prudentia.

9. Postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ, secundum gratuitum placitum, quod præstituerat in sese;

10. Nempe ad œconomiam plenitudinis temporum omnes res sub unum caput recolligendas esse, tum quæ in cœlis, tum quæ super terram sunt.

11. In ipso, in quo etiam in sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati secundum præstitutum ejus, qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ.

Jam notetur primo divitias gratiæ in omni sapientia & prudentia superabundantes consistere in mysterio beneplaciti Dei retecto. Quibus igitur mysterium hoc, hoc Evangelium gloriæ tectum & occlusum adhuc est, id excisuris sorte sua tectum est. *2 Cor.* 4, 3. Credentibus hoc mysterium non amplius est mysterium tectum, sed jubar per æonas radians, pandens & sub claram lucem ponens dispensationem temporum præstitutorum, quibus τα παντα seu universitas rerum rursus sub unum caput reducenda est. Innuitur sub hoc, τα παντα olim sub uno capite in optima statisse harmonia, juncta & coagmentata cum ipso, postmodum

dum vero destituta & abscissa fuisse ab hoc capite multa, quæ per hoc ipsum caput non simul & semel, sed longis temporum intervallis, reducenda & recolligenda sunt ad se ipsum, ut is tum sit caput universorum, ex quo, per quod, in quo omnia creata sunt.

Notetur secundo, quod, dum Paulus dicit τα παντα seu universitatem rerum, ea in tanta universalitate sint sumenda, quanta Paulus aliis locis sumit, ut in *epist. ad Hebr. c.* 2, 8. omnia subjecisti sub pedibus ejus. Enimvero per hoc, quod ei subjecit omnia, nihil omisit, quod non sit ei subjectum. At nunc nondum videmus ei omnia esse subjecta, sed Jesum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui paulisper fuit inferior angelis factus, propter mortis perpessionem, ut pro omnibus, excepto Deo, mortem gustaret. Vides, optime Lector, Paulum spiritu prævidisse restrictiones universalitatem hanc posteris temporibus limitaturas, hinc tanto zelo præcavisse parherminias, ne fierent.

Tertio. Dicit Paulus, nos fideles in sortem adscitos per προορισμον, per præordinationem, ubi præordinatio magis respicere videtur primum locum in certa serie æonum, quam prædesti-

Quo sensu præordinatio sumatur in epist. ad Ephesios.

destinationem ante res existentes. In præordinatione ea quæ prima sunt, ex beneplacito sunt. Rationes objectivæ sufficientes coincidunt ibi cum ipsa efficientia Dei, & hoc est proprie beneplacitum. Hoc ni observetur, lis nostra cum Calvinianis nunquam terminabitur. Post ordinati in sequentibus æonibus, ad figuram filiorum Kethuræ ex Abrahamo *Gen.* 25, 5. 6. nunquam dicuntur præordinati, ut illi qui ad figuram Isaaci præordinationem benedictionis testamenti sortiebantur. Id arguunt grandia epitheta præordinationis, ubi dicitur, quod agat omnia ex consilio voluntatis suæ. In consilio voluntatis est quoddam absolutum decretum amoris, ubi rationes sufficientes objectivæ & impulsivæ sunt simul efficientes. Nam quod in serie aliqua causarum primum locum tenet, id non determinatur per harmoniam rerum, sed id harmoniam determinat. Id vero est causa impulsiva interna, non in creatis solum, sed in Deo subsistens. Hæc efficientem ad agendum movet absolute & independenter ab Harmonia. Hæc causa impulsiva Deum movens absoluta sunt ipsæ vires Dei, libere, non necessario a Deo prodeuntes. Non movent primo, dein agunt;

sed

sed quia agunt movent, & quia movent agunt. Semper sunt in actu sine exemplo rerum creatarum, quia sunt ipsa vita Dei, rebus communicata, in serie causarum primatum tenens. Sic sapientia Dei quam præfinivit ad gloriam nostram, est simul causa impulsiva & effectiva. *1 Cor.* 2,7. Illa est ipsa δοξα & vita Dei, semper in actu posita, impulsiva exemplaris & efficiens simul. *Joh.* 1, 1.2.3.4. in Deo subsistens at creaturis communicabilis. LEIBNIZIANI per principium rationis sufficientis, ad monades usque, mediante principio indiscernibilium, resolutæ, ipsum tandem beneplacitum Dei in harmoniam rerum vertunt. Nos vero in λογω, in vita Dei subsistimus, creaturis per beneplacitum Dei, sub ordine incognito communicabili; neque tamen harmoniam rerum a motivis Dei excludimus, dummodo beneplaciti βαθος & vita λογε primo loco ponatur, harmoniam determinans, & ab A usque in Ω æonum se diffundens.

Quarto; His omnibus bene trutinatis & cum eo, quod supra ad *Rom.* 11, 25. de efficacia προθεσεως nunquam defecturæ diximus, collatis, hunc Syllogismum formamus: Quodcunque Deus in προθεσει ita sibi proposuit, ut in

œco-

œconomia temporum implendorum effective ad existentiam deducatur, illud aliquando impleri debet.

Jam vero Deus in προθεσει sibi proposuit ανακεφαλαιωσιν των παντων in cœlo & in terra.

Ergo hæc προθεσις ανακεφαλαιωσεως των παντων aliquando impleri debet.

Major est per se clara: Minor est ipsissimum verbum Dei.

Porro argumentor ita:

Quodcunque in æternum non fit, illud etiam Deus ab æterno sibi non proposuit.

Atqui ανακεφαλαιωσις των παντων secundum multos in æternum non fit.

Ergo Deus hanc ανακεφαλαιωσιν sibi non proposuit.

Ad majorem respondetur quidem: Quod in æternum non fit voluntate consequente id Deus sibi non proposuit voluntate antecedente; negando sub hac limitatione majorem, quoniam inveniuntur loca ubi voluntas antecedens non impletur propter limitatam voluntatem consequentem, ut, quando Salvator voluit congregare Judæos ut gallina pullos, ipsi vero noluerunt, & quando Salvator ipse Dei nomine dicit, multos esse vocatos, paucos vero electos. Sed porro respondetur, in his locis

locis non esse sermonem de προθεσει omnem œconomiam temporum includente, & qua Deus omnia operatur secundum beneplacitum voluntatis; sed de parte tantum προθεσεως executionem decretorum quoad præsens ævum concernente. Hic enim voluntas Dei antecedens sæpe frustratur effectu, & hoc ingreditur prævisionem rationum objectivarum particularium. Rationes ανακεφαλαιωσεως universales habent additionem voluntatis omnia operantis, ubi impulsiva causa est ipsa efficiens.

§. 52.

Explicatur locus ex ep. ad Colossenses.

Sed jam properamus ad alterum locum. *Col.* 1, 13. Deus Pater eripuit nos ex potestate tenebrarum ac transtulit in regnum filii sui dilecti,

℣. 14. in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.

℣. 15. Qui est imago Dei invisibilis & primogenitus omnis creaturæ.

℣. 16. Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates. Omnia inquam per eum & in eum, sive ejus respectu condita sunt.

℣. 17.

℣. 17. Estque ipse ante omnia, & omnia τα παντα in illo unâ constiterunt (nunc non amplius omnia in ipso unâ consistunt).

℣. 18. Estque caput corporis, id est ecclesiæ, estque etiam principium & primogenitus ex mortuis, ut inter omnes ille primas teneat.

℣. 19. Quoniam libuit (Patri) ut omnis plenitudo in eo inhabitaret;

℣. 20. Et ut pace per sanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliaret omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.

Hunc locum ut priorem brevibus quibusdam notis illustrabo:

Primo notetur differentia hujus loci a priore ad Ephesios. In hoc πρωτοτοκος πασης κτισεως, in illo παν το πληρωμα post reductionem æonum oculis animi sistitur maxime. ℣. 15.

Secundo enumerantur τα παντα maxime secundum principatus in cœlis, qui defecere a filio. ℣. 16.

Tertio dicitur omnia in ipso unâ constitisse. Non dicitur, consistunt, sed, constitisse; argumento quod jam non amplius insint, ut infuere primitus. ℣. 17.

Quarto dicitur, illum qui est caput ecclesiæ primum quoque locum in universi-

versitate rerum reductarum habiturum. ℣. 18.

Quinto; Et sic omne πληρωμα, omnem plenitudinem post impleta tempora in ipso inhabitaturam, ut omnia & singula capitis hujus influentia in corpore universo gaudeant. ℣. 19.

Sexto; Idque omne futurum per reconciliationem sanguinis crucis ejus. ℣. 20.

Tot & tanta προορισμος & prædestinatio Dei complectitur, nonnisi hoc ambitu vere intelligibilis.

Septimo; Objectum principale hujus loci jam contueri attentius juvabit. Appellatur effigies Dei invisibilis, adeoque id habere debet, per quod Deus invisibilis creaturis fit sensibilis. Dein appellatur primogenitus omnis rei conditæ, quando nimirum omnis creatura libertatem filiorum Dei anhelans erit reducta, neque amplius vanitati subesse cogetur. Omnis enim atomus molis, omne Spiraculum vitæ laudabit Dominum. *Ps.* 150, 6. & tum demum adparebit filium esse primogenitum omnis creaturæ. Dein dicitur etiam principium, quoniam principium per λογον creaturis extrapositis congenitum ex una parte in ipso λογω radicatur, unde dicuntur omnia in ipsum

creata, & ipse principium creaturæ Dei. *Apoc.* 3, 14. Deinde dicitur etiam primogenitus ex mortuis, ℣. 18. ut & *Apoc.* 1, 5. Nam Christus ex mortuis resuscitatus discipulos demum fratres appellavit. Trahit igitur primum fratres ut caput ecclesiæ ad se, hinc dicitur primogenitus inter multos fratres. *Rom.* 8, 29. Trahit eos attractione spiritualiter physica & viva postquam in gloriam exaltatus est. *Joh.* 12, 32. Trahit reliquos mortuos, quorum intuitu, & non tantum solarum primitiarum *Jac.* 1, 18. & *1 Cor.* 15, 23. fortasse dicitur πρωτοτοκος εκ νεκρων *Apoc.* 1, 5. His perpensis latitudo dicti Paulini *1 Cor.* 15, 22. *Rom.* 5, 17-19. in propatulo est.

§. 53.

Absolutis his quæ methodo scripturaria tradi potuerunt, pauca jam supersunt quæ methodo scholastica comprehendimus.

Ex Theologorum Thesi Electio consideratur vel secundum voluntatem antecedentem vel secundum consequentem, unde ordo electionis.

Th. I.

Triplicem olim statuerunt; Electionem universalem, specialem, specialissimam. Ultima hodie communiter indigitatur voce electionis. Potest vero electio ad vitam, secundum nostrates considerari dupliciter: α) secundum voluntatem antecedentem β) secun-

cundum consequentem; vel prout includit fidem in Christum divinitus omnibus præscriptam per modum conditionis consequendæ salutis æternæ, vel ut prævisam in præscientia divina, adeoque ut conditionem in signo rationis jam præstitam & adimpletam. Priori modo dicitur universalis, at non sensu HUBERI, quippe qui τάξιν fidei e decreto electionis prorsus excludit; esse enim actu omnes homines juxta absolutum Dei decretum electos, ipsos vero sibi hæc bona acquisita & oblata non applicare. Nos vero hunc ordinem electionis statuimus. 1) Est in Deo lapsus Adami prævisio; 2) decretum de hominibus omnibus ab interitu liberandis; 3) voluntas mittendi Salvatorem; 4) dispositio de mediis omnibus offerendis; 5) prævisio eorum qui in Christum erant credituri, & denique horum prædestinatio ad vitam æternam.

§. 54.

Reformati in statuendo ordine in diversa abeunt. Alii enim sunt supralapsarii, quorum antesignanus fuit Calvinus, qui statuit Deum antecedenter ad lapsum, ad æternum exitium damnasse maximam partem hominum; decreviſſe Deum ante omnem prævisionem Reformatorum sententiæ.

lapsus vel fidei, quod velit misericordiam & justitiam exercere, hunc in finem creasse homines vel reprobandos vel eligendos. Sed multos Reformatorum pudet hujus commenti. Hinc plurimi in sublapsariorum placita transeunt, inter quos est etiam GÜRTLERUS & MELCHIOR. Statuunt hi peculiare propositum gratiæ & peculiare propositum iræ. Per propositum gratiæ Deum Patrem ante omnia filio voluisse regnum testamento legare, ut delicias & gloriam acciperet in hominibus ex potestate diaboli asserendis, sanctificandis & ad vitam perducendis, ut in iis mirabilis & glorioſus adpareret. *Luc.* 22, 21. *2 Thess.* 1, 10. Christum esse hæredem primarium Dei testamento scriptum. *Hebr.* 1, 2. cujus hæreditas cum sint homines per ipsum salvandi, hinc quoque huic testamento insertos & cohæredes esse. *Rom.* 8, 17. electos in ipso. *Eph.* 1, 4. quorum fides in Christum & tota sanctificatio ex mera electione derivanda sit. Per propositum iræ Deum aliquos vasa misericordiæ constituisse & simul alios neglexisse, imo eos ut vasa iræ ad interitum constituisse, idque eo fine ut demonstraret justitiæ severitatem & per contrarium illustraret misericordiam. *Rom.* 9, 22.

9, 22. 11, 22. Omnia ex beneplacito voluntatis derivant, quia omnes eodem luto hæserunt; neque prævidere potuisse Deum in misero peccatore applicationem bonorum antequam eandem largiri decreverit. Negant itaque Reformati easdem esse causas salvationis & electionis, negant voluntatis divinæ decernentis & discriminantis causam impulsivam in subjectis dari. Pelagianismi nostram sententiam arguunt, & falso supponunt nos statuere, fidem esse conditionem ab hominis in peccatis mortui arbitrio pendentem.

II. DE HOMINE.

De homine in statu creationis: de imagine Dei in homine. De officiis &c.

§. 1.

Articulus de homine in locis Theologicis parum loci habet. Subministranda sunt igitur quædam, ibi minus obvia. Sensu communi observamus admodum distingui homines indole & aspectus diversitate. Residet in oculis quorundam insignis vigor & radiorum

Sensus communis homines distinguit ex vigore oculorum & indolis diversitate.

vivacitas, ut altera facies videatur, ac ea quæ carni ineſt. Huic contraria eſt indoles ſervilis, tetrica, lugubris. Et ſane ſi comparemus homines, deprehendimus ſtaturam corporis longam vel brevem vel mediocrem, faciem, malas, frontem, verticem, tempora, oculos, palpebras, ſupercilia, naſum, os, dentes, mentum, aures, collum, humeros, pectus, brachia & pedes, cum interna animi conſtitutione convenire, unde virium nutritionis & digeſtionis, unde ſanitatis & morborum differentiæ. Obſervantur a plurimis quatuor, ab aliquibus autem ſex vel ſeptem conſtitutionum differentiæ. Hæ quidem e materna alvo adportantur, ſed tamen obſervamus aciem oculorum mutari ſapientiæ vel ſtultitiæ, juſtitiæ & malitiæ inchoamentis & progreſſibus. Poſſunt ex aſpectu hominum multa præſagiri, ſed hæc mentis obtutu magis quam verbis comprehenduntur.

§. 2.

Senſus ſpiritualis ex characteribus moralibus, non tamen excluſis prioribus indiciis.

Utut itaque ſenſus communis in propria & aliorum indole cognoſcenda multum aſſequatur, tamen ſ. ſcriptura ſenſum hunc maxime elevat, & ad acutius & ſpiritualius videndum, non tam ex temperamento, vel ſiderum aërem alter-

alternantium positu, sed ex sapientiæ & justitiæ, nec non stultitiæ & malitiæ distinctissimis characteribus media suppeditat, ut videre est in Proverbiis Salomonis a me editis.

Non est silentiæ transeundum, quod Salvator a Marco describatur diversa vice, *c.* 10, 21. inspexisse & amasse tum juvenem dicentem: omnia hæc observavi ex juventute mea; tum discipulos bina vice *V.* 23. 27. indicio quod verborum energia mutationem in vultu producat. Dixit etiam Jesus ad Nathanaëlem, *Joh.* 1, 48. Ecce revera Israëlitam, in quo nullus est dolus. Tradit Nicephorus in historia ecclesiastica, quod quidam eximium pictorem ad Jesum miserit, ut accurate faciem ejus delinearet, quam cum pingere ille multum conaretur, voto frustratus est, divinus quippe splendor & gratia in ejus vultu commorans erat impedimento, quo minus pingi potuerit. Idem de Maria virgine scribit: Nam eam in suo oratorio Dionysius Areopagita videndi gratia nactus, contuens oculorum puritatem, dixit: Nisi fide roborarer, non putarem Deum esse formosiorem. Sacræ literæ V. T. Mosen, Josephum, Davidem a formositate laudant. Sed dummodo quis sine affectatione candidum

se gerat, & gratia plenus sit, certe ille placebit, si vel Saturninum vultum ab utero acceperit. Fides & constantia sunt id quod Deus respicit, & quod etiam extrinsecus in oculis nitet. Adeo τὸ spirituale prævalet τῷ Psychico.

§. 3.

Probatur ex s. scriptura hominis præstantia præ reliquis.

Dicemus igitur ad scripturæ tenorem quæ de homine dicenda sunt. Præstantia hominis inde probatur: 1) quod reliquæ creaturæ vitam acceperint simul cum materia, homo autem spiraculum vitarum acceperit non simul, sed ordine successivo per insufflationem novam in materiam jam factam. 2) quod præfectus constitutus fuerit orbis terræ. 3) quod angelos habeat comites invisibiles, imo certo respectu administros incolumitatis. 4) quod filio Dei redemtore gaudeat. 5) quod naturæ divinæ & bonorum cœlestium capax sit. 6) quod Deum agnoscat creatorem imo patrem. Multa possent dici de præcellentia hominis primi in statu integro, inprimis quum sapientes Judæi & moderni etiam mystæ nimium quid & ultra verba scripturæ tribuerint homini primo. Cum nemine litem habebimus in re difficillima, nolumus enim personato gressu scientiæ

incedere, & invadere in ea quæ non vidimus. *Col.* 2, 18.

§. 4.

Homo ex duplici conflatus est in unum coëunte, spirituali & corporali; priore vitali, summe activo & indestructibili, posteriore passivo, minus activo, destructibili, & ulterius distinguendo in partes solidas & fluidas, & in spiritus animales, actuantes solida & fluida, sub regimine vitæ superioris. Homo itaque est persona in fine omnium a Deo per λογον creata, non solum corpore animato organico prædita, sed etiam spiritu rationali pro gubernandis quibusvis inferioribus.

Homo conflatus est ex duplici scil. activo & passivo.

Sacra scriptura nil determinat de duplici suppositio spirituali & corporali, per se existente, sed dicit, pulveri ex terra in sensoria, ut nares, formato, per nares insufflatum esse spiraculum vitarum.

§. 5.

Jam an hoc spiraculum vitarum seperatim extiterit, nemo determinabit, certe ex ore Dei immediate sensoriis junctum depingitur. Potentias supramechanicas vitales præextitisse, saltem in Deo, probabile est, sed nondum ita colligatas, ut per insufflationem oris Dei factum est. Hinc eminentia hominis

An sec. scripturam s. vita animalis seu activum per se subsistiterit extra corpus passivum.

præ aliis animalibus elucet. Hæc enim creata originaliter ſunt, ut avtomatica vita ſe ipſam movens una creata, & coadunata ſimul fuerit materiæ inerti, ſe non ipſam momenti; homo autem alio ordine acceperit ſpiritum vitarum. Animalia dicuntur caro, in qua eſt ruach chajim, ſpiritus vitarum, & jekum ſeu ſubſtantia, quam Deus fecit ſuper faciem terræ. *Gen.* 7, 4. quod explicatur ℣. 21. 22. 23. Et expiravit omnis caro, quæ motitat ſe ſuper terram, tam aves, quam pecudes, tam beſtiæ, quam reptilia, quæ repunt ſuper terram & omnis homo. ℣. 22. Omne, cujus in naribus, niſchmat, halitus erat, ruach chajim ſpiritus vitarum, ex univerſis quæ degunt in ſicco mortuum eſt. ℣. 23. & deleta eſt omnis ſubſtantia, jekum. Vide etiam ℣. 14. *Jeſ.* 42, 5. *Job* 33, 4. 34, 14. 15. *Eccl.* 3, 21. 19. vita eſt colligatio potentiarum actuantium materiam, quoad Deus reaſſumit. *Pſ.* 104, 29. Hic ipſe colliges, Lector, homini & animantibus reliquis commune fuiſſe, in naribus habere ſpiraculum vitarum. An jam ſit differentia inter niſchmat chajim, & niſchmat ruach chajim, id non determino. Eſt tamen in hoc differentia per nexum oraculorum patens. Gradus ſupe-

superior vitalitatis cum sensoriis magis divinis petendus est ex insufflatione peculiari divina, per quam vitæ in duali, hoc est, vita colligatione potentiarum constans inspirata est, per insufflationem immediatam in gradum altiorem, quam bruta habent, elevata. Gradus vero altior positus fuit in eo, quod sensorio mundiformi, per quod communicationem cum creaturis habuit, additum fuerit sensorium Deiforme, ita ut, quemadmodum illud mundiforme per Deiforme elevabatur, ita etiam Deiforme per irradiationem τῦ λόγε nobilitaretur. Anima & vita in scripturis unum sonat. Jam si quis consideret, quæ Paulus docet, *1 Cor.* 15, 45. factus est primus homo in ψυχὴν ζωσαν, ultimus homo in spiritum vivificum; clare colligimus, vitam seu animam Adami habuisse quidem nobiles potentias unitas corpori, ubi omnia contigua, & ubi vitalia in tangibilibus erant maxime actuosa, sphæram activitatis potentiorem habentia, quam nunc; at tamen defuisse primo homini, in quo dotari amplius debuisset supra imaginem, per majorem similitudinem *Gen.* 1, 26. in qua perfecta spiritualitas seu potentiæ superiores superadditæ. Patet etiam vitam hominis in substantia capacem

Dantur gradus vitæ in corpore passivo.

cem fuisse augmenti semper majoris & additionis potentiarum, & adhuc capacem ejus esse per spiritum carnis & sanguinis Christi vivificum. Sic & vita decrementi & λύσεως substantialis ut in malis capax est. Sic a Nebucadnezare rationalitas demi & eidem reddi potuit.

Nos hactenus s. scripturæ simpliciter inhæremus, quasi nil de philosophorum, scilicet antiquorum Pythagoreorum, Socratis, Platonis, & novorum Platonicorum, Leibnizii & Wolfii placitis audivissemus quidquam. (Neutoni vero Philosophiam experimentis fultam non renuimus, quoniam cum s. scriptura concordat.)

§. 6.

Homo microcosmus. Qui hominem nuncupare solent microcosmum, propterea quod in ipso velut centro, universa conveniant rerum principia, non errant; siquidem in eo est aliquid essentiale præter corpus, scilicet spiraculum vitarum, lucerna Dei, *Prov.* 20, 27. quod regit & penetrat omnes corporis cameras, & aliud quidpiam sensuale passivum, vel cameræ corporis quæ reguntur, quæ ad analogiam macrocosmi constituta sunt. *Eccles.* 12, 1-7.

§. 7.

§. 7.

Sicuti autem in regione aliqua subditi nunquam unius manent indolis, duobus contrariis imperantibus; ita homines in hac vanitate rerum propter spirituum regentium discrepantiam non dantur æquales, sed semper inveniuntur pii & impii, tota vita diversi. Spiritus sanctus accedit bonis, malus malis. *Joh.* 14, 30. *Eph.* 6, 12. 2, 2. 2 *Cor.* 4, 4. Ante unionem cum Spiritu sancto homo est animalis seu Psychicus, post unionem πνευματικος. Psychicus vero sine Spiritu sancto hospitem acquirit spiritum malum, tum non manet Psychicus, sed simul spiritu malo affectus vel habitatus. Hæc vero differentia in V. Testamento, ubi ante adventum Domini vita Psychica nondum tam aperte Spiritu sanctificationis afficiebatur, non tam aperta fuit ut in Novo. In novo demum Testamento differentia hæc in ecclesia primitiva fuit conspicua, nunc vero in multitudine iterum emersit genius Judaicus, ut nisi spiritualibus differentia illa haud sit in aprico.

Sec. f. scripturam magna differentia est inter hominem animalem & spiritualem. Animalis varie adficitur vi a se diversa.

§. 8.

Spiritus ille communicatur animæ per verbum illo sensu sumtum, quo *Ebr.* 4, 12. 13. sumitur, scilicet per verbum

Spiritus S. adsicit & inhabitat bonos.

bum vivificans, & tunc ſpiritus cum anima in unionem coiens indies roboratur a capite Chriſto, a ſpiritu carnis Chriſti vivificæ, *Joh.* 6. per totum; ſitque rector & principium actionum, auctor fidei & pietatis practicæ, conſcientiæ purificatæ, amoris ſereni, tranquillitatis veræ, ſpei vivæ, atque ſic fit primarium Chriſtianorum conſtitutivum, eos ad beatitudinem unus & ſolus vivificans, informans & idoneos reddens. *Joh.* 14, 9. ſqq cum *cap.* 17. toto. Spiritus malus, auctor fons & ſcaturigo peccatorum & inde venientis infelicitatis, ut ipſe primario per cogitationes in ſe & in abſtracto, abſque collatione cum principali ſuo, lapſus eſt, & per imaginationes peregrinas & interpretationes falſas dotem amoris & gloriæ ſibi conditionate oblatam vertit in propriam facultatem & potentiam independentem; ita tales niſus, talia molimina inſpirat iis, qui eum, neſcii quem tyrannum, ſub ſpecie propriæ prudentiæ admittunt.

Malus malos.

§. 9.

Quem itaque bonus regit Spiritus, is primo manifeſtum, quamvis velut in ſomno, in ſe cum alio ſentit commercium. Continuæ ſubeſt pædiæ ſeu caſtigationi ad quævis ſalutaria. In ejus-

Regimen Spiritus ſancti.

ejusmodi subjecto verbum instar spermatis paulatim in fidem succrescit, & sic homo tandem vere se ipsum noscit in Deo & Deum in se ipso. *Joh.* 14, 20. 21. 23.

Regimen spiritus mali.

Quem vero malus occupat genius in ejus anima nullum personale cum eo commercium sese prodit, sed arripiuntur præjudicia consuetudinum pravarum vel philosophiæ mundiformis. Nam bonus spiritus sancta lux est, nec opus habet ut se quocunque tandem modo occultet; malus vero mendax, ut se ipsum quoad substantiam convertit in mendacium, densissimis tartarisatus tenebris, ita celare se necesse habet & opera sua. *Joh.* 8, 44. 3, 20. 21.

Qui clarius hosce depictos cupit cohabitatores antequam in se ipso aliquid cognoverit, ex verbo Dei & praxi agat quod Salvator jubet: Scrutamini & explorate scripturas. *Joh.* 5, 39. Post scripturariam hominis delineationem nunc subjungam ea quæ methodo scholastica efferri solent.

§. 10.

Formulæ Theticæ. Homo non bene tribus partibus constare dicitur.

Th. I. Bene secundum optimi Servatoris dichotomiam homo duabus partibus, anima & corpore constare dicitur. *Matth.* 10, 28. Nam syllogismus cuivis est factu facilis: Quot partes judex

judex Deus in gehennam potest perdere, tot constat; Ratio, quia peccatum omnes partes substantiales hominis occupat. Atqui duas partes perdere potest. Ergo duobus constat.

Ex natura rei potest etiam hoc asseri: Quod aptum est ad recipiendas actiones & rationales & spirituales, illud non duarum instar substantiarum concipi debet. Atqui anima apta est &c. Ergo &c. Non igitur tribus opus est. Lis semper nova moveri potest de conceptu substantiæ. Quæritur enim an a Spiritu, an ab anima substantialitas prædicanda; siquidem secundum *1 Thess.* 5, 23. trichotomia in spiritum animam & corpus urgeatur. Anima enim & vita in scripturis synonyma sunt, & nescimus utrum vita animæ, an spiritus suppositalitatem perficiat. Et sic multi tres partes statuentes, ipsi haud intelligunt, an spiritum an Psychen pro substantia vel suppositio debeant agnoscere. Ipsis spiritus incorporeus respectu corporis animati videtur esse agens, corpus organicum patiens, anima respectu spiritus patiens, respectu corporis agens, & quod maxime vim agendi insitam habet, illud maxime substantia dici meretur.

Haud

Haud abs re: hinc vix terminatur lis nisi dichotomia Christi.

§. 11.

Th. II. Ex sacra scriptura non immortalitas animarum, sed tantum immunitas a morte patet. Dictum *Eccles.* 12,9. spiritus redit ad Deum, qui dederat illum; nil probat pro immortalitate ex se ex sua natura, sed tantum quod animæ sint superstites Deo reddendæ. Nec plus probat specialis fidelium animæ suæ in manus Dei sub articulum mortis commendatio. *Luc.* 23, 46. *Ps.* 31, 6. *Act.* 7, 59. Nec plus probat nisi immunitatem diserta status corporis a statu animæ in morte discretio, hujusque a cæde exemtio. *Matth.* 10, 28. Nec mortis cum somno comparatio probat aliquid. *1 Thess.* 4, 14. *Matth.* 9, 24. Deus enim solus dicitur habere immortalitatem intrinsecam, *1 Tim.* 6, 16.

Non potest ex s. scriptura probari immortalitas intrinseca animæ, sed tantum immunitas a morte.

§. 12.

Ad immortalitatem probandam Leibniziani ita se accingunt. Dicunt animam esse monadem ex sua natura perdurantem, suppositio concursu Dei generali. Supponendus est enim concursus Dei generalis, quem ut ajunt, subtrahere potest Deus. Probandum

Leibnizianorum immortalitas quomodo probetur.

igitur illis est, Deum non posse velle ut subtrahatur unquam.

Supposito autem concursu sequitur animam duraturam post mortem, in statu ubi conscia sibi est boni & mali judicandi, & ubi discernere potest consecutionem status præsentis habere rationes in conditione præteriti. Quod Deus itaque non velit subtrahere concursum post mortem ex sola scriptura apodictice probatur; tum ex parabola de divite luxuoso *Luc.* 16. tum ex æonibus æonum duraturis secundum Apocalypsin, sed ex instinctibus hominis, in futurum quid tendentibus, longe plausibilior probatio instituitur.

§. 13.

Propagatio animæ per traducem. Th. III. Anima humana propagatur mediante semine animato, vi benedictionis primævæ *Gen.* 1, 18. 8, 17. alias Deus non justificari potest, quin sit auctor mali; ipse enim peccatum originale in liberos propagaret, nisi per traducem propagaretur. Tradux animalis ex præformato animali Deum non justificat, sed tradux animæ non existentis in formatione ex anima actu existente.

§. 14.

Status integritatis con- Th. IV. Status integritatis secundum BELLARMINUM Lib. de grat. I^mi hom.

hom. c. 5. non concipiendus est constitisse in freno concreatæ rebellioni inclinationum, ex conditione materiæ resultantium, posito; sed in harmonia virium perfecta, quæ tamen imaginatione aliunde excitata potuit turbari. *Eccl.* 7, 29. Hoc inveni, dicit Salomo, Deum fecisse hominem rectum, ipsos autem quærere ratiocinia. *Gen.* 1, 31. 3, 5. 6. 7. Observarunt sese nudos, h. e. viribus, antea harmonicis, privatos. stitit in harmonia virium.

§. 15.

Th. V. Creavit Deus primos parentes in imagine sua secundum similitudinem suam, *Gen.* 1, 26. 27. Zælæm & Demuth, imago & similitudo non sunt plane synonyma, sed alterum, similitudo, notat excellentius quid. Imago consistit in certa mensura gloriæ in vita, cum dominio in reliqua, ad imaginem Deitatis, ita ut intrinseca lux intellectus & puritas appetitus sese in corpus ipsum transfuderit, ut tum a passionibus tum a potentia moriendi proxima fuerit exemtum pro usu ordinato arboris vitæ. Imago Dei fuit certa gloriæ mensura, per quam dominabatur homo super reliqua.

§. 16.

Th. VI. Imago Dei in posteros propagabilis compositum & colligatio quædam fuit ex potentiis tum naturalibus tum spiritualibus. Unde sensoriorum Illa fuit colligatio ex potentiis naturalibus & spiritualibus, quarum

illæ propagabiles, hæ infusæ.

diversitas, quorum unum immediate patuit Deo, alterum creaturis. Sensorium pro creaturis subordinatum fuit cœlesti, cujus adumbratio aliqua est in vultu quorundam decoro Gallis air, Italis Aria dicto, quod aliud quid est ac naturalis Physiognomia, plane in oculorum acie concentrato & placide ad hunc vel alium hominem directo, cum gratiis venustis, quæ sunt quasi spirituale quid respectu corporalis. Propagari το spirituale non potuisset æque ac naturale, sed naturali ad posteros transeunte, alterum spirituale lege constanti cœlitus adfuisset; præsentia divina & Trinitatis inhabitatio secundum certos gradus huic vel illi subjecto fuissent adfutura. Inde distinctio justitiam originalem homini naturalem fuisse non constitutive vel consecutive, sed perfective & transitive. Patet hinc simul, quid novus homo sit in regenitis, scilicet resplendens ex inhabitante gratia & veritate spiritus decor; seu proprietas spiritualis naturalem elevans indolem. Hæc imago Dei est splendor externus vitæ internæ in purissimo motu effluendi ex fonte & refluendi in fontem positus. Si minus Physice desideras, est facultatum animæ perfectio, vis voluntati & libertati superaddita,

dita, non tantum causas rerum facile eruens, sed & vim naturæ & gratiæ comprehendens, queis momento quasi elegit & assecutus est optimum sine multo ratiocinio. An sit essentiæ vel substantiæ vel naturæ vel qualitatum vel methodi tantum immutatio, nil attinet disputare. Nam nemo Theologus definitiones satis constantes horum terminorum dedit, & Philosophicæ definitiones variant prout hujus vel alius Philosophiæ patronus fueris. Quid enim est substantia, nonne id quod substat proprietatibus? Collectio omnium proprietatum in uno est id quod substat proprietatibus. Sic mutatio proprietatum mutationem potest tandem inferre substantiæ.

§. 17.

Th. VII. An post lapsum & amissionem imaginis divinæ supersint rudera, quæstio est ardua. Dicunt stilo Biblico nulla supereſſe, stilo ecclesiastico supereſſe notitias naturales, reliquias dictas. Sed quis ita distinguet? Certum est imaginem Dei fuisse compositum vitale, ex potentiis tum naturalibus tum spiritualibus, ut jam sæpe diximus. Amisimus spiritualia, retinuimus naturalia. Beatissimum nobis & optimum hoc est, per Salvatorem posse

An sint nobis reliquiæ imaginis Dei.

posse restitui id quod amissum, & nos ad ζωην ακαταλυτον, ad vitam non amplius solubilem pervenire posse per Spiritum Jesu Christi. *Ebr.* 8. Interim non abs re est, hominem in se ipsum inquirere, quales adhuc dum habeat facultates, ut inde colligere possit, quales amiserit, quales ipsi dentur per Spiritum Dei. In se ipsum descendens percipit se cogitare, cogitationes esse vel transeuntes & opticas tantum vel permanentes & radicatas; utrisque inesse aliquid libertatis; libertatem perfici, quo plus virium divinarum accipiat. Jam Theologi negant dari in homine liberum arbitrium ad res spirituales, hoc verum est. Si vero anima res naturales pro objecto habet, tum eligere utique potest pro rationum præpondio.

§. 18.

De reliquiis liberi arbitrii. Nonne igitur anima post lapsum quoque habet principium intrinsecum indifferens ad hoc vel illud ad agendum & ad non agendum. Quod principium rationibus & viribus iterum firmatum agit libere sive in naturalibus sive in spiritualibus. Si nullæ vires adsint Spiritus, quibus rationes pervidere potest, etiam non agit hoc principium, etsi facultatem intrinsecam haberet agendi,

agendi, si adsint, agit. Hinc semper Theologi, controversiis occupati, quo sensu se homo mere passive habeat ad gratiam, mire se exercuere. SEBAST. SCHMID Tr. de imagine Dei p. 305. distinguit inter liberum arbitrium, quod est ipsa facultas animæ; & inter id quod est facultatum animæ in spiritualibus perfectio, NB. non essentialis animæ, etsi olim naturalis. Vides, Lector, ipsum SCHMIDIUM supponere in anima tale compositum ex essentiali & naturali, scilicet eo quod essentialibus animæ superadditum est.

CHEMNIZIUS L. L. Theolog. p. 166. mavult dicere, se de viribus humanis agere quam de libero arbitrio. Sunt nimirum vires humanæ illud intrinsecum & essentiale. Sic & Musæus coll. Controv. p. 137. 500.

§. 19.

Th. VIII. In tanta difficultate conceptus de libero arbitrio, quæ LUTHERUM, MELANCHTONEM & CHEMNITIUM adeo torsit, opus est excutere rem a primis inde initiis. Discrimen Libertatis Theologicæ & Philosophicæ.

Scripsit WAGNERUS Librum: Untersuchung des Begriffs von der Freyheit. Hic liber usum habet apud eos, qui rite meditando discrimen libertatis sensu Theologico & Philosophico sum-

tæ pervidere cupiunt. WAGNERUS p. 71. seqq. ait: Libertas Theologico sensu denotat perfectionem virium animæ ipsius in omnibus facultatibus cogitandi, intelligendi, volendi, & quidem mere ad bonum, ut res spirituales possint cognosci desiderari & perfici: Libertas Philosophico sensu denotat vim animæ, qua facultates cum scientia & voluntate adhibere & applicare potest, quantumcunque magnas vel parvas, perfectas vel imperfectas, ad bonum vel malum directas. Ipsam libertatem in se p. 79. 80. ita definit: Libertas est vis ex intrinseco fonte, conatu & delectu tantum id volendi, quod ut bonum agnoscitur, & id nolendi, quod ut malum agnoscitur. Libertas sensu Philosophico sumta est aliquid internum & essentiale, & aut nulla libertas est, aut se eodem modo erga objecta vel spiritualia vel naturalia habere debet. Igitur libertas sensu Theologico sumta, quam hominibus animalibus abjudicant Theologi, nonnihil differre debet intrinsece & formaliter a Philosophica, non tantum quoad objecta naturalia vel spiritualia. Habet libertas philosophico sensu intrinsecum principium ad agendum vel non agendum, ad hoc vel ad illud objectum.

ctum. Habet hoc essentialiter, & sane difficile est negare in Theologia, quod in Philosophia affirmatur; negare, quod anima habeat principium intrinsecum Theologice, si id habet Philosophice. Si anima Theologice & Philosophice est nisus indifferens sui conscius, tum sane libertas sensu Theologico sumta, debet aliquid ultra illud essentiale habere, quocunque nomine, sive naturalis sive supranaturalis, sive gratiosi sive benigni, sive substantialis, sive accidentalis veniat, adeoque differre nonnihil a libertate philosophica. Discutitur omnis difficultas, si imaginem Dei concipias, ut vitale compositum ex essentiali vi animæ & ex superaddito quodam huic essentiali.

§. 20.

Allegantur Testimonia doctorum.

Th. IX. Accurati Theologi rem hanc acu tetigere. MEISNERUS in Anthrop. sacra Disp. 21. §. 40. ait: Liberum arbitrium consideratur 1) philosophice, respectu suæ οὐσιας, quatenus notat internum liberumque operandi principium, ubi certe nihil potest esse aliud, quam voluntas (scilicet libera, vel ipsa libertas) quippe quæ sola est potentia indifferens & illud internum liberumque actionum principium. 2) Theologice; ratione suæ

ἐνεργειας, ubi non tam æstimatur, quid sit, quam quid possit, vel quas in agendo vires obtineat. Hoc respectu liberum arbitrium non est ipsa voluntas, quia hæc in omni statu hominis quoad essentiam (adeoque quoad essentialem libertatem philosophice) manet eadem; liberum vero arbitrium variatur, adeo quidem, ut illud in statu lapsus nullum vel amissum esse dicatur. Voluntas vero (scilicet libera, quatenus est liberum agendi principium, ut supra dictum est) minime amissa est. Unde arbitrium NB. Theologice sumtum a voluntate (addo, ejusque essentiali libertate) multum differre consequitur. Est autem nihil aliud, quam vis quædam voluntati (vel potius omnibus facultatibus, ut ex sequentibus patet) superaddita (adeoque non essentialis) eamque perficiens, per quam illa ad bonum promte inclinatur, & quod elegit facile exequitur. Sic & §. 41. Libertas ratione ἐνεργειας (i. e. theologice) non est peculiaris (a voluntate) δυναμις, sed δυναμεως (videlicet voluntatis) NB. perfectio divinitus concessa. Quando enim in renatis renovatur liberum arbitrium, non accedit nova facultas proprie dicta, qualis est ratio & voluntas, sed potius facultatum (adeoque

que non solius voluntatis) perfectio, vel donum aliquod facultatem perficiens; vis operandi bonum Theologicum & servandi præcepta, inclinatio ad bonum & vis quædam bene facileque operandi, voluntatem perficiens, primum concreata, per lapsum amissa, in renatis nonnihil instaurata, in beatis plane consummata.

Omnis de libertate difficultas sita est in eo, quod non consideremus, quanta sit potentiarum & virium abyssus in homine. Evolvatur specimen Theologiæ Soharicæ Domini SOMMERI, ubi locum Soharis p. 1. fol. 22. a lin. 19. edit. Amstelod. transtulit in Latinum. Rabbi SCHIMEON ait: Socii, si Deus O. M. non creasset concupiscentiam pravam (seu vim & principium unde concupiscentia prava prodire potuit, nam pravam in se Deus non creavit, igitur ita intelligendus est Sohar a quolibet æquo interprete) & bonam, fuisset neque justitia, neque culpa homini condito. Sed cum de utroque est compositus, ideo dicitur, quod extat *Deut.* 30, 15. Tandem respondérant Socii: Certe hoc tempore aliquid audivimus, quod antea auribus nostris exhibitum fuit nunquam.

§. 21.

§. 21.

Ulteriora de libertate.

Th. X. Libertas habet in se potentiarum & virium abyssum, hinc potest se demittere coram Deo, manens in harmonia virium, & sic bonum in oculis ejus eligere, sicque potest in amore Dei & humilitate innumera bona prolicere & perficere. Potest vero etiam transgredi harmoniam virium, transilire limites, & potentiam propriam sibi pro Deo elevare, & sic innumeris se malis fœdare. Estne aliquid mali in eo? minime. Estne positivus mali fomes? minime. Quid enim? Est naturalis solubilitas potentiarum, quæ facile se exserit, ubi divina vis non superaccedit; se vero non exserit, ubi hæc supervenit. Potest Deus hanc subtrahere vel largiri pro gradu obedientiæ acccedentis vel recedentis a præcepto. Accipe jam & confer quæ clarius dicam. Datur prædestinatio non in nudo decreto posita, sed in ipsa directione eorum, quæ creaturis sunt intrinseca. Eorum aliqua sunt essentialia, (urim) sine quibus nulla creatura subsistere potest; alia activa sine quibus creatura non potest manere in harmonia virium & quæ ab essentialibus finiuntur; (tummim) alia passiva quæ sub schemate limitationis corporeæ priora

priora duo includunt. Vide HANNEMANNI dissertationem qua aliquid Urim & Tummim *Exod.* 28, 30. analogum hominis menti inscriptum asseritur. SWEDENBORGII principia rerum naturalium. in fol. Et hæc sunt principia illa, de quibus Zophar ad Hiobum loquitur, *c.* 11, *v.* 6. quæ appellat abdita sapientiæ, taalymot chochma, quæque dicit esse duplicia, & hæc in solida quadam summa, tuschiah, contineri innuit. Dubitat autem, si vel illa sciantur, an Hiobus omnia ad consummationem usque inventurus sit; dicit enim, Deum cum viribus illis esse altiorem cœlo, profundiorem orco, longiorem terra, latiorem mari. conf. *Eph.* 3, 18. Deus itaque semper actuosus, *Joh.* 5, 17. & in actu purissimo constitutus super omnia & agens per omnia & in omnibus, in sextiduo prædestinationes horum principiorum ita posuit, ut tamen illimitatum & non necessarium sortiantur eventum. Insunt omnibus rebus; sed ex illis duobus nonnisi unum ad prædominium trahitur. Quousque principia hæc in manu Dei sunt, harmonica manent, at extra harmoniam quandoque rapiuntur, permissione Dei, per agentia Deo contraria & per aberrationes liberas naturæ,

pere-

peregrinas concipientis ideas. Liberum quoque arbitrium habet facultatem, eliciendi unum principium extra harmoniam, adeoque illa separandi & in oppositionem determinandi, sicque eligendi alterutrum, bonum vel malum, ita ut electio mali turbet ipsam intrinsecam sui constitutionem.

Libertas opponitur necessitati. Necessitas arbitrii nulla datur, quia principiorum datur diversa determinabilitas. Interim inclinationes trahuntur ab externis, vel ab intra feruntur ad simile sibi. Inclinationum, ad alterum oppositionis terminum magis propensarum, causæ sunt varia principia inæqualiter insita, & tamen plenitudine aliter determinandi se fœta, vel ex traduce, vel ex impressione anteactæ vitæ, vel aliunde. Unde varii influxus præpondium acquirunt.

Semina principiorum quælibet sunt in quolibet Sed rationes cur hæc præ aliis evolvantur sunt in abscondito, partim in seminis prædispositione connata, partim in potentiarum vitalium abundantia, partim in aliis innumeris causis invisibilibus. Sed libertas arbitrii latitudinem habet immensam in plenitudine potentiarum vitalium. Jam in dissertatione mea pro gradu magisterii

sterii An. 1725. beatus Præceptor meus S. R. HAGMAJERUS p. 9. refutavit demonstrationem WOLFII de principio rationis sufficientis, statuitque spiritum sine rationis extrinsecæ prævalentia posse se determinare ex intrinseco fonte, sine dubio propter abundantiam virium intrinsecam. Est itaque in quovis homine plenitudo superabundans sese determinandi ad hoc & ad illud, ut in natura quoad augmentationem germinum est vis infinita ad fœcunditatem, si rationes extrinsece positæ non resistunt, ut ipse WOLFIUS in Vermehrung des Getraydes statuit.

Datur itaque intrinseca indifferentia libertatis dictæ Philosophicæ valde abundans Dantur a Deo infinitis modis adjumenta, a Spiritu sancto, ab angelis, ab occasionibus pro libertate exercenda. Sed si se homo assuetis typis suis nimium adstringit, vim Dei insalutatam linquens, valde etiam indurescit per spiritum malum. Libertas autem Theologica est gratia omnes facultates coronans, est imaginis Dei potentia inenarrabilis. Deus enim cuilibet creaturæ vult esse & fieri omnia, dummodo ne se ipsa occludat & suis idololatrice ideis serviat.

Hanc

Hanc de libertate materiam si cupis sub paulo alio schemate contemplari, lege LICHTSCHEIDII confinium veri & falsi circa amorem purum. p. 64-71. & porro. Ejusdem interesse veritatis. p. 25-42. & porro.

III. DE LEGE.

De lege & διαθηκαις sive dispositionibus quibus homo DEUM respicit: de transgressione legis, sive peccato, de peccato originali & actuali.
De officiis &c.

§. 1.

Sensus communis obvias habet notiones maxime de peccato & justitia

Sensus communis est id quod respondet, tanquam sensorium, sapientiæ in plateis clamanti. Clamat enim sapientia voce elata in locis populosissimis *Prov.* 1, 21. ubi vita socialis maxime floret: sed utut ab omnibus necessitate quadam institutionis divinæ audiatur, tamen a paucis recte percipitur & distinguitur. Tria vero hominum genera compellat sapientia 1. simplices & fatuos, qui vacui sunt a doctrina. 2. Derisores qui falsa turgidi sapientia verum pro ludibrio habent. 3. Stul-

3. Stultos qui doctrinam odio habent. *Prov.* 1, 22. Admonentur quam maxime de peccatis, utpote transgressionibus legis, arguuntur conscientia sua de illis & de lege a qua deflectunt continuo. Nulla igitur sensui communi magis obvia notio quam ipsius peccati & legis. Per sapientiam reges regunt & dominatores justitiam decernunt. Ergo lex & justitia notio communis omnibus.

§. 2.

Differentia quædam est inter nationes, quædam ipsæ sibi lex sunt lege positiva Divina destituti, quædam legibus gaudent magis determinatis. Et tamen an detur lex naturæ, Melanchton valde dubitat. Certe subest magna ratio, cur in s. scriptura terminus ille non reperiatur, & Hippocrates, sensus communis maximus interpres, ait legem esse contrariam naturæ. Libro de Diæta. c. V. & c. VIII. Lex enim & natura, quibus omnia transiguntur, in confesso non sunt; legem enim posuerunt homines ipsi sibi ipsis; naturam vero omnes Dii exornaverunt. Quæ homines sanciverunt nunquam eodem modo se habent, quæ vero Dii sanciverunt semper recte se habent.

Non æqualiter de lege naturæ

quid Hippocrates sentiat de differentia legis & naturæ.

§. 3.

Origo Legis. Lex oritur ex virium indifferentia ad hoc vel illud, vel ex possibilitate egrediendi ex temperamento virium & potentiarum determinato. Unum sine diversitate potentiarum non habet legem, ubi autem plura ex uno deflectere possunt, ibi lex intelligenti a superiore ponitur. Ciceroni lex est regula vitæ, Paulo lex est vis peccati. Sensus communis eo non pertingit, quo Pauli lux spiritualis. Lex sensu communi, est regula dictans justitiam cum sanctione præmii, prohibens peccatum cum sanctione pœnæ. Et secundum hunc tenorem Salomonis proverbia scripta sunt, utpote quæ sensum communem firmant & stabiliunt.

Lex secundum sensum communem est regula vitæ, secundum Paulum, vis peccati.

§. 4.

Præmissis his transeundum ad ea quæ S. scriptura habet de lege & pecto. Incipiendum est ab ovo. In S. scriptura notantur varia historica, quæ circa transgressionem legis primam obvenere; secundum Hopperum possunt in ter novem seu in XXVII. puncta redigi breviter. 1) Satan, serpentis forte volantis Seraphica specie in Dei legem curiose & problematice inquisivit, quoniam sola falsa ad circumveniendum non sunt idonea. 2) Mulier respon-

Investigatio scripturaria de lege & peccato ex historia Mosaica.

respondit cum amphibolia & dubitatione tacita. 3) Replicavit serpens cum interpretatione falsa, quam dubitatio mulieris cum cupidine gloriæ admisit. 4) Mulier colloquium admisit. 5) Delectabatur intuitu arboris hoc instinctu Colloquii lustratæ. 6) Tulit de fructu. 7) Maritus admisit mulierem cum fructu venientem. 8) Accepit. 9) Comedit. Hinc patet quomodo & quibus gradibus homo sua sponte malus factus sit.

In secundo novenario occurrunt quæ lapsum sunt immediate secuta. 10) Apertio oculorum. 11) Cognitio nuditatis. 12) Integumenta foliorum & perizoma. 13) Absconsio a facie Dei. 14) Quæstio ubi es. 15) Responsio Adami: Audivi & timui. 16) Deus dixit: quis indicavit tibi nuditatem. 17) Adam ait: Mulier dedit fructum arboris. 18) Mulier excusat se serpentis deceptione.

In tertio novenario de pœnis occurrunt ter tria: 19) Serpenti dictum: Maledictus es, super terram gradere: Ex quo conjici forte potest, volasse serpentem prius. 20) Terram comedas. 21) Inimicitia inter mulierem & serpentem ponitur. 22) Mulieri post conceptionem ærumnæ annunciantur. 23) Do-

lor in partu. 24) Subjectio sub potestatem 25) Adamo indicitur maledictio terræ. 26) Sudor, vultus. 27) Reductio in pulverem.

§. 5.

Adamus legem habuit, a Theologis fœdus operum dictam, quæ aliter denominatur ante, quam post lapsum.

Non jam omnia singulatim excutiam de his. Unum dicam, Adamum habuisse legem, quod communiter dicitur fœdus operum, & defeciſſe ab hac lege. Jam vero Lex non semper in regula scripta vel propositione monadica consistit, sed in conformatione ad integrum quendam statum, cui vox quædam vel pronuntiatum superadditur, status conservandi gratia. Cum itaque Adamus creatus fuisset in debito virium temperamento & colligatione ad unum quendam perfectionis gradum, quæritur in quo constitit lex vel fœdus operum ante transgressionem, & cur lex vitæ & justitiæ post transgressionem mutata est in legem mortis & peccati? Certe enim post transgressionem lex a Paulo non amplius denominatur a regula justitiæ; sed vocatur lex peccati, vis peccati. Peccatum est aculeus mortis; Lex est vis peccati, qua homo magis in captivitatem peccati intruditur, quam si nullam haberet legem. Hic sane sensus communis nil videt, hic cessat, hinc s. scriptura spiri-

ſpiritualiter conferenda nos illuſtrare debet.

§. 6.

Notetur igitur, Adamum, etſi de naturis rerum Phyſice multa intuitive noverit, tamen non eousque intellexiſſe Naturam, ut illam habuiſſe potuerit pro norma & regula vitæ. Hinc arbor vitæ ipſi data eſt, ſed arbor cognitionis boni & mali ei erat interdicta; quoniam abyſſum naturæ non novit integram, hinc cautelis opus habuit paternis ne præpoſtero virium & potentiarum Naturæ uſu in periculum illabatur. Inde Adamo neceſſitas legis externæ inducta eſt. Erat Adamus in ſtatu quodam perfectionis nondum plenæ: Hinc mandatum ei dabatur manendi in eo ſtatu. Potuit incrementa capere perfectionis & vitæ tum naturalis tum ſpiritualis; & hinc prævidit divinas promiſſiones, neſcio an ſimul & ſemel datas. Credo illum in converſationibus cum Deo immediatis, ſucceſſive de promiſſionibus vitæ altioris & informatum & informandum fuiſſe. Habuit vero etiam interdictum ſimul & ſemel acceptum, id quod propter periculum lapſus ipſum ex ore Dei quantocyus accipere neceſſarium erat, ne excidat ſtatu ſuo in

Cur lex vitæ poſt lapſum denominetur lex mortis.

R. quia Adam ante lapſum externa lege poſitiva opus habuit præter legem internam. Illa vero poſt lapſum facta eſt inefficax propter fractam legem internam.

malum ipsi incognitum. Habuit distinctissimam mortis, ut sibi caveat, annunciationem. En quanta Adamo obligatio ad legem externam incubuerit ante lapsum. Post lapsum vero Lex ad justitiam & vitam data vocatur lex peccati & mortis. h. e. Lex quæ cum homine nihil efficaciter de justitia & vita agere potest, sed tantum de peccato & morte; Propterea quod anima hominis viribus spiritualibus orbata non amplius ad justitiam reduci potest mera lege externa, sed spiritu vivifico in ipsam essentiam animæ penetrante. Opus enim est, ut vera & interna imaginis divinæ instauratio per spiritum carnis Jesu vivificum & per promissiones melioris dispositionis stabiliatur. Nullam enim proportionem lex Sinaitica habet cum corruptione animæ humanæ. Hinc s. scriptura legem post lapsum non describit secundum eam partem quæ ad justitiam obligat, sed secundum alteram partem, quæ condemnationem annunciat, iram efficit & vim peccati auget. Quanta hic prudentia opus est Theologo, quanta perspicacia, quanta in Deum fiducia, ut quod efficere nequit persuadendo, Deus faciat effundendo spiritum, & quod nescit efficere urgendo, expectet patien-

patiendo, refricando, suaviter afficiendo.

§. 7.

Quoniam vero totius fœderis Divini complexus ad hunc finem in intuitum revocandus est unum, age, dabimus ex S. scriptura, quæ huc faciunt, ordine maxime genetico, h. e. scripturario. Status peccati originalis & actualis significantissime dicitur a Paulo, abalienatio a vita Dei & peregrinus ad dispositiones promissionum de vita spirituali habitus. Hinc vita Dei redintegrare nos debet, in statum plane alium transpositos, in quo testamenta promissionum nos longe aliter afficiunt, ac nos affecere dum occalluimus sub coërcitionibus legum & placitorum humanorum. Agnoscere nos prius debemus, quoad animæ nostræ naturalia nudos, spiritualibus orbatos. *2 Cor. 5, 3.* ardentissimis votis anhelanda sunt indumenta Spiritus & Lucis. Ut autem actu spiritum vivificum rectorem optimum in nobis commercium habere experiamur, ex mundi dispositionibus ad dispositiones Divinas nos retrahere, illisque libere & cum voluptate uti necesse habemus, etsi simus in medio generationis curvæ. Dispositio Dei vocatur Diathece seu Testamentum.

Fractio legis internæ est peccatum originale, quod est abalienatio a vita Dei, ad quam reducendi sumus per dispositiones novi fœderis.

Una vero est dispositio Dei, per omnes s. scripturæ libros sub diversis œconomiis delineata.

Hanc oculis cordis illustrati intueri gestiamus, quemadmodum David, dicens: Unum rogo a Jehova, contemplari sancta Dei, & templum ejus, h. e. Jesum Christum, totamque novam ejus dispositionem invisere, eaque frui.

§. 8.

Traditur totus fœderis gratiæ habitus ad fœdus operum per mediationem Jesu Christi.

Fœdus operum cum Adamo tanquam persona publica & patre omnium posterorum iniit Deus. Fœdus gratiæ cum Christo etiam persona publica initum fuit, hinc *Col.* 2, 13. Christus & fideles uni fœderi subsant.

Considerandō 1) varias fœderis gratiæ declarationes diversis temporibus.

Considerari vero debet hoc gratiæ fœdus 1) in varia declaratione sua, tum privata, quando ecclesia adhuc in familiis dispersa erat, ubi Adamo prima & brevis ejus manifestatio fiebat. *Gen.* 3, 15. tum publica, postquam ecclesia in visibilem sese communionem explicuit, & in hac illa fuit prima declaratio, qua fœderis gratiæ conditio & administratio legalis Sinaitica distincte proponebatur *Exod.* 19, 20. Vetus Testamentum dicta. *Hebr.* 8, 8. Hæ omnes dispositiones simul unum faciunt gratiæ fœdus æternum, & quando inter

ter sese comparantur, habent se ut articuli diversi unius ejusdemque fœderis, quorum quidam Jesum Christum, quidam fideles, quidam utrosque, quidam Patriarchas, quidam Israëlem, quidam fideles N. T. respiciunt. Articulus quivis in se consideratus rationem habere potest fœderis peculiaris, quo quidem modo fœdus Sinaiticum ut diversum a fœdere æterno, diversum quoque a dispositione Patriarchali potest haberi 2) Vetus & Novum Testamentum utut articuli sint ejusdem æterni fœderis, sunt tamen naturæ contrariæ. Alterum instituebatur sub conditione ab hominibus in sponsore adimplenda; alterum erat pro privilegiis dispensandis post præstitam conditionem. *Jer.* 31. Hæc duo fœdera sunt contrariæ indolis. *Gal.* 3, 15-17. 4, 24. *Deut* 5, 2. 3. *Ebr.* 8, 6. nam unum tollebat alterum *Ebr.* 10, 9. 3) Fœdus Sinaiticum pro Christo erat fœdus operum, utpote ab ipso explendum, pro Israële fœdus gratiæ cujus conditio legalis ab alio præstita cessit in bonum Israëlis. Conditio legalis fœderis gratiæ implenda fuit tum ratione culpæ tum ratione pœnæ. Facto fœdere operum in Adamo satisfieri debuit pro illo, nisi enim justitia ab alio fuisset præstita,

Considerando, 2) quod declarationes in speciem contrariæ tamen sint articuli unius fœderis gratiæ.

Considerando 3) quod contrarietas tollatur per mediationem Jesu Christi, per quam fœdus Sinaiticum ipsi fuit fœdus operum Israëli fœdus gratiæ. Probatur fœdus Sinai-

ticum Christo fuisse fœdus operum.

vitam promissam non adepturi fuissemus, & nisi alius pœnam pro nobis perpessus esset, comminationem mortis non effugere potuissemus. Mosis tempore nondum fuit satisfactum. Hinc Deus cum Israële, capite repræsentativo debitorum ita dispposuit, ut faterentur culpam & solutionem promitterent. *Exod.* 19, 8. Intentio Dei vero non erat ut Israël, sed ut Jesus Christus eorum loco solveret debitum. In eodem fœdere poscebatur obedientia per Christum absoluta & per Israëlem respectiva. Jam quod fœdus Sinaiticum I. non tantum intenderit respectivam solum Israëlis, sed perfectam Christi obedientiam, secundum dictum, fac & vives, h. e. quod fuerit fœdus operum respectu Christi, id ita probatur: Fœdus Sinaiticum injungebat actus tales qui jus darent ad vitam *Lev.* 18, 5. *Gal.* 3, 10-12. fidei oppositos. *Rom.* 10, 6. 3, 12. *Deut.* 6, 25. Jam vero nemo mortalium tales actus edere potuit justitiæ, quæ jus daret ad vitam. Adamus enim transgressor factus excidit vi præstandi justitiam. Porro fœdus Sinaiticum maledictionem transgressoribus indixit; Jam vero nemo præter Christum maledictionem portavit, & sine hoc benedictio non potuisset nostra

ſtra fieri. Portatio maledictionis eſt conditio redemtionis noſtræ a culpa; & obedientia activa eſt conditio ad juſtificationem ſeu ad jus vitæ. Quod vero II. fœdus Sinaiticum fuerit fœdus gratiæ pro Iſraële; gratiam & benedictionem quoad res temporales illis impertiens, ita probatur. α) Iſraëlitæ recti corde etſi perfectam non præſtitere obedientiam, tamen ſalutem Chriſti expectantes, temporalibus bonis beabantur; ſub ipſo jugo legis tamen gratia eis obvenit in temporalibus. Temporalia non æſtimabantur rigore fœderis operum, ſed diſpenſabantur pro fœderis gratiæ communione, & pro exactiſſima fundamentalium fœderis obſervantia. β) Quando Iſraëlitæ non peccabant contra illa fundamentalia inſtituta ſacerdotalia, *Exod.* 28, 35. 30,20. *Lev.* 7,21. tum gratioſa Dei præſentia fruebantur, etſi in reliquis arguebantur ut peccatores. *Pſ.*25. *Lev.*9,23. γ) Variæ remunerationes ipſis tanquam motiva offerebantur *Exod.* 20, 2. *Deut.* 27,9. *Lev.*19. δ) Fracto fœdere in rebus minoris momenti, quæ non concernebant ſacerdotale momentum maximum, redire potuerunt in gratiam, hinc gratia ipſis adfuit in hoc fœdere. Hæc ſunt quæ de diſpoſitione fœderis operum & gratiæ dici breviſſimis poſſunt.

Probatur fœdus Sinaiticum Iſraëli fuiſſe fœdus gratiæ per Jeſum Chriſtum.

§. 9.

§. 9.

Fideles N.T. non amplius ducuntur occulta sub lege fœderis gratiæ sed aperta Regni cœlorum disposítione.

Sub N. T. fideles non jam amplius sub fœderis occulta, sed sub Regni cœlorum dispositione aperta, suavissima libertatis lege ducebantur ex minorennitate ad majorennitatem elevati; & ex statu servili quasi nobiles & ingenui facti. Qui se a veteri legali in hanc novam dispositionem translatum sentit & agnoscit, ille promtam & expeditam rationem scit a jugo peccati & tenebrarum sese exsolvendi. Sed opus est, ut dum in regno & statu peccatorum detinebatur, attenderit ad varias peccati fraudes & in corpore & in anima, statu illo per legem mortis & peccati exasperato sub Diaboli regimine. Statum peccati igitur distinctissime noscat & quantum dispositio legalis ad illum conferat. Statum libertatis sub regimine spiritus expertus sit, & quantum lex libertatis eum promoveat, convictus sit.

Sed illi apertius quoque nosse debent naturam peccati & gratiæ.

Quam horribilibus larvis nos circumveniat peccatum, inde patet, quod Satanas tenebrarum patronus, omni modo viam præstruat, ne veram peccati indolem agnoscamus. Paulus in *Ep. ad Rom.* Regnum peccati, in *Epist. ad Ephesios*, principes hujus regni varios & sibi unitos depingit.

Nisi

Nisi vero horrendam animæ nostræ devastationem per lapsum Adami, & ejusdem semimortuæ oppressionem per corpus agnoscamus, & contra tam desperata Latronum vulnera ipsam vitam Christi, sive sanguinem aquam & Spiritum Christi cum universa Regni cœlorum dispositione in medicinam & salutem accipiamus, manebimus eadem Satanæ mancipia, sive personata, sive aperta, sive per fraudem sive per vim. Hinc peccatum in nexu cum lege & Satana spiritualiter agnoscendum atque lex mortis & peccati nobis iterum fiat lex spiritus vitæ seu lex libertatis, dum per vitæ & statuum Christi communionem restituimur ad imaginem Dei.

§. 10.

Traduntur fundamenta noscendi regnum peccati in nexu cum cognitione animæ

Dictum est supra in loco de homine, Satanam fieri cohabitatorem animæ, nisi rectorem alium Spiritum S. accipiat. Dictum quoque nos spiritualia amisisse, naturalia seu Psychica lege generationis a parentibus corruptis retinere, inde ab eo, quum primi parentes sese nudos viderunt; Cum naturalibus illis connexum esse statum vanitatis mendacii & prætextuum, quibus homo post commissum peccatum primum sese excusavit & technis cogitationum vanis sibi sufficere voluit. Hujus status sequelæ

quelæ sunt tenebræ usque ad orcum perennandæ & judicium Dei, quo homo adjudicatur illuc, quo per naturam suam pertinet, in tenebras extremas, ideoque status sub ira Dei, unde reductio in pulverem, quoad corpus, & traditio in manus Dei viventis, qui vero potentias animæ Deo difformes repellit per sanctitatis puritatem. Unde fit ut anima a corpore soluta ab invisibilibus Dei nil nisi dissonum & sibi contrarium sentiat, & necessitate quadam adigatur magis amandi impuros tenebricosos & sibi similes modos. *Apoc.* 6,16. Jam enim formata est anima ad consuetudinarios corporis motus, tumultu & discordia plenos, torquetur igitur Dei ipsius dulcedine. In tam misero statu nascimur jam filii iræ propter Satanæ ingressum in statum psychicum animæ, & propter corporis motus animæ conformes, legi difformes. Adeo ut peccatum primo residens in anima sit ἐνθυμησις cogitatio seu coagitatio virium Psychicarum ex fundo θυμε cum repræsentatione & appetitu ad malum sub specie boni, per corporis conformationem in servitutem & confirmationem malorum motuum degenerans, in quo statu omnia bona, legem, institutionem, optimaque monita

nita in pejus malum vertit, nisi superiore quadam vi cum institutione spirituali retrahatur. Inde Paulina descriptio peccati: Regnum quoddam & systema virium tenebrarum denotans, cui tamen aliud ego, seu delectatio & appetitus ad spiritualia coexistit. *Rom.*7. cui concinit quod libro sapientiæ talis status cogitationum dicatur syllogismus ἁμαρτιμάτων, coacervatio peccatorum cum specie rationum *Sap.*4, 20.

§. 11.

Philosophi intellectum & voluntatem hominis animæ inde a Platone adscribunt, sed luce spirituali destituti abludunt a divisionibus s. scripturæ. Quicquid habet homo boni, a sapientia in plateis clamante, & ubique, inde a benedictione primæva & positione inimicitiæ inter mulierem & serpentem, hominibus assistente habet, quod Philosophi ignorantes tribuunt viribus animæ Psychicis. Cum itaque nesciamus, quo gradu, qua lege adsit λογος cuivis homini in mundum venienti, simus cauti ne vel libertatem arbitrii plane detrahendo animæ h. e. habitui Divino, quo θεᾶ γένος εσμεν, aliter concipiamus ac in oculis Dei est, vel nimium virium ex proprio fundo tribuendo animam concipiamus ut punctum indivisi-

Contra Philosophorum audaciam philosophandi, de anima sine Deo revelante.

divisibile cui nil addi vel demi potest. Hæc enim scripturæ peregrina sunt. Ipse ante Platonem, unde ratiocinationes & divisiones potentiarum animæ in intellectum & voluntatem ad nos devenere, vivens Hippocrates, antiquissimo stilo, animæ, utpote igni vitali, θερμῷ ἀθανάτῳ adscribit incrementa & decrementa, unde vita Jesu Christi refici vires animæ possunt, sive substantiales sive accidentales dicas, eodem recidit. Verba sunt, ab ipso Aristotele inventore haud aliter quam arbitrarie intellecta.

Sacra scriptura θελήματα multa ponit, primo ex carne, post ex διανοιαις in consensum carnis tractis, protuberantia. Si quid adest λογε vel boniformis facultatis, id habet aliunde vel per institutionem bonam, vel per benedictionem parentum. Θεληματα σαρκος certe præcedunt intellectum & opprimunt. Patet itaque cur MELANCHTHON in locis Theologicis suspectam reddiderit divisionem facultatum animæ in intellectum & voluntatem; Saltim id monere nos debet, ut cum grano salis intelligamus illam divisionem. Non tantum sensuales & inferiores vires Deo contrariæ, sed & superiores intellectus & voluntatis. Homo enim methodo

Divisio facultatum animæ in intellectum & voluntatem Melanchthoni est suspecta.

recti-

rectitudini primævæ contraria artes seu simulacra rectitudinis primævæ quærit anxie. *Eccl.* 7. Unde nisus ad ἰδίαν δικαιοσύνην quasi immensus est in homine. Artes secundum Hippocratem sunt nil nisi simulacra naturæ nominibus comprehensa. Ars est nominum systema. Nomina sunt νομοθετηματα naturæ, h. e. rerum naturâ existentium compositæ notæ. Hæ succedunt in locum εἰδῶν quæ sunt βλαστηματα seu germina naturæ spiritualis, quibus jam per lapsum amissis ad noëmata & hinc ad artes necessitate status adacti confugimus.

Denominationes ex artibus humanis sunt in divinis noxiæ.

§. 12.

S. Scriptura fontem omnium facultatum nomine *cordis* indigitat. Cor est quidem metaphora; sed quis scit, qualis nexus cerebri & cordis sit, ut sint receptacula potentiarum animæ. Sufficit igitur nobis cor esse receptaculum ἐνθυμησέων καὶ ἐννοιῶν *Hebr.* 4, 12. quæ sane non sunt unius indolis. Ἐνθύμησις enim naturalius quid, ἔννοια spiritualius quid sonat. Stilus V. T. de his adhuc longius a nostris abest interpretamentis *Dan.* 4, 13.

Inquirendum in rationem denominationum s. scripturæ.

Sufficit in V. & N. T. dici omne plasma cordis esse malum. Quid Deus cor omnium formans, omnes erudiens

ſuperaddat per ſuas potentias, ordine conſtanti influas, neſcimus. Pertinet ad profunditates individualium ſcientiæ Dei. *Rom* 11. Unde ſenſus communis habet aliquid altius arte, lucernam Dei, quanquam nec hic limites noſcamus, quousque illa artibus vel corrumpatur vel elevetur, & nemo niſi Deus poteſt ſcrutari cor hominis, moraliter, plenum præſumtione & deſperatione, quid dicam phyſice? quid metaphyſice? Abeant illi præceptores generis humani quorum vis ipſis pro Deo eſt. *Hab.* 1.

Sufficit nos ſcire eſſe aliquid in nobis a λογω & lucerna, eſſe duplicitatem egoitatis *Rom* 7. eſſe corruptionem intimam, damnari τὸ ψυχικον niſi elevetur per πνευματικὸν, cujus fons & origo eſt & erit Chriſtus. Agnoſcamus quousque limites cognitionis vadant; quæ ſcriptura habet teneamus cum timore admiſcendi humana; caveamus ne ſtatim fragmenta illa, quæ ſenſus verbi dat, in ſyſtema temerariosque paralleliſmos locemus. Recedendum eſt nobis a mundo in omnibus & ſingulis. Si mortui eſtis cum Chriſto placitis mundi, quid, ac ſi viveretis in mundo, agitis? Certe magnum hoc eſt, erudiri a pædia continua Spiritus ſancti.

ſancti. Quousque hic procedendum? Procedendum eousque donec di poſitiones Dei & Diathecæ promiſſionum nobis in nulla parte ſint peregrinæ. Mirabilis lux Jeſu Chriſti dabit plura, quam mille libri capere poſſunt de his, & in rectitudine cordis eſt ſedes ſpiritus, unde omnis ſyſtematum veritas.

§. 13.

Homo, φυσει, naturâ, eſt ſub tyrannide peccati, ſervus eſt peccati, donec liberetur per filium. Lex Dei eſt vis peccati, dat peccato juſtum jus regnandi in homine ut pudefaciat ſe ipſum, donec ad confeſſionem veram & pœnitentiam adigatur. Lex peccatorem tradit Domino h. e. Satanæ, ut eousque dominetur, donec alium quærat dominum Jeſum Chriſtum. Hinc Spiritus Chriſti peccatorem arguit de peccato, quod non liberari poſſit ab eo nec per legem nec per artem ſine Chriſto, & de Juſtitia, quam nullam eſſe ſine Chriſto ſpiritus docet.

Summa dictorum in uſum poriſmaticum converſa.

Chriſtus carnis & ſanguinis particeps factus, ut per mortem aboleat poteſtatem habentem mortis, h. e Diabolum, & liberet eos qui metu mortis in tota vita obnoxii ſervitutis erant. Quis Philoſophus metum mortis exuet

sine spe vitæ melioris? Vitam igitur sub debitis dispositionibus & justo regni cœlorum ordine a Christo quære, h. e. connitere ut in fœdus gratiæ & unionem cum Christo Principe vitæ abeas & intelligas, I. moraliter, quam Jesus Christus fœdus operum, legem per legem cum veteri natura Psychica aboleverit, ut naturam in Spiritu renovet, & quam facile in communionem statuum Christi in fœdere gratiæ, prout supra dictum, ingredi possis, si claram lucem Evangelii contueri haud renuas, & νοήματα per Satanam non excœcata habeas II. Physice, quam frui vita Dei possis in sacramentis & sacramentorum perenni fonte, quæ certe Φαρμακον sunt αθανασιας & vitæ Psychicæ salus per vitam spiritus. Qui hæc non capit, expectet donec capiat. Φυσικως ως αλογα ζωα *Jud. v.* 10. multi multa sciunt, sed in his se ipsos perdunt. Legat recto corde & ad Deum in Christo suspirante integram *Epist. ad Romanos*; inprimis *cap.* 5. usque ad 8. & accipiet, quæ confirmant ea, quæ dixi. Legat etiam Theses credendorum & agendorum spiritualiter acutissimi BREITHAUPTII, quibus in suo genere excellentius scribi poterit nihil.

Restat

Reſtat ut Methodo Thetica iterum in Theſes reſtringamus, quæ de fœdere operum, lege & peccato diximus ad ductum Scripturæ. Formulæ Theticæ.

§. 14.

Th. I. Fœdus operum eſt diſpoſitio cum Adamo integro ut capite naturali & morali generis humani facta, qua Deus ſub conditione obedientiæ perfectæ ipſi promiſit vitam æternam. Non quidem expreſſa promiſſio Adamo facta legitur, ſed ſaltem denuntiatio mortis. Interim tamen 1) ex dicto *Hoſ.* 6, 7. transgreſſi ſunt fœdus meum ſicut Adam. 2) ex oppoſitione inter Adamum & Chriſtum *Rom.* 5. 3) ex hinc pendula analogia cum fœdere Sinaitico, quod fuit fœdus operum a Chriſto implendum, valide colligitur tale fœdus extitiſſe, quod conditionem fœderalem & ſub conditione impleta promiſſionem ex parte Dei, & adſtipulationem ex parte hominis complectitur. Quoad reſtipulationem, ſeu jus poſtulandi præmium poſt obedientiam præſtitam, præteriri poſſet quæſtio, niſi ſubeſſet momentum in materia de operibus & eorum merito, contra Pontificios, & de merito Chriſti. Chriſtus ſolus conditionem fœderis explens, actionem meritum fun- Probatur dari fœdus operum cum Adamo capite repræſentativo initum.

dantem perfecit; nam ille arbitrio ſpontaneo iniit fœdus, habuit vires, adfuit in eo proportio, conditiones ad mercedem, quæ ſane in Adamo defuere.

Adamo vita æterna præmium, non merces fuiſſet; & qui meretur aliquid ut operarius *Rom.* 4, 4. ei debetur merces ex pacto, cum qua ſtare poteſt gratia gratioſa, non gratuita. Chriſtus, non Adam ſic meritus eſt. Interim Adamus præmium, ſi ſtetiſſet, petiturus, magis ad fidelitatem in promiſſis & convenientiam ex natura fœderis, quam ad Dei juſtitiam merito obligatam provocare potuiſſet.

§. 15.

Quo rupto imputationes peccati Adamici fiunt nobis ex reſpectu capitis fœderalis.

Th. II. Quia ſcriptum eſt Adamo peccante nos omnes peccaſſe, *Rom* 5, 12. & Chriſtus culpam & pœnam communem pro nobis tanquam caput fœderale portavit; igitur aſſerendum, quod Adamus culpam & pœnam in nos ita transmiſerit, quaſi quilibet noſtrum in propria perſona peccaſſet & pœnas inde deberet luere. Bona Adamus integer jure hæreditario in nos transtuliſſet. Loco boni mala phyſica in nos, una cum malis moralibus ſeu reatu deſcenderunt. Si reatus ad nos ab Adamo devenit, quæritur, an ab illo tanquam naturali an morali & fœderali capite?

pite? Certe Dominium in creaturas, res grata ab illo ut fœderali capite in nos translatum est; cur non etiam res ingrata? Respectus capitis naturalis non sufficit. Etsi enim Deus viderit quemlibet posteriorum in similibus circumstantiis idem fœdus transgressurum fuisse in propria persona naturali, tamen propterea Deus non imputavit ex respectu naturali. Respectus Satoris non sufficit ad imputationem culpæ ab ipso contractæ. Ergo respectus capitis fœderalis, tum enim ratio dari potest, cur conversio Adami post lapsum facta non itidem imputetur nobis. Scilicet quia desiit Adam post fœdifragium capitis fœderalis personam sustinere. Hinc ejus conversio non æstimatur amplius ut nostra conversio, quemadmodum culpa Adami æstimabatur nostra culpa ex primo fœderali respectu ad nos. Si culpa imputata fuisset ex solo respectu naturali, etiam emendatio culpæ imputanda fuisset ex respectu naturali, id quod non fieri solet. Ergo tales imputationes fiunt ex respectu capitis fœderalis.

§. 16.

Th. III. Peccatum originale non est ipsa hominis substantia. Nam dicitur in S. scriptura quod omne fig- De positivo peccati originalis.

mentum cogitationum cordis sit tantum malum omni die. *Gen.* 6, 5. & *Gen.* 8, 21. Figmentum cordis hominis malum a juventute sua. Aliud est substantia, aliud quod inde formatur & effingitur. Deinde generamur quidem in peccatis *Ps.* 51. sed peccata non tamen dici possunt constitutiva, sed id quod constitutivis supervenit. Davides potuisset respondere melius quam nos, at hodie pauci vim precum ejus capiunt. ℣. 8. In peccatis conceptus sum, at veritatem cum voluptate desideras in absconditis, & in occluso sapientiam indicare vis. Scilicet in ipso utero & conceptione aliquid heterogeneum & generativum mali positivi irrepsit. Attamen restitutio possibilis in abscondito animæ quod Deus sibi reservat renovandum. ℣. 12. Maxima difficultas nostro ævo jacet in positivo illo peccati originalis, quod defectui supervenit & successit. Jacobus dicit επιθυμιαν habere vim generativam peccati, peccatum habere vim generativam mortis; hæc nostro genio adeo sunt dura, adeo cruda ut omnem vim vocum in meraphoram vertamus. Davidi vero, Paulo & Jacobo hæc proprietas vocis optime sapit; nam sapientes primævi sapuere res ut sunt. Status Psychicus

in

in se non malus est, sed quia vita psychica seu naturalis in defectum vitæ spiritualis progenerat positivum aliquod Phantasticum, hinc malus fit ille status. Propterea Salvator optimus dicit de Diabolo, illum esse patrem mendaciorum, & quando mendacia loquatur, illum ea loqui ex propriis adeoque non ex eis quæ Deus creavit. Qui sensus hos evacuant, certe non intelligunt Lutherum & Augustanam Confessionem, neque etiam vim Theseos nostræ. Evacuant autem sensum hunc, qui dicunt, positivum illud consistere in tendentia & nisu ad omne bonum in genere, quem nisum LEIBNITIANI faciunt animæ essentialem. Hunc positivum deinde nisum dicunt a bono vero deflectere ad bonum adparens. Hæc per me vera sunto, sed non sufficiunt ad positivum peccati originalis succedens in defectum justitiæ originalis, quod urgent libri nostri symbolici, vi verborum scripturæ coacti. Qui posset alias appellari profundissima corruptio omnium facultatum, ut nihil omnino boni spiritualis ex his viribus vel suscipere vel perficere possit homo, & qui posset dici odio Dei dignus propter peccatum originale? *1 Cor.* 2, 14. *Eph.* 2, 2. 4, 17. *Matth.*

7, 11. Malum illud adeo profundas radices agit, ut etiam post renovationem spiritûs, in anima corpore circumfusa superfit aliquid inordinati amoris sui & rerum vanarum, hinc caro semper crucifigenda cum concupiscentiis & passionibus inde a pueritia contractis. *Gal.* 5, 24. 2, 20.

§. 17.

Quod regnet peccatum originale sub variis gradibus actualis peccati.

Originale peccatum regnat *Rom.* 5, 21. per peccata actualia, quæ sunt fructus peccati originalis perpetuæ aberrationes a lege, habentque gradus ita a Theologis descriptos. 1. Suggestio mali. 2. Delectatio. 3. Consensio. 4. Consultatio. 5. Executio. 6. Repetitio. 7. Excusatio. 8. Approbatio. 9. Obstinatio. 10. Gloriatio. 11. Incantatio. 12. Blasphematio contra spiritum sanctum, qui gradus peccati dicitur irremissibilis in hoc & illo æone. *Matth.* 12, 24. Cum superiorum graduum aliqui dicantur tantum ad mortem. *1 Joh.* 5, 16. 17.

§. 18.

De habitu hominis ad legem Dei & de obligatione ad legem perfectissimam.

Th. IV. Habitus hominis ad legem Dei bene observandus est. Sine hoc enim nulla justitiæ idea & praxis, de quibus vide proœmium meum ad *Ps.* 119. in Explic. a me edita. Qualis est status legis sub quo homo ad Deum fertur,

fertur, talis est quoque justitia. Sub lege naturæ corruptæ justitia quidem debilior fuit, quam sub lege Mosis; sed peccatum sub hac magis exasperabatur. Igitur neque sub lege Mosis neque sub lege naturæ corruptæ perfecta erat dispositio ad justitiam. Hinc sub Christo expectanda. Esi jam hodie in ecclesia non amplius sit talis, ut in Christianismo primævo, redibit tamen amplior in regno Christi millenario. Nos, etsi dispositio optima publice amplius non exstet, tamen æternum testamentum & unum fœdus gratiæ bene agnoscentes, possumus in Christo justitia optime frui, & nos ad legem optimam quæ est secundum vim ζωῆς ἀκαταλύτε legem vivificam. *Gal.* 3, 21. *Hebr.* 7, 16. non secundum carnalia mandata conformare, ita fruimur vera libertate etsi omnibus subjecti. Distinguendum inter legem ut mandatum & inter legem ut institutum. Ad illam semper obligamur, ad hanc non semper; Hinc abrogata lege Mosis, lex per fidem in Christum stabilitur & erigitur. Circa interpretationem legis summa Christiano cautio fit, ut secundum plenitudinem spiritus fiat, nam est valde lata. *Ps.* 119, 96. Quilibet accuratissime vigilare debet ne carni

locus

locus aperiatur per libertatem, sed crucifigenda est caro, nam si huic resistamus inimico, semper sereni erimus, erectiores ad vincendos alios hostes. Legatur quæ Tractatui Gespräch im Reich der Todten zwischen Dippel und Zinzendorff subjunxi de Lege & Evangelio. In ipsa Praxi pugnæ contra peccatum magnopere interest ut a concussionibus contrariis idearum perturbatarum te liberes. Concussiones idearum perturbatarum Paulo dicuntur progenerare concupiscentias ex insufficiente legis intellectu. Talis legis intellectus peccato vim conciliat, hinc Paulus dicit, aculeum mortis esse peccatum, vim peccati esse legem, scil. Evangelio non collustratam, & insufficienter intellectam. Hinc ZINZENDORFIUS legem plane exterminatam voluit, sed quia legem spiritus ex sacerdotio Christi non substituit legi huic exterminatæ, in multas confusiones incidit. Profunde hæc Theologo sunt pensitanda, imo cuivis ex plebe Christiano. Introëat in intima cordis sui, videbit διακρισεις διαλογισμων, quas ordinare per Evangelium magni est momenti: nec hoc pendet ab informatione doctoris sola, sed ab oratione, meditatione & tentatione coram

ram Jesu Christo instituenda. Quantumcunque enim in hac vel illa parte doctrinæ rectificaveris ideas, tamen concussiones illas te opprimere experieris. Vides te objectis sympathicis temperamento εξελκεσθαι Jacobi stilo, hoc nondum est peccatum actuale; vides te ex his volatiles imagines concipere, neque hoc est peccatum actuale; vides te quodam impetu ad illas rapi & sollicitari, neque hoc est peccatum actuale, quousque non consentis. Tum demum actuale peccatum committis, quando conceptas imagines, quas prævides esse contra conscientiam, tamen sub prætextibus boni foves, justas esse tibi persuades, sic in consensum dolo peccati traheris, induraris, & tum necessario peccata committis, quando enim propositiones has semel admittis, tum necessario peccas. Id quod MELODIUS in Libro Einfluss der Wahrheiten in den Willen, etsi alioquin multa indigesta cruda & insufficientia protulerit, tamen pag. 166. usque 186. verissime demonstrat. Peccati natura est in falsis syllogismis *Sap.* 4, 20. queis consentis. Et sic non tantum lege mortis & peccati i. e. consuetudinibus accessoriis a juventute a statu, educatione, & exemplis contractis

tractis urgeris, sed foves imagines contra conscientiam adoptatas sub prætextu boni. Peccatum actuale igitur est quando quis ex inscitia voluntaria vel ex desperatione melioris, incitamenta & imagines tanquam bonas admittit, fovet, consociatione aliarum idearum firmat, & his propositionibus tam repletus est, ut persuasionibus contrariis e vestigio irritetur & admonitiones bonas repellat. Hic status distinguendus est a reliquiis legis peccati & mortis regenitorum, qui concussionibus contrariis urgentur, & bonis doctrinis, precibus & exercitatione in contrarium liberari possunt, tum a scrupulis, tum a falsis repræsentationibus, monete vos invicem dicit Paulus, ne quis induretur dolo peccati. Plura de peccato leges in der Lehrtafel p. 348.

IV. DE GRATIA.

De fœdere gratiæ: de Christo mediatore fœderis gratiæ: de Officiis Christi: de statibus Christi: de adplicatione gratiæ

gratiæ per illuminationem: deque sacramentis præliminariter.
De Officiis &c.

§. 1.

Terra est plena gratiæ Domini, & sapientia in plateis clamans etiam de hac multis & innumerabilibus modis loquitur. Ergo est Objectum sensus communis, quia sensus communis est illud ipsum sensorium, quod recipit, quæ sapientia signis innumerabiliter variis, attamen uniformibus, eloquitur. Loquela sapientiæ est tum immediata, tum mediata. Immediata ad lucernam animæ simplicem pertingit, & τὰ εἴδεα intus evocabilia alloquitur, & solo sensu omnipræsentis divinitatis percipitur: Mediata in rationem seu νοήματα agit, & ad simpliciſſimum, utiliſſimum & maxime neceſſarium in omni re attentionem excitat. Jam si quis in toto universo simpliciſſimi & utiliſſimi delectum habet, videbit, totum mundum esse emblematicum ad naturæ vires, tum acres, tum temperantes, ubi gravia acutis, mollia duris consentiunt. Videbit, esse in natura media vitæ & salutis, esse vero etiam inhorrescentis & increscentis mali crudeliſſima venena. Inde si recte ratiocinando

Sensus communis observat cœlum & terram plena esse emblematis gratiæ & iræ Dei.

cinando procedit, ex uno latere videt, terram gratiæ plenam esse, ex altero malum subintrasse, quod maledictionem Dei provocat. Concludit & porro infert, Dominum, qui condidit omnia in bonum, effecturum, ut bonum aliquando prævaleat malis. Sensus communis, respiciens ad simplicissimum & utilissimum & necessarium in bono & ad multiplex genus rerum noxiarum & divinis finibus maxime peregrinarum, colligit, visibilia ab invisibilibus progenerata habere similia boni & mali discrimina in invisibilibus. Videt homo, se miserum in se habere semina eadem, maxime mali. Sed tamen non potest invenire radices boni & mali; in hac impotentia sui causas quærens, nec inveniens, precibus ad summum creatorem se convertit, nimia subtilitate rerum inveniendarum fessus, recte arguit, sensum optimi, immo ipsam salutem non investigatione sola naturæ, sed operatione voluntatis Dei in rebus maxime obviis acquiri. Ad simpliciorem igitur inquirendi viam, jam majore sui adfectus tædio, vanitatem terræ, & eorum, quæ sub sole sunt, contemplatur: Videt, summam rebus inesse vanitatem & inconstantiam, & in rebus inconstantibus

Nec tamen radices boni & mali posse investigari.

&

& variabilibus in sole, luna, ventis, fluminibus, mari, institutis humanis tamen vigere constantiam, nec tamen satiari desiderium sensuum & cupiditatem sciendi, videndi, audiendi.

Propter summam rerum vanitatem & inconstantiam

Rebus his sapientem & stultum æqualiter adfici, & sollicitari ad inconstantiam, quia semper alterum alteri est oppositum. Quod generatur ab uno, corrumpitur ab altero; quod ab uno plantatur, ab altero eradicatur; quod ab uno compingitur, ab altero laceratur; quod ab uno ædificatur, ab altero subruitur; succedere risum fletui, exsultationem luctui, amorem odio, pacem bello, silentium tumultui, alterari & consumi omnia; redigi in chaos virium primitivarum, quæ in substantiam coaluerunt; ipsa vitarum spiracula redire, unde venerunt; in materialibus nullum esse bonum, nisi in quieta fruitione eorum, quæ Dei voluntate concessa sunt, nullum esse in mentalibus, nisi quod ad desiderium insitum infiniti quadrat; Hoc desiderium infiniti ferre nos quidem insito nisu ad timorem Dei præsentis, ad quietam & tranquillam fruitionem rerum externarum, & ad sapientem contemplationem rerum internarum & invisibilium, sed intercipi levitate, ava-

sub qua invenit, desiderium insitum infiniti esse quid stabile & constans, sed difficulter implendum.

ritia, curiositate, neque per societates mutuas & instituta hominum huic consuli desiderio, sed illud adhuc magis implicari perturbationibus, malisque opprimi variis, neque illis resisti posse per artes vel mechanicas vel eas, quæ propius tangunt desiderium hominis insitum.

§. 2.

Concludit, nisi res creatæ, salute quadam universali reficiantur illas fine suo excidere.

Ex omnibus his concludit, creaturam vanitati subjectam nullum attingere finem, nisi Deus superne per gratiam tot malis proportionatam occurrat. Homo igitur inquirit, annon sint inter sui similes sancti, & a malis impolluti; videt esse sensum & æstimationem in aliquibus tantam pro sancto, ut mortem quis oppetat ad illum bono publico vindicandum, *Rom.* 5, 7. Concludit & a bonitate Dei sperat, aut dedisse Deum jam alicubi talem inter homines, aut certe daturum, interim tot mala esse ferenda, ut humilietur, & a mundanis abstrahatur ad cœlestia; & jam talis homo quævis optima de manifestatione Dei sperans novo incenditur desiderio, cum per historias & documenta publica, tum per emblematicam sapientiæ loquelam, ex toto universo, certificari de sancto illo, cujus sanctitas tam sit ampla, ut redundare

dundare possit in alios. Sic sub confirmata hac fiducia per documenta publica sine prolixo labore certus fiet, jam dedisse Deum, quod quærat, dedisse nationi cuidam de vero sancto revelationem; apparuisse Regem veritatis inter Judæos. Sic, si inter gentiles vivit, Magorum more, cœlum, terram & maria contuebitur, si forte præsagia quædam habeant optimi illius sancti. Credit enim, totum universum emblematica ratione indiciis harmonicis innumerabilibus in illum conspirare. Ita Magi per historias de venturo Rege Judæorum certi cœlum & stellas eo scopo adspectabant indesinenter. Illi multa de cælo optima concludere necesse habuerunt, ne eis absurdum visum fuerit, Regem Judæorum habiturum inter stellas eminentem aliquam sui prænunciam, & si vel maxime stellarum nulla unquam fuissent præsagia fides tamen Magorum Deum determinasset ad evocandam talem stellam ex non-exsistentibus ad exsistentia. Si quis alius, hoc desiderio, hac fiducia plenus, pluviam, nivem, pruinam & rorem, nec non ventos, rite præparatus, eo fine adspectaverit, emblemata gratiæ deprehendet in illis suavissima; quemadmodum per

Spem salutis universalis esse in sancto quodam veritatis Rege inter homines.

se clarum est, fulgura, fulmina, tonitrua, imbres & grandines esse emblemata iræ divinæ, quæ compellant omnes malos ad exquirendam bonitatem & justitiam Dei in Christo; & hic est profundus ille nexus, *Rom.* 1, 18. *Col.* 10, 17. sine quo nil ibi intelligitur.

§. 3.

Ad quem sensus rerum occulte tendit.

Non semper opus est tam prolixa inquirendi via. Si quis sapientiam, recte nobiscum per omnia loquentem, per cœlum, per astra, per terras, per herbas, per arbores, per montes, valles, colles, planities, fontes, animalia, lapides, gemmas, insecta, formicas, erucas, papiliones; per pisces; per emblemata obvia œconomica viri, mulieris, patris, matris, liberorum, magistratus, subditorum, principatuum & regnorum, percipere adsuescit, & sacram scripturam hoc sensu imbutus citra præjudicia rite legerit, is inveniet facili via, verbum, vitam, lucem adparuisse in carne, Jesum esse Christum, redemtorem mundi, semen benedictum, promissum gentibus, propter quod ipsum laudabunt omnes nationes in terra.

§. 4.

Hoc sensu qui s. scri-

Hactenus de sensu communi. Quamprimum universa sacra scriptura a tali

sine

sine præjudiciis in illa simplicitate sensus communis, a gratia creatrice directi, legitur, tum illa nomina Christi ex emblematica ratione omnium, quæ in cœlo, terra & mari sunt, primum oculos feriunt, & tum ipso facto videt, vera esse, quæ de Salvatore auguratus est, illum gestare concentrationem, omnibus emblematis respondentem, totius universi, esse effigiem Patris invisibilis in charactere magis visibili, adeoque nomina omnium, quæ bona sunt, optimo jure portare.

pturam legit, omnia collimare ad unum videt, solum capax saturare desiderium infiniti.

Nomina, si quis collecta vult, illa in catechismo meo inveniet, in ordinem quendam redacta. Inveniet attributa Patris & Filii in negotio gratiæ pro ordine Prophetarum conspirantia: inveniet collecta omnia, quæ typis respexere filium, subintellecta sub oraculo, *Luc.* 24, 27. Ubi interpretabatur Jesus Emaunticis discipulis ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτὸ. Sed illa omnia, utut concinnata in ordinem, non tamen respondent ordini Spiritus sancti, quo ab ipso in quendam hortum Paradisi locata sunt, ut magnificum dictum, *Matth.* 5, 18. expleatur.

Sane vellem supersedere labori in alium ordinem redgendi, quæ dicun-

tur de fœdere gratiæ, de Patris ad Christum & Christi ad Patrem respectu pactitio, de Deo Patre, Monarcha & Legislatore universi, de Christo, Patris μεγαλοπρεπειας exaltante per officium pontificatus & mediatoris, quo legem & vitam, justitiam & δόξαν Dei multis modis creaturis in omnes æonas facit respectabiles. Vellem, ut quivis sub vera & spirituali institutione a spiritu in has veritates duceretur, ut spiritus τὰ ἴδια ipse germinare faceret in eo per verba uncta & consecrata scripturæ.

Sed quoniam in gloriam Dei de uno mysterio Patris & Christi secundum analogiam fidei, pro variis temporum mensuris licet aliquid effari, tentabo id jam ulterius, ut cœpi. Mens enim mihi est, ex idea vitæ unum mysterium Patris & Christi reddere amabilius. Unus enim Dominus, una fides, unus baptismus, unus Pater super omnia, per omnia, in omnibus. Eo igitur connitendum, ut tot & tanta in uno resplendescant, ex omni latere adspiciendo. Sic justitia & δόξα Dei nos collustrans sui imaginem nobis imprimet via simplicissima, quemadmodum epistola ad Romanos, & omnes Epistolæ id faciunt.

§. 5.

§. 5.

Expendatur vero methodus scripturæ, quam omnia *Gen.* 3, 15. dictum unum explicent, & ad hoc unum omnia revocanda sint; quam omnia historice, typice, prophetice, per καιρὸς ἰδίας, salutem unam, μετὰ δόξης αἰωνίας, 2 *Tim.* 2, 10. referant, & quam in N. T. vita salvatoris & acta & epistolæ & Apocalypsis in hoc unum concurrant. Sed in methodo tradendi observandum, Jesum ipsum via pragmatica non cumulatis simul doctrinis per biennium in id elaborasse, ut discipuli agnoscant, Jesum esse Christum. Hanc ego methodum in Catechismo secutus imitari mihi proposui, sed omnia nostra imitamenta, nisi Spiritu Dei plena, in πληροφορείᾳ συνέσεως, parum juvant. Quæ Dei spiritus justo tempore per nos eloquitur, illa pulcra sunt; ut vero ille nos præparatos inveniat, hypotyposi quadam firmari nos conducit. Hypotyposis triplici stilo concipi potest: 1. Fœderali œconomico, quemadmodum Paulus in epistola ad Hebræos, & ubi maxime cum Judæis conversis agendum fuit. 2. Stilo simpliciter ad novam creaturam ex vita Jesu Christi relato, ut in evangelio & in epistolis Johannis & Jacobi, & quoad potissimam

Methodus s. scripturæ ducit ad unum.

Sub stilo, triplici quidem schemate referto, sed unam vitam Dei per Jesum Christum exhibente.

mam partem in epistola ad Ephesios & Colossenses, etiam in Apocalypsi. 3. Stilo ex utroque mixto, qui quidem maxime frequens est in N. T. Reformati stilum fœderalem mihi videntur nimis extendere, quasi vita Dei propter fœdus esset, fœdus non propter vitam, adeo ut mysterium illud in epistola ad Ephesios & Colossenses a Paulo terminis ad vitam ultimato relatis, *Eph.* 1, 19. *Col.* 1, 11. Mysterium dico apertissimum, rursus caligine quadam obvolvatur. Nos non amplius vivimus inter Judæos, loquimur cum hominibus minus adsuetis dispositionibus veteris Testamenti; loquendum igitur stilo prudenter temperato. Certe inter Patrem & Filium, inter Deum & sapientiam commercium aliquod intercessit πρὸ χρόνων αἰωνίων, de dispositione & ordine hominum in sortem Dei eligendorum. Sed vero, an consilium illud pacis *Zach.* 6, 13. cum βελῆ θεῦ *Eph.* 1, 11. immo cum decreto *Ps* 2, 6-9. *Luc.* 22, 29. parallelum sit, dubitari potest; & tamen ex hoc consilio pacis quasi pacto inter Patrem & Filium totum adornant systema fœderale. In illo loco *Zach.* 6. potius ad vitam & germinationem novæ vitæ per Christum, Zæmach seu germen adpellatum,

latum, respicitur, ℣. 12. ita ut Pontificatus Christi subordinetur novæ creaturæ. Christus non tantum, ut architectus creaturæ, sed ut germen & principium vegetans templi non manufaciendi & totius novæ creaturæ, illic respicitur, & si illud consilium pacis pactum inter Patrem & Filium significat, tum illud consilium infinito quodam modo consultat de vita vegetabili, creaturis per gratiam noviter implantanda. Si vero notiones & repetitiones systematicæ Testamenti, conventionis, jurium utrinque natorum, stipulationis a parte Dei, sub certis legibus & conditionibus, *Hebr.* 8, 6. adstipulationis a parte hominis, nimium urgentur, tum abludimus a methodo scripturaria, quæ certe non integrum systema ex phrase quadam condit, sed schemata pertinentissima, ut est *Hebr.* 8, 7. anthropopatica, cum locutionibus Theoprepicis nudis, ita attemperat, ut naturale & morale concinat ubivis.

§. 6.

Ex titulo antecedente de Lege & jam illic data fœderis gratiæ idea perspicuum est, gratiam & vitam communicari hominibus certo ordine, Adamum primum & secundum interventu pro-

Ordo communicationis vitæ Dei per πρωτευαγγέλιον.

missionis de vita per mortem Christi restauranda, respiciente. Hic ordo est voluntas Dei. Hæc voluntas Dei primum declarata est *Gen.* 3, 15. dicitur *Rom.* 9, 4. ἐπαγγελία promissio, *Gal.* 3, 8. προευαγγελισμὸς prædictio boni nuntii, adeoque recte dicitur protevangelion, quod secundum Lutherum omnia continet, quæcunque Evangelium & religio christiana complectitur, docetque 1. nos post peccatum protoplastorum esse amicos Satanæ, sed gratia Dei ejus hostes fieri; satanam esse condemnatum, & qui manent in amicitia ejus itidem condemnatos fore: 2. Evam habiturum filium, qui caput serpentis sit destructurus, scil. Messiam; Messiæ adhæsuros esse, qui sui sunt; sub serpente mansuros, qui se illi non adgregant; beneficia igitur Messiæ futura abolitionem peccati & mortis, restitutionem in vitam per spiritum: 3. hæc beneficia Messiam promereri debere passionibus, adseclas vero illa consequi communione quadam fidei, qua tum in beneficia, tum in passiones, cum ipso consentiunt. Et hæc est constans voluntas & dispositio Dei de homine salvando, & in communionem vitæ Dei ex morte recipiendo, sub conditione, adhærendi Messiæ, tanquam unum

unum ſemen & populus. Hæc voluntas conſtans dicitur Berith, quæ vox ſignificat firmum ordinem, qualis eſt diei & noctis, qui ordo pro ratione temporum antediluvianorum, poſt diluvianorum, ſemper clarius & majori menſura promulgabatur; & quod tempore Adami adpellabatur conculcatio ſerpentis, id tempore Abrahami vocabatur benedictio & vita, & tempore Davidis affluentia omnium bonorum in regno. In Chriſto autem demum immortalitas & vita plene patefacta eſt, & ſemper magis in Evangelio æterno manifeſtatur. Hæc eſt diſpoſitio Dei firma ſub variis formis pro articulis temporum aliter atque aliter captui accommodata; Et hinc una forma fuit antiquanda, ut altera per oppoſitum firmius ſtabiliatur. Illa dicitur diſpoſitio vetus, hæc nova & manens. Una ſalus ſub ſingulis formis diſpenſabatur. Sub forma nova & ſtabili ſalus illa dicitur vita & immortalitas, *2 Tim.* 1, 10. item ſalus μετὰ τῆς δόξης αἰωνίας, *cap.* 2, 10. Teſtamentum dicitur ſingulari ratione, propter mortis Chriſti reſpectum, & quia ſanguine Chriſti firmatæ ſunt hæredibus Dei omnes vitæ promiſſiones. Tandem omnia, quæ inde a protevangelio hæredibus vitæ deſti-

Poſtremo per ipſum vitæ principem ſub certis diſpoſitionibus.

destinata sunt, comprehenduntur illo, ut hæredes sint Dei, & cohæredes Christi in regno per æonas duraturo.

§. 7.

Christus princeps & centrum vitæ.

Facta nunc aliqua mentione dispositionum, sub quibus Deus gratiam & salutem largiri constituit hominibus, de ipso Mediatore Novi Testamenti dicemus. Describitur ille a Prophetis & Apostolis mirabili pictura, quam imitari nos nequimus. Zacharias post absolutas septem visiones emblematicas de Christo, qui I. judicia in quatuor plagas mundi exercebit; *cap.* 1, 8-17. cui II. angeli subsunt, 2, 5.6.7.8. qui III. Hierosolymas metitur ædificandas, 2, 6. IV. criminationes retundet; 3, 2-4. V. charismata dispensabit, 4. VI. mendacia destruet, 5. VII. impedimenta regni sui removebit, 6 tandem VIII. visionem nobilissimam profert de Christo Zæmach dicto, 12. seq. utpote novam vim vegetabilem, vivificam, omnibus infusuro. Paulus in epistolis initia & fines rerum omnium tangit, Regem & Pontificem Christum deprædicans. Et sane ita par est fieri. Quis enim nisi hac via laudabit illum, quem Deus sanctificabit ad opus infinitum. Vita & gloria idem sunt; differunt tantum, quod gloria sit extrinsecus splendor vitæ,

vitæ, vita vero ſcaturigo intrinſeca gloriæ. Gloria moralem habet reſpectum, vita phyſicum. Si quis nunc humillima veneratione in rationes inquirat, cur Chriſtus Jeſus potuerit eſſe Mediator, ille inveniet in ſcripturis, quod Deus habeat vitam in ſe ipſo, & quod filius acceperit a Deo, habere vitam in ſe ipſo, & quod ex hac ratione potuerit gloriam & immortalitatem ex morte reducere, quia princeps vitæ mortem morte vicit, atque ſic efficere, ut per æonas æonum Deo gloria tribuatur a creaturis. Hæc eſt ſumma ratio, cur Jeſus Mediatoris officium ſolus ſuſtinere potuerit. Ita in Apocalypſi, ubi nil niſi gloria & vita viget & ardet, *cap.* 4, 5. Agnus in medio throni ſtans celebratur ſolus dignus tanto officio, coram ſe habens Deum, ſplendore iridis radiantem, exeuntibus a throno fulguribus, tonitrubus & vocibus: ubi etiam ſeptem ardent faces coram throno, quæ ſunt ſeptem ſpiritus vitæ in omnes regiones exeuntes, ubique præſentes & præcipuæ in ſeptem cornibus & oculis agni reſidentes; circum ſe quatuor vividiſſimas intelligentias, vitam Dei & agni referentes, celebrantes & repercutientes maxime, nec non 24. ſeniores, & e regione throni mare cryſtal-

Solus mediator eſſe potuit, ſolus fines Dei in vita communicanda exequi.

cryſtallinum, igne a fulgebris throni vivis mixtum, *cap.* 15, 2. referens in ſoliditate id, quod eſt ſubtiliſſimum & maxime penetrans & penetrabile. Vides, lector, quantus vitæ adparatus ſit in curia cœleſti, & cur ſolus Agnus morte perfunctus potuerit Dei viventis fines exſequi, quia ſcilicet per hunc omnis vita renovatur, & omnis gloria Deo rependitur.

§. 8.

Quod probatur ex Ebr. 2. Coloſſ. 1. Epheſ 3. Prov. 8.

Paulus ultimas origines officii mediatorii deſignans dicit, ita decuiſſe Deum, ex quo τὰ πάντα, & propter quem τὰ πάντα, illum, qui multos filios in gloriam ducturus ſit, per paſſiones conſummare, quandoquidem ex uno ſint omnes, *Hebr.* 2, 10. adeoque rationes pontificatus ſunt hæ, quod ille per conſummationem ſui poſſit origines & fines τῶν πάντων in Deum reducere, & ſic illud πᾶν per totum caput urget ex *Pſ.* 8, 7.

Sic in Ep. ad *Coloſſ.* 1, 17. dicuntur πάντα in ipſo jam conſtitiſſe, ſive archetypice ſive actu, hinc in πληρώματι καιρῶν reducenda ordine certo, donec ſint, ut primitus conſtituta fuere.

In Epiſtola ad *Epheſ.* 3, 15. Deus dicitur ille, ex quo omnis Paternitas in cœlo & terra exivit; & *cap.* 1, 23. Chri-

Christum esse plenitudinem Patris omnia implentis in omnibus. Ubi notetur triplex πᾶν, 1. Patris, 2. ex Patre in Filio, 3. ex filio in omnibus; incipiente pleromate in Ecclesia. Nonne radices omnium se resolvunt in id, quod Jesus vitam acceperit in se ipso, & hinc solus restaurare possit omnia. Ille est igitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *Col.* 1, 15. ἀρχὴ τῆς κτίσεως, *Apoc.* 3, 14. Hinc mediator, hinc dispensator vitæ, hinc vitæ dispositione præscribit creaturis. Fuere in λόγῳ, in sapientia, originales rerum, antequam exstiterunt, formæ, Deo viventi repercussæ; *Prov.* 8, 30. quas formas accepere angeli & Principatus, ut dotem, ab hypostatica sapientia, & propter vitam, toti Trinitati communem, Lex creaturis insita singulis, ut vitam ad Deum referant, nec eam sibi acceptam habeant, propter insitum & quasi proprium vitæ robur. Quamprimum igitur aliquis Principatus hoc crimen commisit, ut noluerit ἀρχὴν vitæ in principali suo tenere, sed gerere se, ac si vitam habeat in se ipso, Zelus pro vita toti Trinitati communis decentiis Dei consuluit, excussit a systemate rerum hanc rebellionem, & propter hanc & reliquas lapsus causas tanta in Trinitate

tate consultatio intercessit, & tanta decreta concepta de ordine & dispositione vitam a Deo abscissam cum gloria Nominis sui per sanguinem crucis iterum reddendi Deo subordinabilem, unione certa, ut Deus sit omnia in omnibus, ut in archetypo fuit.

§. 9.

Persona Christi seu unio verbi & carnis quid inferat.

Ordo jam poscit, ut agatur tum de Persona & statibus, tum de actibus & officiis Christi. De Persona occurrunt breves & concisæ formulæ. Postquam Johannes verbum vitæ magnifice descripserat stilo conciso & gravi, dicit: verbum caro factum est. *Joh.* 1, 14. *1 Joh.* 1, 1. 2. Quod si jam de unione verbi vitæ cum carne plura quæras, silet scriptura. Recenset historice, quid Angelus Mariæ annuntiaverit. *Luc.* 1, 35. dicit: Spiritus S. veniet super te virginem, & potentia altissimi inumbrabit tibi. Potentia hæc singulariter replebit uterum, velut nubes tabernaculum, sic ut verbum vitæ alias infinitum, animam & carnem humanam univerit sibi. Verbum vitæ & anima carnis non fuerunt duæ personæ, sed una persona. Ex verbo lux gloriæ resplenduit & anima penetrabatur a luce gloriæ, neque tamen amisit anima naturam suam quasi per synchysin.

sin. Et sicut septem spiritus in oculis agni residebant & se repercutiebant ex intimo Agni, sic verbum vitæ, cum quo 7. Spiritus unum sunt, ex anima & carne sese reflectebat. Includit hæc unio 1) περιχώρησιν, immeationem, 2) immeationis mutuum quoddam per reciprocationem, ex parte λόγε active, ex parte animæ & carnis passive sumendum. 3) ἀκαταλυσίαν, inseparabilitatem. 4) ἀσύγχυσιν, incommixtionem. 5) ἀδιαςασίαν, indistantiam. An suppositalitas & subsistentia in λόγῳ sint eadem, quæritur. Si suppositalitas habet suum formale ab individuatione circumscriptiva, tum melius dicitur subsistentia, quæ cum sit in quavis anima infinities minor illa λόγε, hinc hæc traxit illam in se. Hæc omnia pendent ex vita λόγε, vitam animæ in carne nobilitantis, adeo ut natura humana inde communicatas accipiat qualitates, excellentiores, quam habuit natura Adami ante lapsum.

Adam enim non habuit illud πνεῦμα ζωοποιῆν, quod Jesus Christus, cum erat glorificatus, 1 *Cor.* 15, 45. Adamo enim per gradus fuisset eundum ad perfectionem summam qualitatum spiritus vivifici. Sed vix inchoamenta servavit. Jesus Christus autem a pri-

ma conceptione cursu non interrupto omnia permeans tandem ἐδοξάσθη & τελειωθεὶς σωτηρίαν conferre & vitam in aliis efficere, generare, & caussari potuit εἰς τὸ διηνεκὲς, ut primo replere omnia in omnibus, sic & vivificare omnia in omnibus, *Hebr.* 5, 9. 10, 14. *Eph.* 4, 10. De hoc loquebatur Christus in anteceſſum, *Joh.* 6, 68. seq. verba vitæ æternæ, quæ Petrus etsi nondum comprehendit tamen præsensit habere βάρος infinitum. Elegantissima nec satis deprædicanda fuit Theologorum nostrorum occupatio in distincte classificandis communicationum speciebus, 1. hypostaseos, 2. naturarum, 3. idiomatum, 4. operationum. Sed haud scio, an omnia sint exhausta; & an, si possint alia addi, pro fundamento regenerationis & communicationis in alios, opus sit, quoniam sine spiritu talia scire mera speculatione nihil attinet. Potuit capacitas naturæ humanæ per inhabitationem λόγε succesſive augeri, id quod in servatore clarum est; crescebat enim tum ætate, tum sapientia & gratia, *Luc.* 2, 40. Sed nil humano intellectui minus pervium, quam hoc; scilicet scire status exinanitionis & exaltationis intrinseca augmenta, & alterationis leges per λόγον in carne

carne obtinentes. Deus enim sibi tribuit, *Ps.* 139, 13. seq. generationis profunda. Et quamvis David super hæc meditando invenerit, cogitationes ultra arenas maris increscere, tamen in classes redegit, & nos nostra ætate non attingimus fœcunditatem cogitationum Davidis.

§. 10.

Status exinanitionis

De statibus Exinanitionis & Exaltationis non multum dici potest, nisi quod conceptis verbis exstat, *Phil.* 2, 6-11. quanquam conceptu facilia detorqueantur a simplicitate a quibusdam. Unum addi debet, Christum obedientiam exercitatione didicisse, occasione ejus, quod pati debuit, *Hebr.* 5, 8. ita etiam dicitur anima Christi turbasse se ipsam, nec passum esse Christum, ut turbatus sit & affectus, nisi quantum voluit, *Joh.* 11, 33.

& exaltationis.

Exaltationis status fuit successivus, ut Exinanitionis; etiam de hoc satius est, meditari Davidis more in lecto, quam scribere. *Ps.* 139, 18.

§. 11.

De officiis Christi & primo de requisitis mediatoris.

Quod officium duplex attinet, jam ante diximus aliquid de eo, quod requiratur, ut quis Mediator esse possit. Debet is 1. gloriam ipsam & vitam ipsam in se habere Dei, quam Deus

nulli creaturarum potest communicare, *Es. 42, 8.* adeoque ὑπάρχειν ἐν μορφῇ θεοῦ, *Phil. 2, 6.* Gloriam, ut id, quod Deum, quoad sanctitatem & Legem, decet, perficiat, nempe Legislatoria potestate pollere, ut ipsa sapientia leges & limites viribus liberrimis ponendo, *Prov. 3, 21. 8, 27. seq. Hiob 28, 25. seq.* & de administratione Regnorum disponendo, *Prov. 8, 15. 16.* & dicasticen, seu potestatem judicialem exercere, exemplum in rebellibus statuere, ut actu fecit, *Esaj. 51, 9.* Evigila, evigila, indue robur, brachium Jehovæ, evigila, ut diebus priscis, in generationes æternas, annon tu ille es, qui excidit draconem, *Luc. 10, 18.* spectabam satanam, ut fulgur, e cœlo cadentem. Vitam, ut ἀρχὴν κλίσεως, possidere, & sentire, quid in luminibus vitalibus, ex Patre per ipsum generatis, accidat, & præsidere omnibus ἀρχαῖς, *Hebr. 1, 10.* ut λόγος ζωῆς ipsas liberrimas vires suis terminis continere, quoad activum & passivum, quoad infinitam vegetativam vim & quoad numeros, semel rerum naturis positos. Quoniam igitur extrinsecus ejus χωρὶς αὐτοῦ neque unum generatum fuit, quod fuit, igitur ille per vitam Lux omnium

omnium exsistens habuit vitæ ἀρχὴν, non quasi pars vitæ ipsius fuerint, sed quia in propriis centris suis sub ipso tanquam principali stabant, & in ipso constitere, *Col. 1, 17.* Habuit vero is vitam insolubilem & creaturæ solubilem. Hanc vitam ille possidens ad Dei gloriam rexit omnem vitam, & sic tanquam æterna sapientia consilii Paterni particeps, spiritumque mittens, suscipere voluit & debuit opus restituendi id, quod defecit a vita, cum majori gloria nominis, quam si nunquam defeciſſent.

Hunc 2. hominem fieri, decretum est. Facto hoc decreto actu carnem & sanguinem adsumsit, omnes mutationes humanitatis, quoad omnia, subiturus, eo scopo, ut tanquam liberator & adsertor possit deinceps filios Dei vitæ participes ad gloriam reducere. Hinc peracta in terris victima & stabilita doctrina officium Mediatoris duplex, sacerdotale & Regium, in cœlis nunc sustinet; nam si adhuc in terris esset, non esset Pontifex, *Hebr. 8, 4.* Est vero in cœlis, ut secundum sacerdotis Melchisedechi typum dispenset ea, quæ pertinent ad vitam sustentandam & augendam, & quæ pertinent ad Deum in regno magnificiendum, *Hebr. 6, 20.*

De officio ipso duplici sacerdotali & Regio.

6, 20. Debuit vero prius in terris, ut sanctus, mortem gustare, ὑπὲρ παντὸς, *Hebr.* 2, 9. h. e. conformiter omni rerum terrestrium & cœlestium universitati, ut harmoniam virium & potentiarum ex chaoticis tenebris revocare, & nova vegetatione per sepulcrum induere possit. Hinc non una tantum gutta sanguinis sufficit, sed passione multiplici creaturæ gementi subvenire debuit. Ante omnia vero, ut liberator & Goël consanguineorum iram Dei tolerare, vitam suam ἀντίλυτρον dare, pro illis a rigore legis redimendis, & sic satisfacere sanctitati Dei, & omnem justitiam implere debuit; quo semel & non plus in terra peracto, ubi tanquam ἔγγυος vadimonium præstitit, *Hebr.* 7, 22. & sanguine καινὴν διαθήκην firmavit, tandem pertransivit omnes cœlos, ut officio sacerdotali-Regio, duplici in unum contracto, perfungatur εἰς τὸ διηνεκές. Sic verus est ἀρχηγὸς σωτηρίας filiorum, qui in terris suspirant, causam eorum agendo, contra peccati, mortis & diaboli reliquias, intercedendo, excusando, subveniendo infirmitatibus, pro iis orando, benedicendo, spiritum & sapientiam infundendo, oculis suis in casibus dubiis consulendo, atque sic post gloriam ra-

rapiendo, *Pſ. 73, 24.* (achar cabhod tikacheni,) dum ſæpe abripit ab eo, quod quidem bonum videtur, & curſum tamen ad gloriam ſufflaminat. Jam quidem vicit ſatanam & mortem, & perfecit omnia, ad inviſibilia deſcendendo, victorem diaboli ſe ſiſtendo, Evangelium & vitam captivis annuntiando, profuturum illis poſt expenſum in carne peracta reſurrectione judicium, *1 Petr. 4, 6.* Sed contrariantur inſtituto rebelles angeli, obniruntur, criminantur, oblu&tantur iterum iterumque, hinc duplices actus exercet & exercebit, 1. tum, ut vindex malorum angelorum, illos puniendo, tartariſando, in extremas ablegando tenebras; 2. tum, ut glorificator ſuorum ſollemnis, miniſterio bonorum angelorum, qui conſtitere & conſortio beatorum tanquam teſtium & admiratorum gloriæ Dei per judicia utendo.

In cujus typum Meſſias in V. T. ſuper Cherubim & ſuper curru Ezechielis vectus depingitur *Pſ. 80, 2. Ezech. 1, 10.* Quæ quia in catechismo germanico & in Libro, güldene Zeit, nec non in Lehrtafel der Prinzeſſin Antonia, deſcripſi prolixius, lectorem illuc

remitto. Talem se nobis sistit Jesus Christus gloriosus in Apocalypsi, ut agnus septem oculis & cornibus, h. e. septem spiritibus lucis & fortitudinis, singulis, qui id capiunt, intime præsens, ut Pontifex omnia ad nutum Dei sustentans, sanguinis vi infinita, ut princeps regum & regnorum, ut vindex angelorum malorum, ut executor judiciorum, ut dictator angelorum, ut caput & dux agminum diversorum ecclesiæ triumphantis. Tantis ille titulis & characteribus ornatus suos ad magnam ἐπισυναγωγὴν 2 *Thess.* 2, 1. & in regnum introducet sollemne, quod per omnes prophetas prostat firmiter promissum, quodque ultimo tempore manifestabitur certo certius, & in cœlis & in terris, vid. *Apoc.* 20; ubi ℣. 4. 5. 6. χίλια ἔτη sanctorum in cœlis ter denotantur, & χίλια ἔτη captivitatis satanæ & regni in terris etiam ter ℣. 2. 3. & 7. indigitantur.

Nunc antequam ultra pergo, idem, quod hucusque liberius ad scripturæ tonum pronunciavi, terminis acroamaticis pressius sublegam.

§. 12.

§. 12.

Th. I. Fœdus gratiæ, objectum Evangelii annunciandi præcipuum, dicit dispositionem, sub qua Deus gratiam mere gratuitam hominibus in tempore impertiri vult, universalitate tanta, ut lapsus universalitatem superet. *Rom. 5.* ult. id quod quodam quasi pacto inter Patrem & filium ab æterno stabilitum est. *Ps. 2.* quo Christus se in vadem & sponsorem obtulit pro genere humano, *Hebr. 7, 22. Jes. 53, 12. Hiob 33, 24.* (Redime eum, nec descendat in foveam expiatione, quam inveni,) obedientiam activam & passivam, redemtionem quippe æternam *Jes. 45, 17.* proponendo, ut evangelizetur καιροῖς ἰδίοις, sic ut semper summa fœderis gratiæ sit, Deum promisisse, se Deum fore nostrum, cum omnibus suis bonis & beneficiis. *Jer. 31, 33. Jes. 40, 11. 52, 7.* Sic ut fides intelligat, omnia bona ad se pertinere, sine respectu conditionis per modum meriti præstandæ, utpote quam sponsor jam præstitit, & ita facilem obtentu annuntiare jussit, quasi quis ad convivia vel ad nuptias accederet. *Prov. 9, 1-5. Matth. 22, 1-14.* dummodo satis humilis & passivus comedat, & fides plerophorica se habeat ut instru-

Fœdus gratiæ objectum Evangelii.

mentum divitias gratiæ accipiens cum pudore in admirationem rapto. *Ezech. 16, 63.* πάρεσις Cocceji interpretanda pro ratione habitus servilis sub administratione fœderis typica nil detrahit substantialibus gratiæ. Aliud est sensus fœderis, qui est ἄφεσις; aliud administratio fœderis, quæ πάρεσιν innuit. Fœdus gratiæ a Noachi temporibus usque ad captivitatem Babylonicam & ad Adventum Christi vario administrabatur schemate: post Adventum Christi filiatio ex vita Spiritus incepit, nec amplius merum dici potuit fœdus. Patet igitur, cum sensus fœderis gratiæ unius semper fuerit ἄφεσις, πάρεσιν Cocceji sub administrationis forma erga Israëlitas durius habendos esse capiendam pro indultu seu rigoris summi temperamento quodam.

§. 13.

Characteres adventus Christi.

Th. II. Sponsor ille in temporis plenitudine adfuit, *Gal. 4, 4.* secundum prophetas *Hab. 2, 3.* conceptus a Spiritu S., natus a Maria, promissus patribus Messias seu unctus, appellatus Jesus Nazarenus, Augusto imperante; *Luc. 2, 1.* Herode regnante, *Matth. 2.* templo secundo, adhuc stante, *Hagg 2, 8.* intra 70. Danielis hebdomadas, *Dan. 9, 24.* Adfuit secundum clara & prædefinita

finita signa, quibus attendens quivis certus fieri potuit. Signa illa fuere vel sine meditatione obvia & ad sensum communem Judæorum accommodata, ut 1) natalia Johannis, viam Christo paraturi, *Jes. 40, 3. Mal. 3, 1.* 2) pastorum denuntiatio, *Luc. 2.* 3) miracula, *Matth. 11, 5.* vel cum meditatione clara, ut 1) Defectus sceptri Judæorum. *Gen. 49, 10.* 2) Miraculorum templi secundi cessatio, unde Simeonis illius Christum in ulnas amplexi quadraginta annis, in quibus ministravit sors nominis Domini semper ad dextram adscendebat, his finitis non semper: Illius annis lingua splendoris albuit, his finitis non albuit: Illius annis lumen vespertinum semper arsit, his finitis non arsit: Illius annis ignis præparationis semper validus erat, his finitis non amplius. vid. *Galat. de Arc. Cath. relig. L 4. c. 8.* 3) Judæorum post captivitatem Babylonicam multiplicatio & de vicinis hostibus victoria. *Jes. 9, 2. Mich. 2, 12.* 4) Monarchiæ Romanæ potentia. *Dan. 2, 32-34.* 5) Destructio regni Syriæ. *Jes. 7, 16.* 6) Romanorum in Judæam irruptio. *Mich. 5, 1.* 7) Judæorum multiplex pœna. *Jes. 28, 14 seq.* 8) Cultus Idololatrici cessatio. *Zach. 13, 2.* Hic Jesus Nazarenus, quod

quod sit ille in V. T. prædictus Christus, probatur 1) ratione temporis & loci, *Mich. 5, 1.* 2) familiæ, *Jes. 9, 1. 11, 1.* 3) matris virginis, *Jes. 7. 19.* 4) Doctrinæ & rerum gestarum. *Jes. 42, 1-4. Act. 5, 43. 18, 5. 28.*

§. 14.

Incarnatio. Th. III. Incarnatio partim Naturæ humanæ formatione partim adsumtione absolvitur. Ubi notanda unio personalis, h. e. duarum naturarum perichoristica sine synchysi conjunctio, ut πᾶν πλήρωμα θεᾶ habitaverit in Christo corporaliter, *Col. 2, 9.* & λόγος post unionem nunquam & nusquam sit extra carnem suam.

Unionem secuta communio κατὰ συνδύασιν, qua, quod unius est proprium, sine sui multiplicatione vel transfusione alteri realiter confertur, ad communem possessionem, usurpationem & denominationem. *Form. Concord. p. 606. 766.* Est hæc communio quadruplex α) subsistentiæ, ut caro Christi sit ἐνυπόςατος λόγῳ, ut de una λόγε ὑποςάσει participent duæ naturæ ut ὑπόςασις λόγε sit & ὑπόςασις carnis. *Joh. 1, 14. Col. 2. 9.* β) naturarum, ubi sine commixtione & transmutatione natura una alterius particeps facta. Unde prædicationes personales: Deus est

est homo: homo est Deus. Hæc communicatio superaddit unioni personali interiorem modum coëxistentiæ, quam est inter corpus & animam. Absolvitur reciproca possessione & usurpatione. Possidet humanitas λόγε naturam & subsistentiam; utitur Divinitas humanitate, ut instrumento. γ) Communicatio idiomatum, vi cujus λόγος sibi adpropiat carnis affectiones & passiones & infirmitates, ut prædicationes inde resultantes sint citra τρόπον & figuram dicendi intelligendæ; & vicissim λόγος carni communicet per unionem omnem, quam habet per essentiam, majestatem idiomatum. Genera communicationis idiomatum duplicia sunt. 1mo ἰδιοποιήσεως, 2do μεταποιήσεως. Quoad 1mum λόγος sibi adpropriat affectiones & passiones carnis, ut *Zach. 12, 10.* Jehovah dicitur compunctus. Dominus gloriæ crucifixus, *1 Cor. 2, 8.* Dominus Davidis est filius Davidis, *Matth. 22, 43.* Quoad secundum divinæ perfectiones non modo personæ sed etiam naturæ humanæ tribuuntur in casu recto, ut: caro Christi est vivifica; *Joh. 6, 51.* in casu obliquo, ut: Sanguis Christi Spiritu æterno oblatus. *Hebr. 9, 14.*

No-

Notetur: quæ divinitati per essentiam propria sunt, communicantur humanitati per unionem, sic ut attributa quiescentia mediantibus operativis insint humanitati.

δ) Communicatio ἀποτελεσμάτων, ubi utraque natura agit, quod suum est, sed cum communicatione alterius. Ἀποτέλεσμα est unum opus ex diversis operationibus. Sic dicitur filius Dei missus in similitudine peccati, ut damnaretur peccatum in carne. *Rom. 8, 3.* Sanguis filii Dei nos mundat a peccato. *1 Joh. 1, 7.* Hic vita filii Dei sanguini carnis impertit valorem infinitum, ut inde redundet effectus utriusque naturæ. Hactenus de Persona, nunc de statibus Exinanitionis & Exaltationis.

§. 15.

Status exinanitionis.

Th. IV. Status exinanitionis consistit 1) in vera & reali evacuatione usus reflexi majestatis divinæ, non autem evacuatione possessionis. Dicitur quidem *Phil. 2,* ἐκένωσεν ἑαυτόν, sed Theologi non admittunt evacuationem plenariam. 2) In donorum habitualium reali abdicatione, vel certe in non-assumtione plenaria. 3) in formæ servilis & pathematum universalium non tamen personalium assumtione. 4) In occultatione, tum majestatis in genere, tum

tum in ſpecie uſus directi ad creaturas. 5) In præſtatione obedientiæ tam activæ quam paſſivæ.

De exercitio omnipræſentiæ, ex *Joh. 3, 25.* omniſcientiæ, ex *Jeſ. 11, 2. Joh. 3, 35.* Omnipotentiæ ex *Joh. 5, 17.* multa determinare non poſſumus, etſi diſtinctione actuum naturæ ab actibus perſonæ utamur. Sæpe etiam dona habitualia naturæ humanæ inhærentia a communicatis humanæ naturæ perfectionibus divinis diſcernere amplius non poſſumus.

Ad ſtatum Exinanitionis pertinet etiam conceptio & mors Chriſti. De conceptione tres ſunt ſententiæ. 1) Statuit præſervationem, 2) purificationem, 3) procreationem puri ac impolluti ſeminis, quæ eſt tutiſſima. Quod mortem concernit, illa fuit neceſſaria ex decreto & conſilio Dei ad demonſtrandam gloriam juſtitiæ Dei, alioquin teſtamentum gratiæ non fuiſſet ratum. *Hebr. 9, 16.*

Quoad infinitum valorem unica quidem ſanguinis guttula ſuffeciſſet, ſed quoad reſpectum ad ſanctitatem & gloriam Dei mortificatio & ſanguinis miſſio multa & varia eſſe debuit. In triduo mortis Chriſtus verus manſit homo;

homo; solutio unionis naturalis animæ & corporis unionis personalis vinculum non separavit. Sanguis Christi extravasatus post resurrectionem non in venas recollectus fuit, sed extra corpus Christi positus, ut summum Pontificem decuit, in sanctuarium apportatus Deo sistebatur; neque hæc separatio præjudicat aliquid assumtioni intra hypostasin τῦ λόγυ.

§. 16.

Status Exaltationis.

Th. V. Ad statum Exaltationis pertinet 1) ipsa vivificatio, & hanc immediate excipiens descensus ad inferos verus & realis, non metaphoricus. Dicta *1 Petr. 3*, & *4*. tam sunt clara, ut citra glossas possint intelligi a corde recto. 2) Resurrectio, quæ post triduum mortis facta, non coincidit cum vivificatione Spiritus, quæ post primum mortis momentum facta est; Resurrectio autem post triduum mortis. Dicitur *Rom. 4, 25.* facta propter justitiam nostram; pertinet igitur ad actus Christi meritorios. Scilicet postquam Christus vita sua carnem nostram fecit immortalem, promeruit nobis, ut justitia nostra omnis habeat suam originem in vita Christi. 3) Adscensio, quæ facta est tum in cœlum beatorum, tum in cœlum majestatis divinæ,

næ, quod supra omnes cœlos est, scilicet ipsissima gloriæ immensitas efficiens, ut spatium illud immensum nunquam sit sine actu purissimo divinitatis in λόγῳ. *Eph. 4, 19. 1 Reg. 8, 27. 2 Chron. 6, 18. Ps. 19, 1.* dicuntur cœli declarare gloriam Dei. Quanquam Christus corpore suo adscenderit super omnes cœlos, tamen per omnipræsentiam suam confundi non debent modi adessendi, qui humanæ Christi naturæ competunt, vel actu naturæ vel actu personæ. Priori enim modo pro præsenti statu est in certo aliquo πῆ, non tamen circumscriptione aliqua locali, quippe tempore & loco superiori, quanquam essentiæ suæ finibus circumscripta, sed definitive, uti & alia corpora glorificata beatorum. Posteriori autem modo vi unionis personalis & communicatæ gloriæ, & majestatis divinæ est ubique, omnibus creaturis præsens, non minus ac ipse λόγος. 4) Sessio ad dextram *Ps. 110, 1. Eph. 1, 20.* Dei Patris. Id ipsum redditur per τὰ δεξιὰ tribus locis, *Matth. 26, 64. Luc. 22, 69. Marc. 14, 62.* & *Hebr. 1, 3.* per τὴν δεξιὰν τῆς μεγαλωσύνης, quæ dicit non certum aliquem & circumscriptum locum, sed fontem virtutis & gloriæ Dei, unde κράτος τῆς δόξης *Col. 1, 11.*

& ἐνέργεια τῦ κράτες τῆς ἰσχύος *Eph. 1, 19.* est vis ex fonte hoc exiens; eodemque sensu Rakia Isso *Ps. 150, 1.* innuit, expansum, in quo Deus est, habere fontem virtutis: In hunc fontem humana Christi natura per adscensionem est exaltata, exercens majestaticum Regimen vi unionis personalis & humiliationem subsecutæ exaltationis. Respondet huic fonti scabellum pedum, ad quod actus dejectorius jam tempore exinanitionis Christi incipiens & momento mortis per fractionem rupium magis declaratus terminabatur. Hoc majestaticum regimen, quoad rem, in puncto incarnationis quidem jam inceperat, sed quoad usum plenarium sese manifestavit per sessionem ad dextram, de quo legitur in BRENTIO Tom. VIII. pag. 929. in form. Conc. p. 608. Cujus loci sensum QUENSTEDIUS ita interpretatus est, quasi Christus in puncto incarnationis regimen ad dextram Dei non habuerit actu & tempore, sed tantum jure, & quod actualis usus demum post sessionem ad dextram inceperit. Contrarium in Form. Conc. pag. 764. legitur.

§. 17.

Officium! Th. VI. Officia Christi communiter in

in Propheticum, Sacerdotale & Regium diſpeſcuntur, quæ tria ab aliis reducuntur ad duo ultima. Moſes enim in typo officium Propheticum Regio annexum habuit, *Deut.* 18, 15. 18. 23, 5. Aaron vero ſacerdos ab ipſo Deo Propheta fratris ſui Moſis adpellatus eſt, *Exod.* 7, 1. 4, 14-16. Chriſto diſerte tribuitur officium Propheticum, *Joh.* 6, 14. *Luc.* 7, 16. quippe qui ſecundum legem Moſis non tantum docuit & interpretatus eſt, *Matth.* 5, 17. ſed etiam auctoritatem habens, non quidem novam legem dedit, ſed novam & ſpiritualiorem formam docendi & methodum introduxit, dum, quomodo a Patre accepit verba, ita locutus eſt in mundo. *Joh.* 8, 28. 12, 50. *Matth.* 7, 29. Officium ſacerdotale demonſtratur a Paulo, peragi in cœlis benedictione *Hebr.* 7, 6. 4, 15. & interceſſione; & dicitur adminiſtratio bonorum cœleſtium in tabernaculo vero, *Hebr.* 8, 12. Ad hoc ſeipſum immolavit tanquam victima, ſatisfactione vicaria, in terris, *Eph.* 5, 2. Notanda hic ſatisfactionis neceſſitas, veritas, univerſalitas. Neceſſitas ſatisfactionis probatur ex juſtitia Dei, *Rom.* 3, 24. 25. veritas ſatisfactionis patet tum ex *Jeſ.* 53, 4. 5. ſecundum quod

Chriſti duplex

a) ſacerdotale

ubi ſatisfactionis neceſſitas

veritas

dictum peccata hominum portavit; tum ex *1 Tim.* 2, 6. secundum quod se dedit ἀντίλυτρον, pretium adæquatum, per solutionem vicariam; tum ex *Ps.* 69, 5. secundum quod solvit, quod ipse non rapuit; tum ex *Rom.* 3, 24. secundum quod λύτρῳ soluto reum, h. e. animam, quæ peccavit, morte plectendam *Ezech.* 18, 4. a promeritis pœnis liberavit, adeoque vere satisfecit.

Universalitas. Universalitas patet ex *1 Tim.* 2, 6. ubi dicitur mortuus pro omnibus, etiam pro iis, qui sua culpa pereunt, *Rom.* 14, 15. *1 Cor.* 8, 11. Porro ubi dicitur portare peccata mundi, *Joh.* 1, 29. *1 Joh.* 2, 2. *Tit.* 2, 14. ubi dicitur placatio pro peccatis totius mundi & omnium. Officii sacerdotalis præcipua pars consistit in intercessione, quæ secundum *Hebr.* 7, 25. ubi dicitur sacerdos noster semper vivens, ad intercedendum, sese extendet ultra præsens seculum per sequiora secula.

b. Regium. Officium Regium Christo competit, non tantum, qua Deo, sed & qua capiti ecclesiæ, cujus œconomia quidem gratiosa & modus administrandi per verbum & sacramenta, impetrationem & adplicationem salutis spectans, cessabit. *1 Cor.* 15, 28. Ipsum vero in se specta-

ſpectatum, & quoad etiam complectitur regnum gloriæ, manebit in omnem æternitatem. Vide, quæ huc pertinent in introductione mea ad Pſalmos pag. 14-17. &c.

AMPLIOR DE CHRISTO SACERDOTE EXPLICATIO.

Sacerdotium Chriſti penitius & vividius introſpicere, hoc Paulus dicit, ad perfectionem progredi. *Ebr.* 6, 1. Jam nihil poteſt dici ſublimius de hoc Themate, quam id, quod ipſe Paulus citata epiſtola protulit. Sciendum vero, hoc Thema ſecundum varios reſpectus poſſe deduci ab eo, qui plenitudine ſpiritus gaudet. Sive enim ad vitam Dei indiſſolubilem, ſive ad λογον & ſapientiam, ſive ad creationem Thema inflectas, idem dices ſub orationis proſpectu alio. Vita Dei gloriam in ſacerdotio reſplendentem exponit, nam vita & gloria ſe mutuo includunt *Rom.* 6, 4. Sapientia eſt aliquid in quo ſui Deus imaginem recipit, & eſt reſpectu verbi agentis aliquid paſſivum, unde Maternitas paſſiva Hieroſolymis ſuperioribus tribuitur *Gal.* 4, 26. Hieroſolymæ ſuperiores Paulo ſunt ipſa ſapientia, reſpectu paſſivi, quod

ab activo accepit, ut iterum liberis suis in libertate abundanti id communicet. Si ad creationem & restitutionem secundum προθεσιν αιωνων sacerdotium respicere vis, tum idem dices, quod Paulus in epistola ad Ephesios & Colossenses dixit, Christum esse ante omnia, omnia in ipso constitisse, omnia per ipsum restituenda καιροῖς ἰδίοις. Et sic poteris Christum sacerdotem quoad Ecclesiam, quoad Redemtionem a peccato, quoad judicium extremum, quoad executionem omnium finium Dei post diem judicii, considerare, & in quolibet respectu coincident omnia quæ in prioribus jam tibi adfuere. Cum adeo in hac Theologiæ forma locos ad sex titulos contraxerim, etsi per hunc adstrictum ordinem simplicitati aliquid decedat (magis enim placet ordo scripturæ historicus tum & Protevangelio ad Adamum primum & secundum, tum ex typis templi primi & secundi ad sacerdotem collimans) tamen tenorem scribendi his sex titulis accommodabo, & postmodum liberius quid superaddam.

I. Primo igitur, quoad titulum de Deo, necesse est, ut quod in Deo revelatum est, etiam in sacerdote deprehendatur. Vidit sapientia hypostatica ante

ante mundum conditum in Deo singulas rerum creandarum ideas, antequam in ipsas formas per sapientiam explicarentur. *Prov.* 8, 22-31. Vidit septem spiritus esse exemplaria, ad quæ sapientia septem columnas domus suæ adornavit. *Prov.* 9, 1. Experientia & consensus antiquitatis docet, inesse animabus notiones anticipatas, non quidem ut ideas innatas, sed lege continuæ assistentiæ irradiatas. Ex hoc ipso probatur, lumina a Patre luminum continuo ad nos descendere, sive recipiantur a tenebris creaturæ, sive non recipiantur, saltem hoc certum est, lumina hæc anticipare doctrinam, doctrinam tamen a sapientia in plateis clamante ad ea recipienda institui, inter omnes nationes mundi. Quæ igitur in Deo sunt ideæ, illæ etiam sacerdoti consummato inesse debent.

An vero ideæ sint primum cogitabile in Deo, an ipsa δοξα & vita, hoc vel ipse Moses ignoravit. Vidit Moses omnium rerum Exemplaria, sed ea vidit in vita. Vita, Verbum, Lux sunt primum cogitabile. Deus ipse est vita indissolubilis *Ebr.* 7. omnium virium radices in septenario continens, hanc vitam nemini nisi summo sacerdoti communicare potest. Habet igitur sa-

cerdos in Verbo απ αρχης, omnes vocales & consonantes essentiarum, h. e. omnes vires materiatas & immateriatas, habet ut Vita, omnium virium manifestationes activas & passivas, habet ut Lux, omnes ideas, quæ effunduntur *Prov.* 8, 23. ad distinctionem abyssorum, fontium, montium, cælorum & marium. Vita in Deo per λογον est manifestativa sui, etsi Deus sit inalterabilis, tamen non est ens quiescens, sed transit a statu manifestationis in statum manifestationis. Hinc Deus Jehovah dicitur, h. e. qui est, qui fuit, qui venit, h. e. ælohim qui se manifestat in nubibus, per potentiam; & Jehovah qui manifestat gloriam in Israële. *Ps.* 68, 35. ad utramque requiritur attractio corporalis & spiritualis, quam Christus sibi tribuit post exaltationem, quia eam habuit ante eam, ut ἀρχὴ τῆς κτίσεως, ut principium originans creaturæ. Nulla enim neque manifestatio, neque creatio fieri potest, sine attractione, quod Ebræis est Zimzum.

Quia igitur sacerdos est medius inter Deum & creaturas, hinc quoad Deitatem debet esse Jehovah, h. e. manifestator occultorum in Deo, secundum προθεσιν αἰωνων, hinc debet omnia ad se trahere, omnia universi spatia replere,

re, omnia nutrire & renovare, omnia ex ſtatu antiquo in novum educere, imperare omnibus angelis, & quicquid ſe Deo opponit, in ſubjectionem redigere, mortem, & quicquid creaturis impuri & præter ordinarias vitæ leges corticis inſtar acrevit abolere, & ſic omnes Dei virtutes coram omni rerum univerſitate contra criminationes angeli rebellis juſtificare, & decentiis Dei ſatisfacere.

II. Quoad titulum de Homine debet Chriſtus homo omnia implere, quæ in ſ. ſcriptura ad ultimam usque κεφαλαν ſunt de eo tradita, debet ut Adamus ſecundus ex abditis Naturæ producere, quæ Adamus primus in Paradiſo per culturam horti Eden produxiſſet. Igitur nil manere debet in terra occultum, quin manifeſtum fiat. *Luc.* 12. Hinc artes & Academias ſuus honor manet, quæ celantur occulta producere, ſub ſummi Pontificis directione. Porro ſecundus Adam ſtatum Pſychicum ſubire debet, quia ſpiritualem præcedere debet Pſychicus. *1 Cor.* 15. Idcirco ab infimo gradu ſervi ad ſupremum Deitatis ſucceſſive debet elevari, ſed tantiſper influxum Deitatis in hominem animalem ſuſpendere. *Jeſ.* 53, 1. 2. Omnia percurrere,

quæ homini obvenire possunt, omnes tentationes, omnia pathemata, omnes affectus sine peccato experiri. Igitur inde ab utero legibus resistentis materiæ tenebrosæ adstringi, postmodum anima in sanguine vegetari, in animam rationalem per vernaculam formari, & sic demum spiritu septemplici sine mensura repleri, ut Psychicum in spirituale elevetur & carnis insita inimicitia aboleatur. *Eph.* 2, 14. 15.

III. Quoad titulum de Lege & Peccato Christus antequam ut sacerdos in sanctuarium introivit, se ipsum in terra ut hostiam obtulit. Hostibus a domitis hostia nomen habet. Christus itaque satanam hostem, post superatam triplicem tentationem, prius debellavit, ut peccatum & mortem destrueret, hostia sua in cœlum deportata. Peccatum itaque expiandum & deinceps abolendum fuit. Peccatum ortum est ex dissolutione virium in temperamento coordinatarum. In vera coordinatione, status Psychicus animalis non fuisset observabilis ob prædominium superioris vitæ, sola igitur Psychica vita dominante fiebat fractio legis internæ, quæ in veritatis essentiali coordinatione consistebat. Cum igitur post lapsum homines Psychici nasce-

naſcerentur, peccatum originale in omnes propagabatur, morsque per omnes tranſiit, eo ipſo dum ſine prædominio vitæ ſuperioris vitam degebant mortalem. Ad internam legem, de non confundendis vitæ principiis, conſervandam, lex externa poſitiva addebatur, ſed imaginatio legem internam mentis diſturbavit. Inde fines Dei in reſtitutionem legis internæ volvebantur. Magnum opus, cui exequendo nil ſufficit niſi ipſa φυσεως Divinæ ſucceſſiva communicatio! Ad hanc Phyſica neceſſitate requirebatur mors & reſurrectio ſecundi Adami. Et ſic demum hoſtia factus eſt Chriſtus. Sed variæ diſpoſitiones ad hoc decenter exequendum præmiſſæ ſunt: Lex Sinaitica Chriſto data eſt ut fœdus operum, Iſraëli, ut fœdus gratiæ. Lex igitur Sinaitica non eo fine data eſt, ut reduceretur per eam ſpiritus ad Pſychen, ſed ut tum immanitas peccati, & incapacitas carnis ad legem, tum ſanctitas & δοξα Dei quid depoſcat, agnoſceretur. Lex a Chriſto perfectam δοξης reſtitutionem, perfectam juſtitiam requiſivit; a nobis carni obnoxiis homuncionibus, nil niſi deſiderium gratiæ. Id ſancti agnovere ſoli, reliqui legem ejusque fines non intellexere.

xere. Interim majestas Dei tam amplas dispositiones, etsi non intellectas, sibi vindicavit, etsi lex ad vitam data fuit; tamen, lex mortis & peccati facta, malum in tellure exasperaverit. Triumphos egit Satan. At de Agno Dei, hostia in cruce immolanda, non cogitavit. Venit tempus. Christus sacerdos Dei futurus omnia prævidit. Quis ad hæc aptus? Tantæ molis erat internam virium hominis dissolutionem spiritu æterno redintegrare. Sileamus, & in hostia Jesu Aquam Sanguinem & Spiritum adoremus, non enim pares sumus intelligendis omnibus requisitis ad redemtionem. Aqua & Sanguis sunt illa corporalia media ad animam redintegrandam; Spiritus vero veritatem testatur & in veritatem ducit. Lex itaque Mosis abrogatur, gratia & veritas Jesu Christi legem libertatis, legem regiam amoris, legem vitæ erigit in sacerdotio Domini, secundum ordinem Melchisedek. Sic peccatum, ens per naturam incompensabile, per novam diatheken compensatur, & Christus mediator novæ diatheces solus omnes peccati sequelas, omnes mortis fructus destruit. Quis hic omnia sacerdotis πραγματα ε βλεπομενα enarrabit? Quis aspectus

aſpectus & ophanim gratiæ ſub generales revocabit notiones? Tota ſ. ſcriptura plena eſt gratia. Illuc Te adplica. Nos fideles punctum viſus gratiæ ex ſacerdotio Chriſti per Spiritum S. fixum habentes, invitemus nos invicem, in his rerum mundi fluctibus; nunquam paſſuri, ut fixum hoc firmamentum fidei defluat, ſcil., quod Chriſtus una vice peregit in terra, id in cœlis ſpiritus æternus ſacerdotis infinito valore mentibus fidelium communione ſua adjudicet. O quantum Deus honoratur, a nobis, quum gratiam in momentis ſpiritus Chriſti præferimus defatigationibus, queis pro ſcrinio pectoris noſtri perfectioni volumus conſulere noſtræ, ut infinitis id hodie libris & conſiliis moralibus tentari videmus.

IV. Quoad titulum de Gratia, hæc, etſi ex illimitata libertate Dei profluat, tamen ordinem ſervat. Ordo hic quidem in fonte naturæ æternæ Deitatis, in ſeptemplici ſpiritu Dei ex parte fundatur; ſed individuales animæ JeſuChriſti cogitationes hic & nunc videntur tranſilire ordinem naturæ etiam inviſibilis, in peccatoribus, qualis fuit Manaſſe, latro crucifixus, & noſtro tempore *Baro de* SCHÖNFELD, gratioſe in rotulum

rotulum electorum accenſendis. Verum eſt, gratiam eſſe influxum ſpiritus ſeptemplicis, pro receptivitate characterum in animabus, ad reducendum ſpiritum ad Pſychen; ſed hic influxus non ſemper ad proportionem ordinis, in natura rerum neceſſarii, ſed ad fidem credentium, ſuper ſcalam naturæ cor ipſius ſacerdotis tangentium, a ſacerdote ſummo dirigitur, ut hoc jam in Joaſo Rege Iſraëlis per Eliſam 2 *Reg.* 13, 14-19. præfiguratum eſt. Elementa enim naturæ ſubſunt precibus fidei liberrimis. Ordo hic in Rege Melchiſedeko jam præſtabilitus eſt. Rex hic juſtitiæ & pacis ſine patre ſine matre ſine principio & fine dierum deſcribitur, quia tranſcendit elementa naturæ, ad quæ cultus Leviticus quodammodo accommodabatur. Per hunc tot regulæ Leviticæ, circumciſio, victimæ, chirographum Moſis, abrogata ſunt. Lex ſpiritus vitæ in eorum locum ſucceſſit; lex hæc facilis & jucunda eſt, ſed latiſſima *Pſ.* 119, 96. 89. univerſitatem Naturæ ita colluſtrans, ut montes pacem, & colles juſtitiam ſint annunciaturi *Pſ.* 72, 2. 3. Sanguis Chriſti omnia nova facit, nec noſtrarum eſt virium, explicare, quibus modis id futurum ſit. Sacerdos Dei eſt architectus naturæ,

ræ, in illo habemus communione occulta thesauros absconditos omnis cognitionis & sapientiæ. Sed pro æone hoc sufficit ministris gratiæ, nosse qui sint gradus peccatorum, & qui gradus gratiæ. Dantur enim peccata ad mortem, quæ rectâ contra sacerdotii honorem committuntur, dantur quæ pœnitentibus septuagies septuaginta vicibus remittenda sunt, citra proportionem culpæ & pœnæ. Quia Christus decem millia talentorum debita uno actu remittit. Et hoc jus membris ecclesiæ potioribus concessit, suscipiendi in tabernacula æterna εκλιπομένες, h. e. jure excidentes, modo communionem ecclesiæ cum Christo vere agnoscant.

Melchisedek panem & vinum protulit, & Abrahamo ejusque semini benedixit, decimas tamen ab Abrahamo sumsit, ad demonstrandam superioritatem illimitatam, ad legem compensationis non adstrictam, hinc: Abrahamus negavit se a Rege Sodomæ compensationem accepturum esse ullam, quippe decimas non ex lege compensationis Melchisedeko largitus, sed ob alios sublimiores fines.

Sanguine Christi semel effuso & in sanctuarium cœleste deportato, sanguis circumcisionis non amplius introitum præbet

præbet in ecclesiam, sed aqua baptismi, quæ dein pane & vino, carnis & sanguinis exhibitoriis confirmatur fidelibus. Proh quam incredibilis facilitas ordinis gratiæ. Semel intravit Christus in sanctuarium cum sanguine, in quo vita Dei residet, & hoc semel & una vice plus valet, quam si millies pro quolibet oblatus esset. Una vice æternum redemtionis valorem a Deo approbatum invenit pro tot redemtionum figuris. E. g. *Exod.* 13, 13. Asini primogeniti ove redimendi. Gratias agamus Deo, pro tam gratioso ordine. Pœnituit Deum fecisse homines, tæduit eum Israëlitarum. 2 *Reg.* 10, 32. Solus mediator novæ dispositionis, novi ordinis gratiæ, gratiosos nos Deo facit. Propter hunc squalores peccatorum defœdatissimos tolerat, & constituit tempore ultimo squalidissimo *Eph.* 2, 7. divitias gratiæ non suspendere. Gratia dicit incredibile & paradoxum quid, quod homini Psychico stultitia videtur. Quoties verbum gratiæ ad aures spiritualium venit, elevent cogitationes ex machina mundana in sacrarium cœleste, ubi plurima non amplius ordine mechanico sed supra-mechanico intellectuali æstimantur a Deo. Hinc post consummationem victimæ Christi

in

in cruce communio mortis, sepulturæ resurrectionis & exaltationis in cœlum nobis a Patre Jesu simul adjudicatur, supra omnem captum rationis. Per festa solennia celebratur incarnatio, passio, mors, resurrectio &c. nemo se excusare potest ignorantia, sed fideles in spiritu intelligunt dignitatem vocationis suæ.

V. Quoad titulum de Ecclesia: summus sacerdos non posset esse sacerdos, nisi haberet, quibus vitam, a Deo acceptam, communicare posset. In hoc Dei gratia, in hoc beneplacitum versatur, ut omnis plenitudo sit in Christo, quam deinceps influxu septemplici derivare possit in suos. Unus est Deus, unus est Christus, unus est Spiritus, una est Ecclesia. Deus, Christus & Ecclesia unum quid sunt & erunt *Joh.* 17. sed unitas hæc se explicat in diversissima charismata pro membrorum vario numero. Ut unitas hæc se diffundat ordinatissime in tam diversa membra, summus sacerdos ordinem tuetur. Unitas Dei non est unitas numerica, sed unitas sine pari, unitas infinite fœcunda, unitas intensissima, hoc est, quæ potentias in potentiis continet sine confusione, septenario omnia connectente. Hinc Deus sacer-

dotem per juramentum constituit, quia juramentum & septenarius unum & idem sunt; quoties Deus juravit, per septem obtestatus est *Genes.* 21, 23-28. Adeoque Christus in sacrario cœlesti charismata ex uno Deo per unum spiritum distribuit, ordinemque ζωης ακαταλυτε servat, dum in membra singula influit, & sic ecclesia plenitudinem Deitatis quæ in Christo corporali modo habitat per influxus septenos & per hos innumerabiliter multiplicatos, possidet, & est plenitudo τε παντα εν πασι πληρεμενε replentis & repleti *Eph.* 1, 23 Intelligimus hic aliquid stupendum, sed per fragmenta. Veniet dies, quo id agnoscemus ut a Deo agniti sumus. Contenti simus pro his explicandis diversis in scriptura præfigurationibus. Quod per unum non exhauritur, suppletur per alterum. Arbor vitæ, candelabrum aureum Zachariæ & omnium visionum emblematicarum compages in Zacharia satis nobis per fragmenta denotat. Systema sine hiatibus non datur in hoc æone.

Sacerdos in Zacharia appellatur Zæmach, quia vegetatio spiritus una est in Christo & membris. Sub illo duæ coronæ, aurea & argentea, in unum quid vegetantur, non opere fusorio con-

consistant. Christus enim sacerdos vitam suam & omnia opera sua in membris vegetatione quadam in omnes & singulos diffusa communicat. In hac Ecclesia beati sumus in ενοτητι πνευματος quam sequitur demum ενοτης πιςεως & charismatum. In unione vegetabili spiritus minimus possidet omnia, quæ singuli possident, & hoc magno est solatio iis, qui mensuram cognitionis parvam & tamen charitatem universalem habent.

Arbor vitæ in Paradiso hanc Ecclesiæ vegetationem singulis communem jam præmonstravit. Arbor vitæ erat in centro Paradisi, centrum hoc ad normam Archetypi in sapientia effigiatum est. Centrum in Archetypo est dextra Patris, unde Christus exivit & quo iterum rediit. Dextra Patris est ubiquitas concentrata in medio Archetypi. Ex quo Christus in terram venit, postquam aquam & sanguinem ex latere suo effudit, dispositiones ad influxus recipiendos ordinavit. Oriens, occidens, meridies in Paradiso dispositiones has præfiguravit. Dividitur arbor in ramos majores, XII. Apostolos & in minores, LXX. discipulos & post in totam Ecclesiam.

Arbor vitæ est in terra radicata, a qua vitæ suscipit incrementum. Christus in terra vitæ radicem habet. Terra vitæ est purissimum elementum manifestationis divinæ, chasmal Ezechieli dictum, terra hæc facit, ut gloria instar speculi reflectatur in fontem ex quo exivit, hinc hæc potentia passivum quid infert, eo fine ut hæc δυναμις υφιςα επισκιασμον in Matrice Mariæ subire potuerit, unde postmodum tota ecclesia ex elementis divino humanis, aqua, sanguine & spiritu nutriatur. Christus carnem & sanguinem nobis dedit in cibum, ut arbore vitæ nutriamur, hoc nutrimentum animarum jam ipse Salomoh arborem vitæ nuncupavit. *Prov.* 11, 30. per hunc fructum doctrinæ mutuam επιχορηγιαν seu distributionem vitæ exercemus per Christum, in bonum odorem Jehovæ.

Innumera sapientiæ divinæ documenta in Ecclesia revelabuntur, Angelis in admirationem. Hinc desunt nobis verba ulterius de his facienda. Patefaciet ea summus sacerdos. Nos vero ut infantes in amore revereamur instituta Jesu Christi, olim in æone futuro, quam stupendæ profunditatis sint, agnituri. Principatus & ordines angelorum sciunt, quæ æternæ invisibilium

sibilium naturæ conveniunt. At quæ ex beneplacito Dei fluunt instituta Christi, discunt ipsi etiam angeli nobiscum, per sacerdotium Christi instruendi.

VI. Quoad titulum de novissimis, quæ extraponunt abdita & abscondita creaturæ vanitati subjectæ. Christus sacerdos demum agnoscetur in gloria, tum enim vita Christi in Deo hactenus recondita per omnia membra patefiet. Christus & illius membra judicabunt angelos malos & omnia, ad quæ infideles ex abysso malitiæ impulerunt. Dies judicii incipiet κρισιν αιωνιον *Ebr.* 6, 1. ubi sacerdos Regius revelabit, quicquid mensura rigoris & misericordiæ Divinæ cum humana temperata requirit. Nam quoniam Christus judicium peraget, quia filius hominis est, igitur omne Divinum æternæ naturæ conformabit se ad humanam Christi naturam, & quemadmodum omnes modi agendi Divini in sacra scriptura describuntur humano more temperati ut patet ex *Genes.* 11, 5. 7. 18, 21. ita etiam summus sacerdos attributa Divina ita glorificabit, ut humanitas in Divinitate resplendescat. Secundum rigoris mensuram nationes, ut ollæ

figulorum disjicientur, secundum mensuram misericordiæ illi quibus Evangelium jam in carceribus post mortem denunciatum est, secundum Deum spiritu vivent. Leges naturæ divinæ æternæ secundum beneplacitum Dei per sacerdotem exequendæ efficient, ut nationes judicandæ κρισιν κατ ανθρωπους εν σαρκι subeant. Propterea Deus in sacerdote tantum beneplacitum habet, ut per ἀπαρχὴν τῶν αὐτῶν κτισμάτων h. e. per communionem electorum peragatur judicium αιωνιον. Omnia verba, ex fonte Anti-Christiano prolata, judicatum iri supponit judicium αιωνιον, Reginam Austri judæis infidelibus ad latus adsisti supponit idem. In summa, corporalibus figuris singula invisibilia factum iri visibilia, aures ad transcendentalia animæ assuefactas offendit; nisi extantissime scriptum esset in apocalypsi, vocatos, electos & fideles equis albis ordine exercitus de cœlo venturos, certe risum id moveret monadologistis. Civitas Dei corporali figura referet omnia, quæ in Deo latent, & ante hanc in templo Ezechielitico quadratura circuli, fons omnium figurarum, facili computo ab intelligentibus agnoscetur. Hæc omnia Christus Rex & cili

sacerdos ex intimis initiis invisibilium ad finem visibilium perducet, eousque donec Deus sit omnia in omnibus & ipse sacerdos etsi cum Deo sit unus spiritus, tamen subordinationem reddet visibilem. Sic Emanatio Pantheistica mundi refutatur. Si enim ipse Christus non est mera emanatio Dei necessaria, multo minus ulla datur emanatio creaturæ necessaria ex Deo, sed per beneplacitum Dei omnia legibus suis, non ex nihilo sed, ex Deo, progressa sunt cum propriis centris seu seminibus, ut quod fuit invisibile, fiat visibile. Invisibile dicitur Salomoni olam seu æon, visibile vero, pulchrum certo tempore *cap.* 3, 11. 14. 15. Nullus igitur regressus creaturæ in Deum datur. Hinc Christus est summus sacerdos, ut ad beneplacitum Dei æones decurrant in infinitam varietatem χαρᾶς δεδοξασμένης, Dei, Christi, electorum & totius universitatis rerum.

Liberiori ordine sacra scriptura de summo sacerdote agit. Sed nos tamen disseminatas hinc inde miculas attentione spirituali colligere necesse habemus. Et sic quilibet Spiritum S. habeat ductorem, modo per omnem veritatem

ad veram notionem ſacerdotis duci ſe patiatur. In Protevangelio potiſſima momenta occurrunt, unde incipienda ſit meditatio, ſed ibi non apparet ubi deſinat. Scil. ſemen mulieris conteret caput ſerpentis; in hoc breviſſime opus ſummi ſacerdotis deſcribitur, ſed non ut ſacerdotis, ſed ut ſecundi Adami. Addendi ſunt conceptus de tabernaculo & templo, tum demum idea ſacerdotis emergit. Id jam ſatis demonſtratum ivi in Libro, güldene Zeit, Tom. II. p. 29. ubi abunde docui ad conceptum ſummi ſacerdotii neceſſario requiri ſpatium & locum tabernaculo & templo terminatum. Summus ſacerdos puriſſimum ſpatium inhabitat ex beneplacito, non ex neceſſitate naturæ. Ipſa gloria Dei eſt habitaculum Dei, Deus enim & lux quam inhabitat ſunt diſtincta, neque ad eſſentiales conceptus de Deo, ſed ad reſpectum beneplaciti Divini in ſacerdote revocandi. Hinc fruſtra Philoſophi objiciunt, aut gloria ad eſſentiam Dei pertinet aut non, ſi prius gloria unum & idem eſt cum Deo, ſi poſterius, gloria aliquid involvit creatum, circumſcriptum, materiale, corporeum. Sed unum reſpondeo, fuit Dei beneplacitum ut tota plenitudo

Dei-

Deitatis habitet in Christo corporaliter, non per meram adesſentiam in carne, ſed ſublimiori beneplacito, λογος enim σαρξ εγενετο, non per meram unionem, ſed per perichoriſticam penetrationem; quod non fluit ex conceptibus eſſentiarum ontologicarum, ſed ex ineffabili beneplacito, vi cujus primas & ſimpliciſſimas naturas Deus ita eſſentiavit, ut ſubſint beneplacito, non tantum neceſſitati legum æternarum Divinitatis. Sint igitur imagines in Apocalypſi de ſpatio Dei & Agni Philoſophis ideæ Deo indignæ, ſaltem metaphoricæ, audeant propter canones metaphyſicos demere verbis Dei, demet itaque ſacerdos ſummus partem ſuam de ligno vitæ, quia ſtultitiam ſuorum conceptuum prætulerunt obteſtationibus Dei. Et ſane demonſtratum dabo decentias Dei in eo ſe manifeſtare, ut quod ſtultiſſimum videtur rationi, ſit illud ipſum ſummum, quod ſummo ſacerdoti a Deo ex beneplacito commiſſum eſt, olim toti univerſitati rerum ob oculos ſiſtere. Legant itaque ſine murmure omnes illos materiales conceptus in libro meo citatos, quos ex ſ. ſcriptura de loco ſacerdotis exhibui. Si ſint duræ cervicis, habeant ſibi depuratiſſimos conceptus

extra Christum formatos. Parvuli sunt Philosophi, nisi a Christo viri fiant. Ita Clemens Alexandrinus, maximus in Philosophia sacra, & avus Gregori Thavmaturgi effatum dedit.

DE OPERATIONIBUS GRATIÆ PER JESUM CHRISTUM.

§. 18.

Finis statuum & officiorum Christi est communicatio vitæ Dei per Spiritum S.

Post exaltationem & glorificationem Christi finis Dei cum homine is est, ut Christus sit vita ejus, *Col.* 3, 4. primum in occulto, postremum in manifesto; scilicet in hoc seculo primum, in illo seculo postremum. Jesus Christus in terra versatus semper in ore habuit hanc promissionem, ut, qui credat, habeat vitam æternam, *Joh.* 3, 15. 16. 36. 5, 24. 6, 40. 47. 54. 10, 10. 28. 17, 2. 3. subintellexit vero Christus vitam occultam & manifestam. Hanc phrasin explicat Christus per alias: lucem vitæ habere, *Joh.* 8, 12. cibo satiari manente in vitam æternam, *Joh.* 6, 27. potum accipere fontis vivi in vitam æternam salientis, 4, 14. clamavit aliquando in festo Scenopegiæ: si quis sitit, veniat ad me, & bibat; si quis credit in me, quemadmodum scriptura dixit, fluvii aquæ viventis fluent ex ventre

ventre ejus: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi sint credentes in illum; nondum enim fuit Spiritus, scilicet ille accipiendus eo gradu, Christo nondum glorificato. *Joh.* 7, 37-39. Postquam autem Christus jam glorificatus erat, Apostoli has Christi locutiones multo plenioribus extulere phrasibus, ut: transformari eandem Domini imaginem a gloria in gloriam, utpote ex Domino, qui Spiritus est, *2 Cor.* 3, 18. esse unum cum Christo Spiritum, *1 Cor.* 6, 17. habere eundem Spiritum fidei, quo ex Deo loquimur, *2 Cor.* 4, 13. impleri in omnem illam plenitudinem Dei, *Eph.* 3, 19. participem fieri divinæ naturæ per pretiosissimas & maximas promissiones, *2 Petr.* 1, 3. 4. in omnipotentia potentem fieri secundum robur gloriæ, *Col.* 1, 11. accipere secundum divitias gloriæ ejus, ut potentia roboremur, per Spiritum ejus in incrementum hominis interioris, ut præpolleamus comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem, *Eph.* 3, 16. 17. Hæc autem vita Christi cum certo ordine in hominem veniat, 1) ad ductum verbi Dei vividissime agnoscendum, quomodo vita hæc in Christo inde ab incarnatione & unione personali

Communicatio hæc fit sub ordine quodam

1) inchoando unionem cum vita illa per fidem

ex verbo Evangelice percepto ad justificationem.

nali per exinanitionem ad exaltationem & glorificationem traducta fuerit; quid sit cœleste tabernaculum, quod Christus ingressus est, ubi omnia vivunt & operantur ex Christo, & ex septem spiritibus ejus; quomodo nos uniendi simus per fidem cum Christi vita, & cum omnibus, quæ inde profluunt; quomodo πράγματα, h. e. ἰδιώματα, ἀξιώματα, ἀποτελέσματα sacerdotis Christi in vitam nostram operentur ad justificationem; vita enim fidei tum rebus tum actionibus Christi insistit, ut sit vera hypostasis, verum totius ædificii sapientiæ fundamentum. Jam supra in loco de homine dictum est, Spiritum Christi cum anima uniri, & hominem experiri commercium inter duo per verbum vivificum. 2do Quando igitur verbum Dei prædicatur sub administratione Spiritus, si vocatio Dei ad communionem statuum filii Dei illucescat cordibus nostris tanquam mirabilis lux in gloria & in potentia resurrectionis Christi, tum unio cum vita Christi ut vere & cito inchoatur; ita etiam continuatur: spiritus illud commercium inter animam & spiritum ipse testatum reddit, & regeneratio, conversio, pœnitentia, justificatio, adoptio, sanctificatio, sub hac unione celeres acquirunt progressus.

Continuando per sanctificationem donec experiamur commercium spiritus vitæ Christi cum anima nostra.

§. 19.

§. 19.

Si vero verbum & vocatio Dei in mera litera & administratione coactiva legali fit, tum fit administratio mortis, unde peccatum augetur & magis invalescit. Verbum enim inane seu litera mortificat, sola administratio spiritus & vitæ vivificat. Tale verbum non docet corda, neque enim ad sensum communem, quo docet Deus homines, quæ sciunt, *Ps.* 94, 10. neque ad sensum spiritualem & γεῦσιν attemperatum est. Tale verbum vi vegetandi cassum nil operatur, immo fructus morti fert, nullam illuminationem cognitionis Jesu Christi efficit, sed νοήματα a Deo mundi excœcata progignit, *2 Cor.* 4, 4. carnalem indolem & mundiformem innutrit. Hinc Apostoli tantopere succensebant talibus vanitatum prædicatoribus, qui volunt esse legis doctores, neque tamen sciunt, de quibus loquantur, neque de quibus convicti sint, *1 Tim.* 1, 7. libertatem prædicantes, cum tamen subditi sint corruptionis, *2 Petr.* 2, 19. quorum errores hoc tempore non tantum sunt errores doctrinæ, sed methodi spiritualis, pestilentiores illis. Multi quidem eorum possunt eatenus evangelium prædicare, quatenus ad scopum voca-

Digressio de inefficacia verbi legaliter tantum percepti.

vocationis universalis facit in testimonium super auditores, *Matth.* 24, 14. *Rom.* 10, 18. sed nisi auditores de regeneratione, pœnitentia & justificatione ab ipso Deo erudiantur, per horum ministerium vix ullum apoteleſma tale proveniet. Quod si quis igitur minister vocationis Dei ad communionem vitæ Christi esse vult, is ante omnia incipiat a se ipso, habeat rectitudinem cordis, faciat voluntatem Dei, conscientia notam, pergat sub tractu divino discernere in se & anima sua operationes Dei & diaboli, ut supradictum est in loco de Homine; discernat cognitionem vivam a mortua; characteres morum humanorum ad ductum Proverbiorum expendat; motiva sapientiæ in plateis loquentis primo ad emendationem sui ipsius, deinde etiam aliorum adsciscat; conferat cum his sublimiorem gradum motivorum, & promissionum N. T. a communione vitæ Christi desumtorum; distinguat methodos ipsius Dei, queis ad fœdus gratiæ invitavit homines, sub diversis œconomiis; & sic discet locum de Lege & Evangelio per exercitationes sui ipsius, *1 Tim.* 4, 2. sic fiet a Deo doctus, *Joh.* 6, 45. divina schola exercitatus ad Regnum cœlorum, *Matth.* 13, 52.

13, 52. ipse vocatus ad communionem vitæ Jesu Christi, ut alios vocare possit. Ardua res est, mi Lector! docere homines vitæ semitas. Deus id facit, *Ps.* 16, 11. sed ministerio nostro uti vult, ubi Lex & Evangelium justo ordine contemperanda sunt, secundum vitæ rationes, quæ sane nulla arte includi possunt. Dedi quædam in colloquio meo, forma libri Jobi adornato, explicationi meæ in Hiobum subjuncto, pag. 320. sed hæc omnia nil sunt, si conferantur cum interna spiritus παιδεία, sub qua erudimur de semitis vitæ per omnia, quæ nos circumstant. Habemus in epistola ad Romanos ὑποτύπωσιν pulcherrimam ex justitia & gloria Dei promanantem, quomodo vocari debeat peccator per Legis & Evangelii motiva vivifica; sed nisi tu vivas, & ratiocinii leges spiritus Pauli & Christi in te ipso pernoscas, stulta erit imitatio tua, affectatio inepta, volatus sine alis. Nemini sine his forma doctrinæ de regeneratione, conversione, pœnitentia, justificatione usui est. Hinc formam quidem in N. T. sanorum verborum suspicere jubemur, sed de forma methodi spiritus, de diaconia πνεύματος semper ingeminatur quæstio, quis, nisi spiritualis, ad hæc aptus? *2 Cor.* 2, 16.

§. 20.

§. 20.

Ordo Evangelicus simplex ad unum tendit.

Regeneratio, conversio, illuminatio, pœnitentia, justificatio, sanctificatio, uno in baptismatis fœdus consensu, una cordis fide, una oris confessione inchoantur. Omnis, qui credit, Jesum esse Christum, is ex Deo natus est; *1 Joh.* 5, 1. Ecce regenerationem. Gratiæ Deo, quod fuistis servi peccati, nunc autem obedientes facti typo doctrinæ, cui vos tradidistis, *Rom.* 6, 17. Ecce conversionem. Deus in cordibus nostris illuxit, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi. *2 Cor.* 4, 6. Ecce illuminationem. Christus, quod mortuus est, peccato mortuus est semel, quod vivit, vivit Deo; ita etiam vos (ad vocationem prædicatam semel) colligitis, vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo per Christum, *Rom.* 6, 10. 11. Ecce pœnitentiam. Justificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, *Rom.* 5, 1. Ecce justificationem. Deus nos, cum in peccatis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, gratiâ estis servati, unâque suscitavit, unâque collocavit in cœlis in Christo Jesu, *Eph.* 2, 5. Ecce sanctificationem. Jam hæc omnia esse unum,

unum, patet ex dicto: *1 Cor.* 6, 11. Hæc eratis quidem: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Methodus Apostolorum fuit plane simplicissima. Jesus Christus verba sua, propositiones suas, ut a Patre suo acceptas, & a se auctoritate filii enunciatas, in medium protulit cum rationibus conscientias intime ferientibus. Quicunque igitur fide seu persuasione certa id verum esse judicavit, ille in numerum discipulorum Christi est reputatus. Ante Passionem & Resurrectionem satis fuit credere, Jesum esse illum a Prophetis denuntiatum Messiam. Post mortem & resurrectionem Apostoli tanquam testes mortis & resurrectionis cum summis rationibus proposuere, Jesum resurrexisse ex mortuis, sedere ad dextram Dei, largiri spiritum ex vi resurrectionis iis, qui crediturí sint. Quo facto credentes vel adsumentes verbum baptizati sunt, sic ut uno sigillo regeneratio, adoptio, conversio, illuminatio, justificatio, sanctificatio, & uno actu ipsis confirmata fuerint. Id quod factum *Act.* 2, 41. 8, 12. 37. 16, 14. 15. 17, 2. 3. 4. Postea ipsis declaratum est per ulteriorem informa-

tionem, quod per hanc fidem in communionem vitæ Jesu Christi & omnium statuum ejus recepti fuerint, quod salutem, justificationem, absolutionem a peccatis, & per Spiritum S. initia vitæ cœlestis acceperint. Tali modo Evangelium fuit perquam amabile & jucundum, fides admodum facilis.

Facilis itidem fuit tota Illuminatio una cum baptismo communicata. Hinc baptismus ab antiquis vocabatur illuminatio. Etenim regeneratio ab illuminatione tantum differt modo proponendi. Regeneratio quidem intrinsecum quid dicit, quod demum in æternitate agnoscetur, quando cognitio nostra erit ut a Deo agniti sumus. Sed illuminatio est magis explicabilis. Objectum Illuminationis est cognitio gloriæ Dei in facie Jesu Christi. Quicquid igitur sine cognitione gloriæ Dei de rebus spiritualibus proponitur, nullam præbet illuminationem Theologicam. In gloria Dei per Christum patefacta cognoscendus est Deus, homo, lex, peccatum, gratia, ecclesia & resurrectio mortuorum. Deus est enim Deus gloriæ, homo regeneratus est in gloria, sed nondum manifestata, lex sine gloria Dei est lex mortis & pecca-

peccati; cum gloria est lex spiritus vitæ, peccatum est defectus gloriæ Dei, gratia & salus in Christo est gloria *2 Tim.* 2, 10. ex sanguine crucis & ex consummatione meriti Christi iterum redundans, qua anima vestienda est olim, hinc gratiæ tribuitur δοξα *Eph.* 1. Ecclesia est corpus Christi, quo Deus gloriam coram angelis & tota rerum universitate vult manifestare. *Eph.* 3, 10. Resurrectio & novissima rerum sunt patefactio gloriæ. *Col.* 3, 4. Quicquid igitur extra nexum cum gloria de ipsa Christi persona docetur, sive sit passio, sive mors, sive sepulchrum, sive descensus ad inferos, sive resurrectio, sive adscensio ad dextram, illud non illuminat. Hinc Johannes Evangelio præmisit explicationem gloriæ, quam Christus habuit ante mundum in λογω, in vita, in luce, quæ tria gloriam Dei constituunt, & post consummationem victimæ omnia in eandem gloriam desinunt. Omnis igitur illuminatio cognitionem gloriæ in singulis partibus Theologiæ pro objecto habet. Hinc ex idea vitæ & gloriæ necessario tota Theologia emanare debet unde facilia & systematica sunt omnia, ut in Sylloge & in hoc Compendio docui. Sub hac facie Theologia, ab Apo-

ſtolis tradita, fuit facilis & jucunda. Lux Evangelii illuminat de vita & αφθαρσια h. e. de gloria. *2 Tim.* 1, 10.

§. 21.

Variæ aberrationes ab ordine iſto ſimplici ex calamitate ſeculi.

Sequioribus autem ſeculis, præcipue noſtro, abſtractiones & obſcuræ locutiones increbuere. Abſtractio a gloria Dei ſenſim introducta eſt; in hujus locum ſubſtitutæ ſunt formulæ abſtractæ; fidem eſſe fiduciam, adhærentiam, apprehenſionem perſonæ Chriſti, quod quidem eſt verum, ſed non illuminativum, fides enim eſt υποςασις ελπιζομενων & elenchus inviſibilium. Sic a ſimplicitate primæva deventum eſt ad locutiones metaphoricas, ad abſtractiones, ad ſubtilitates infinitas: Præcipue poſtquam controverſiæ cum Pontificiis propter meritum de congruo & condigno invaluerunt. Hinc typus doctrinæ noſtræ Lutheranæ reſpectibus ad illas controverſias innumeris ſcatet. Excogitatæ ſunt diviſiones, quas ſcripturæ ſimplicitas non habet. Diviſio verbi in Legem & Evangelium ſub longe aliis ac olim reſpectibus adhibetur, & ſic ingemiſcimus ſub plauſtris & ponderibus philo-

philosophematum, formularum, abstractionum, & præcisionum.

§. 22.

ARNDTIUS, postquam satis expendit, quanta inde Christianismo detrimenta & vulnera inferantur, simpliciorem & conscientiæ internæ magis consonum doctrinæ typum proposuit. Sed evolvatur theologisches Bedenken und christliche treuherzige Erinnerung, welchergestalt JOHANN ARNDTS sogenanntes wahres Christenthum anzusehen. Tübingen, gedrukt bey Dieterich Wernlin. Anno 1623. suspectum auctor reddit ARNDTIUM, quasi literam scripturæ contemnat, quia sæpe dicat, fidem vivificare in nobis verbum Dei, quasi hoc literæ scripturæ sit contumeliosum. Quando ARNDT L. I. Cap. 4. pœnitentiam per abnegationem definivit, & Cap. 8. per mortificationem: Du sollt der Sünde und Welt absterben, und dich zum HErrn bekehren, und um Gnade bitten; jezo hast du Vergebung der Sünden; jezo kommt der Arzt, der die zerbrochene Herzen verbindet, und heilet ihre Schmerzen, sonst ist dir Christus nichts nuz, und hilft dir nichts, dass

Illis Arndius mederi instituit non sine contradictionibus.

du viel vom Glauben ſagſt. Audi jam illum, poſthabita æquitate, propter ſeculi noſtri vulnera illius verbis impertienda invehentem in ARNDTIUM: Hier ſieht der Leſer klärlich, daſs JOHANN ARNDT die Erneurung und Tœdtung des alten Menſchen vor dem Glauben hergehen læſst, und zu der Reue den erſten Theil der Buſſe wider die Evangeliſche und Apoſtoliſche Ordnung einlogirt. Mens ARNDTII hæc eſt: ſi quis juſtificari velit, illi non ſufficere pœnitentiam quandam ſuperficiariam, ſed averſationem peccatorum intimam, conſenſum in mortificationem cum Chriſto. Contradicentis mens hæc eſt: ſi quis juſtificari velit, illi ſufficere, ſi contritionem, partem pœnitentiæ primam neſcio quo habeat gradu, & ſi fidem tanquam alteram partem pœnitentiæ habeat, & tum ex hac fide fructus renovationis ferat. Debere autem hominem juſtificari prius & abſolvi a peccatis actu forenſi, hoc eſt, pœnitentiam & fidem non ingredi debere reſpectum ad renovationem, ſed hominem abſolvi debere prius forenſi modo, ob fidem in prædicamento relationis ſpectatam, a peccatis, & poſtmodum renovationem ſequi demum. Quanta hæc ſubtilitas

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624/phys_0288
DFG

tilitas, quanta præcisio, quanta abstractio! Primo non exstat in scriptura, contritionem sine ullo ad renovationem respectu posse considerari. Potest contingere casus, ut alicui in medio actu pœnitentiæ evolet anima, antequam de renovatione cogitare potuit. Sed exceptio non facit regulam, & fallor, an illius contritio vera contritio fuerit unquam. Sin etiam contritio est motus animi ex detestatione peccati & metu judiciorum Dei, tum inest contritioni detestatio peccati. Si hoc, est etiam voluntas abjiciendi peccatum: Et quod attinet ad fidem; Deus certe non contentus est fide meritum Christi otiose & inefficaciter adspectante, sed fidem desiderii salutis ex Christo plenam vult Deus, vult firmitatem persuasionis, seu ὑπόςασιν in prædicamento actionis, non meræ relationis. Nonne præstat ARNDTII Methodus somnolentum peccatorem vocans & excitans, ut quum dudum superficiaria contritione contentus fuerit, incipiat aliquando semel pro semper per pœnitentiam & fidem in communionem mortificationis & resurrectionis Christi ingredi. Methodus abstractiva linquit hominem in somnolenta sua pœnitentia, ex qua nonnisi per terrorem inte-

ritus & propinquæ mortis evigilat. Ipse Lutherus gratiam & Evangelium nimis a lege abstrahendo prædicans, quum Antinomi inde occasionem caperent, adhuc abstractius, quam ipse, proponendi privilegia Evangelica, sine renovationis proposito, coactus est, aliam ingredi viam, quam cum ARNDTII Methodo magis concordare jam videmus. vid. Luth. opera Tom. VII. ubi disputationes aliquot contra Antinomos insertas legere licet.

§. 23.

Quomodo quilibet ordinem hunc ingredi & ulterius exquirere opus habeat.

Nil igitur restat, quam ut quis methodum illam simplicissimam ex ipso Novo Testamento & ex veteri conquirat ipse, & quidem primo sic, quasi nullus unquam terminus technicus exstitisset. Ita ego tentamen hujus feci duo de viginti abhinc annis in Libro: Evangelicus ordo Regenerationis Germanice edito Tubingæ. Inveniet, post resurrectionem & glorificationem offerri nobis gratiam & pacem in Jesu Christo sub longe simpliciori dispositione, quam lex Mosis fuit. Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: Nam lex per Mosen lata, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. *Joh.* 1, 17. In filio Dei

Dei habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ redundavit in nos in omni sapientia & prudentia, *Eph.* 1, 7. Distinguitur aliquando gratia Jesu Christi seu fructus uterque redemtionis, remissio & regeneratio, alter scopo remotivo, alter positivo, *Act.* 15, 11. *2 Cor.* 13, 13. *Tit.* 3, 5. 6. 7. a favore gratuito, *Luc.* 1, 30 *Act.* 7, 46. *Tit.* 3, 4. Et illa gratia Jesu Christi dicitur benedictio Abrahæ seu promissio Spiritus per fidem accipienda, nec multis, sed uni facta, scil. Christo, in quo qui sunt, & qui ejus spiritum habent, illi remissionem peccatorum & hæreditatem consequuntur. Hinc tot Phrases, esse in Christo, ipsius Christi esse, *Rom.* 8, 1-9. *Gal.* 5, 24. & Christum esse in iis, *Joh.* 4, 10. 17, 26. *Rom.* 8, 10. *1 Cor.* 1, 6. 7. 12, 1. 3. *2 Cor.* 12, 9. 13, 13. *Eph.* 1, 3. 3, 5. Et si quis in Christo est per fidem, ille vires spirituales accipiet semper majores ex communione resurrectionis Christi per Evangelium. *Rom.* 6, 4. 5. 8. 11. *Eph.* 1, 19. 20. *1 Petr.* 1, 3. Spiritus, quem accipiunt fideles, commercium suum internum cum anima non quidem plena mensura ab initio pandit, sed successive. Sufficit igitur,

primum accepisse chrisma per verbum, & hinc conclusiones facere rectas, *1 Joh.* 2, 20. seqq. & tum si manet apud nos, quod primo audivimus, manemus etiam in filio & Patre. Sed quum ætate spirituali provectiores evadimus, tum noscimus illum, qui est a principio, ejusque commercium distinguimus a nostra anima, & tum reseratur nobis sensus divitiarum gratiæ plenius, tum quoad Justificationem, quæ respicit liberationem a maledictione & condemnatione legis, tum quoad vitam spiritualem, & omnia cœlestia bona. Patebit tum, quo sensu dicatur, Dominum ipsum esse spiritum, & nos transformari in imaginem eandem a Domino, qui est Spiritus, *2 Cor.* 3, 18. & quo sensu dicatur, spiritum nondum fuisse, nisi post glorificationem, *Joh.* 7, 39. Nimirum Spiritus S. non est incarnatus, sed λόγος. Postquam vero cum θεανθρώπῳ, seu cum Domino, persona divino-humana, uniti sumus spiritu fidei, tum vitam ex glorificatione carnis λόγῳ unitæ accipimus, & sic templum sumus, in quo habitat spiritus. Spiritus itaque dicitur tum acceptæ vires, ex communione idiomatum, axiomatum & apoteleſmatum Christi, tum ipse ἄλλος παράκλη-

ῥάκλητος. Spiritus ſanctus inhabitat illas vires, ille accipit ex Chriſto, & nobis largitur, & ſic commercium illud ſupra dictum fit firmum & ſtabile, indiciis certis ab omni fanaticiſmo præmunitum, & ſic bona & mala hujus ſeculi optime diſcernimus.

Jam his abſolutis dicemus etiam Thetice, quæ ad ſ. ſcripturæ ductum ſine terminorum ſchemate propoſuimus. Faciamus id, quia in prioribus fuimus breviores, in orthodoxis Theſibus prolixius, nam in his momentum ponitur ſanæ doctrinæ.

§. 24.

Th. I. Applicari debet gratia per Chriſtum ſcopo inſtaurandæ imaginis divinæ parta, per fidem h. e. certam perſuaſionem de annunciata ſalute, quæ nobis in vocatione Dei per evangelium offertur; & tum intelligemus redemtionem Chriſti & totam vitæ communionem ad nos pertinere facili ratiocinio, *Rom.* 6, 11. ex unctione *1 Joh.* 2, 20. Gratia per miniſterium verbi ſive lecti ſive auditi offertur, quam ſi certo adſenſu noſtram eſſe concludimus, illam quoque intelligimus conſiſtere in diverſa relatione unius ejusdemque actus operationis divinæ, ſcil. illuminationis regenerativæ, converſionis, pœni-

Formulæ Theticæ. Gratia offertur per verbum, quæ fide accepta pro diverſo reſpectu illuminat, regenerat, juſtificat.

pœnitentiæ, justificationis, adoptionis, sanctificationis.

Oblatio hæc gratiæ dicitur vocatio

Primum agi debet de vocatione & huic respondente fide. Vocantur omnes ad imaginem Dei intra se restaurandam, sufficiente cum efficacia. Est autem vocatio actus gratiæ universalis, quo Deus testatur hominibus vel generaliter vel specialiter, quod velit, omnes salvos fieri, & ad cognitionem Evangelii pervenire. *1 Tim.* 2, 14. *2 Petr.* 3, 9.

quæ diversis vicibus solenniter facta est.

Generalis aliquot vicibus contigit; 1) post lapsum. *Gen.* 3, 15. 2) post diluvium, *c.* 9, 9-16. 3) Missis Apostolis Jesu in mundum universum, *Matth.* 28, 19. *Rom.* 10, 18. Accessere certis temporibus confirmationes subsequentes: Tempore Mosis, *Exod.* 13, 21. 40, 34. tempore Regis Salomonis, *2 Chron.* 7, 1. 2. 3. temporibus Eliæ, *1 Reg.* 18, 38. 39. seqq. De quibus vide summe Reverendi Dn. Bengelii proœmium in vener. Dn. Storrii, amici nostri, conciones. Vocatio generalis non omnia tangit individua, hinc Paulus dicit τὰς ἔξω nil ad nos attinere. Specialis fit per ipsum Evangelium, quod legem erigit. Lex, si solitarie agit, præparat, & Evangelio tantum viam sternit; si cum Evangelio, tum lex τὸ terribile judicii extremi & omnium

omnium judiciorum particularium acuit, ſicque per oppoſitum efficit, ut Evangelium tanto illuceſcat jucundius.

§. 25.

Vocationi reſpondet fides, quæ conſtat notitia, aſſenſu, fiducia.

Fides vocationem Dei agnoſcit, & communiter tribus integrantibus abſolvi dicitur: Notitia, aſſenſu & fiducia. De notitia vide *Jeſ.* 53, 11. *1 Tim.* 2, 4. *Joh.* 17, 3. *Tit.* 1, 1. de aſſenſu, *Ebr.* 11, 1. *Joh.* 11, 27. *Joh.* 16, 27. de fiducia, *Eph.* 3, 12. apprehenſiva *Joh.* 1, 12.

Notitiam quidem hæretici habere poſſunt; Aſſenſus tantum in orthodoxos cadit, qui de objecto fidei ſpeciali recte ſentiunt juxta ſcripturam; fiducia in ſolos renatos. Poſterior pars ſemper includit priorem; & duo priores ad intellectum, tertia ad voluntatem pertinet. Perabſurda igitur eſt, & ſ. literis & ſanæ rationi contraria ſententia Pontificiorum: Fidem non tam per notitiam, quam per ignorantiam eſſe definiendam, & in ſolo adſenſu conſiſtere; ſcilicet ut hac ratione fidem ſuam implicitam, qua quis credit, ea vera eſſe, quæ eccleſia credit, licet, quænam illa ſint, ne fando quidem audierit, defendere poſſint. Impoſſibile enim eſt, ut quis aſſenſum præbeat veritati, cujus notitiam plane nullam habet: cum adſenſus dicat judicium intellectus adprobans, & hæc ſecunda mentis

mentis operatio illam necessario præsupponat. Unde in s. scriptura fides sæpe per notitiam describitur, *Joh.* 6, 69. 2 *Tim.* 1, 12. ignorantia vero eidem opponitur, *Act.* 17, 23. 30. Notitiam autem oportet esse non levem & vanam, non qualis est in impiis & ipso Diabolo, vid. Form. Conc. pag. 18. 168. 585. sed quæ cum seria agnitione peccati & naturalis nostræ ἀδυναμίας conjuncta est, pag. 675. 711. & ad veram cognitionem mediationis & reconciliationis per Christum partæ tendit, pag. 68. 585. Pariter & adsensus debet esse non perfunctorius, dubius & vacillans, (excepto æstu tentationis,) sed firmus, indubitatus, *Hebr.* 11, 1. 10, 22. Et quanquam in iis, qui tertiam fidei partem non adsequuntur, duæ illæ ad salutem minime sufficiant, ex intentione tamen Dei salutares sunt, & ratione principii spirituales actus & supernaturales. Fiducia vero quasi anima fidei est, per quam nos justificare dicitur; per hanc enim adprehendimus promissionem de remissione peccatorum per & propter Christum, qui est nostra justitia. Promissiones Dei generales & indeterminatæ per fidem speciales fiunt, & singulis adplicantur, ut quilibet dicere queat, ob meritum Christi

Notitiæ requisita

assensus requisita

fiduciæ requisita.

Christi adprehensum, sibi jam peccata remissa esse. Fiducia vero h. l. non accipitur pro παῤῥησίᾳ scil confidentia ex receptione meriti Christi orta, *Eph.* 3, 12. sed pro ipsa adpropriatione fiduciali meriti Christi, quæ practica totius cordis & voluntatis in Christi merito recumbentia est. *Joh.* 1, 12.

§. 26

Objectum igitur fidei justificantis, qua talis, proprium & speciale est gratia & misericordia Dei, seu promissio Evangelii de gratia Dei a Christo ejusque merito parta, vel ipsum meritum Christi, Christus cum suo merito. *Rom.* 3, 24. Fides ergo vera non versatur circa Dei misericordiam tantum generaliter, sed præcise etiam circa officium Mediatoris. Causalitas fidei proin meritoria non est, sed organica tantum, unde illud: Fides justificat non in prædicamento qualitatis, sed relationis, vi correlati sui, quod est meritum Christi, quatenus est, adprehensio beneficiorum Christi passiva. *Joh.* 1, 12. *Rom.* 9, 30. sicut manus mendici non ditat, sed eleemosyna manu adprehensa. Quando dicitur causa instrumentalis, non spectatur, ut instrumentum operativum justificationis. Hinc cum Musæus, vir judiciosus, paulo aliter sen-

Objectum fidei, gratia: ad gratiam vero fides respicere debet, non quasi Deum actu suo impellere velit, sed ut expectans mendicus.

sentiens, diceret, fidem esse caussam impulsivam externam minus principalem justificationis, insurrexere Wittenbergenses contra hoc adsertum, putantes, fidem considerari, ut habens aliquid intrinsecæ qualitatis, quæ Deum moveat ad justificandum. Intuitu Renovationis & bonorum operum fides se habet per modum causæ efficientis, hinc νίκη. 1 *Joh.* 5, 4. *Gal.* 5, 6. Incongrue ergo fides definitur ab Arminianis & Socinianis per obedientiam præceptorum Dei. Fides naturalis nulla est, α) ad veram enim & justificantem fidem explicita Christi servatoris notitia requiritur & adsensus & fiducia: sed nihil horum in illa. β) Fides est donum Dei per auditum verbi & sacramentorum usum producenda. *Rom.* 10, 17.

Pontificii perperam distinguunt inter fidem informem & formatam: Caritatemque formam & animam fidei statuunt. Caritas enim fidem jam supponit, ejusque effectus est; forma fidei esse nequit, licet veram & vivam fidem esse demonstret, ut a se invicem separari nequeant. *Gal.* 5, 6. *Jac.* 2.

Effectus fidei remissio peccatorum.

Effectus fidei immediatus est peccatorum remissio, *Act.* 10, 43. Justificatio, *Rom.* 4, 5. Adoptio, *Joh.* 1, 12.

12. Pax spiritualis, *Rom.* 5, 1. mediatus: Renovatio, *Rom.* 5, 3. & bona opera quævis, 2 *Petr.* 1, 5. seqq.

Amitti iterum fides potest. Id quod probatur 1) ex indole & natura fidei, prout intellectus & voluntatis actus est. 2) Ex ejus causis. Media gratiæ non obstant, quo minus fides amitti iterum possit, cum eorum efficacia ab hominum ipsorum pendeat usu. 3) Exemplis Davidis, Petri &c. cum peccata adprobarunt, simul non potuere velle eorum remotionem & remissionem, ergo nec fiduciam tum habuere in Christum. 4) Quia dantur πρόσκαιροι, qui veram fidem habent.

Fides mortua, quæ adsensu divino & vera fiducia destituitur, uti omnis fides tantum historica; id cum maxime ex defectu fructuum fidei colligatur, fides operibus destituta etiam mortua dicitur, *Jac.* 2, 17. καθ' ἑαυτὴν principio vitali destituitur.

§. 27.

Regeneratio stricte dicta quid sit?

Th. II. Regeneratio vel sumitur pro renascentia ad vitam gloriosam, *Marc.* 10, 30. *Luc.* 18, 30. vel pro regeneratione ad vitam gratiæ, *Joh.* 3, 3. *Tit.* 3, 5. uti hoc loco. Non sumitur heic late, quatenus ipsam quoque justificationem & renovationem comple-

ctitur: sed stricte, prout dicit gratiosam Dei operationem, qua mediante verbo & sacramentis homini in peccatis mortuo vitam fidei spiritualem confert, hinc & vivificatio dicitur. *Eph.* 2, 5. *Col.* 2, 13. 2 *Cor.* 5, 17. *Gal.* 6, 15. *Jac.* 1, 18.

Regenerationis differentia a conversione.

Regeneratio & Conversio differunt non quidem ratione formæ, utraque enim consistit in translatione hominis e statu iræ in statum gratiæ, & e statu mortis in statum vitæ novæ & spiritualis: sed ratione Subjectorum & Mediorum.

ejus differentia a renovatione.

Regeneratio & Renovatio etsi tempore conveniant, quoad primum regenerationis initium, & indivulso nexu cohæreant, *Tit.* 3, 5. differunt tamen α) subjectis. Subjectum enim regenerandum est homo in peccatis mortuus; renovandum vero spiritualiter vivus & renatus ex Deo. β) Principiis: Regeneratio est actus solius Dei, in qua homo se mere passive habet; ad renovationem vero homo concurrit viribus in regeneratione acceptis. γ) Ordine: regeneratio est prior ordine, facitque Dei filios divinæ naturæ participes; renovatio autem posterior, & tales esse declarat.

Tri-

Tribuitur Spiritui S. œconomice, appropriative & terminative, *Joh.* 3, 5. ubi tamen nomen Spiritus magis essentialiter sumi posse, monet B. OSIANDER. *1 Cor.* 6, 11. ubi per Spiritum sine dubio tertia Deitatis personâ denotatur. Pater tamen & filius etiam secundum humanam naturam, cui virtus vivificandi communicata est *Joh.* 6, 57. minime excluduntur, cum hæc sit actio ad extra, toti S. S. Trinitati communis. Unde fideles γεγεννήμενοι simpliciter dicuntur ἐκ τοῦ θεοῦ, *Joh.* 1, 13. Distincte vero hæc regeneratio tribuitur Patri, *1 Petr.* 1, 3. Filio, *1 Cor.* 4, 15. Regeneratio tribuitur terminative Spiritui S.

§. 28.

Causa movens interna est pura Dei misericordia, *Eph.* 2, 4. 7. Externa est meritum Christi, eique innixa intercessio, quippe quæ omnis gratiæ fons est, *2 Tim.* 1, 9. Medium seu organon respectu infantum est baptismus, *Joh.* 3, 3. *Tit.* 3, 5. respectu adultorum, evangelium, *1 Petr.* 1, 23. verbum prophoricum, *1 Petr.* 1, 25. *1 Cor.* 4, 15. *Jac.* 1, 18. Regeneratio nis causa impulsiva, medium, forma, finis, affectiones.

Baptismum Christus non solum instituit ad significandam sed ad conferendam potius gratiam & regenerationem, quæ proinde a baptismo pendet, tanquam effectus a causa, & quidem

instrumentali designata per particulam διὰ, seu ut alii loqui malunt, tanquam beneficium a medio gratiæ ordinario.

Causa ministerialis sunt ministri ecclesiæ, *1 Cor.* 4, 15. ubi patri generanti, *Gal.* 4, 19. ubi matri parturienti se comparat Paulus. Influunt vere & proprie, licet ministerialiter & διακονικῶς. Idem enim effectus a caussa principali & ministeriali dependens iis tribuitur. Unde & dicuntur Patres spirituales, *1 Cor.* 4, 15.

Forma regenerationis consistit non quidem in substantiali hominis qua corpus vel animam mutatione, sed est mutatio tantum accidentalis ex parte intellectus, voluntatis & adpetitus sensitivi. Regeneratio consistit in donatione fidei, quatenus Christum cum suo merito recipit, in quo vita nostra spiritualis consistit, *Gal.* 2, 20. Hanc vero habere simul ἐνέργειαν pietatis, hancque exserere in quotidiana renovatione & regeneratione, & utramque simul fieri tempore, ita tamen, ut regeneratio ordine naturæ præcedat renovationem, ex eo clarum est, quia Paulus eundem baptismum lavacrum vocat tum regenerationis, quatenus ibi renascimur per fidem filii Dei, *Joh.* 3, 5. *coll. cap.* 1, 12. tum renovationis,

tionis, quatenus per eundem non vires solum credendi, sed & pie sancteque vivendi, nobis conferuntur, eoque ipso justitia & sanctitas per lapsum amissa in nobis instaurari incipit, per omnem dein vitam magis magisque continuanda, *Tit.* 3, 5. *2 Cor.* 7, 1.

Finis est Adoptio, *Joh.* 1, 12. *Gal.* 3, 26. æterna salus, *1 Petr.* 1, 3. 4.

Affectiones: 1) necessitas, *Joh.* 3, 5. 2) Adauctio & incrementum, continuatio. Sed sic late sumitur regeneratio, uti complectitur renovationem, *2 Cor.* 7, 16. 3) Amissibilitas & reiterabilitas, *Gal.* 4, 19. *Ebr.* 3, 14. *Rom.* 11, 20. 4) Imperfectio, cum in vita tantum primitias spiritus acceperimus; & perpetua quædam maneat lucta inter carnem & spiritum, etiam in electis & vere renatis hominibus, *Rom.* 8, 23. *Gal.* 5, 17.

§. 29.

Th. III. Conversio ratione formæ quidem cum regeneratione coincidit; utraque enim novæ ac spiritualis vitæ seu fidei collationem dicit: Differunt autem ratione Subjecti & Mediorum. Regeneratio enim dicitur non de solis adultis, quemadmodum conversio, sed & de infantibus, qui per baptismum re-

Conversio qui differat a regeneratione.

nascuntur; Conversio autem nonnisi per verbum fit.

Causa Efficiens principalis est œconomice Spiritus S. Causa instrúmentalis est verbum Dei.

Gradus conversionis pro gratia præveniente, præparante, operante.

Tres sunt gradus gratiæ convertentis, quæ in oppositione ad inhabitantem assistens dicitur, *Apoc.* 3, 20. Est gratia præveniens, præparans & operans. Prævenient iterum dispescitur a KOENIGIO in incipientem & præparantem: Operans in operantem specialiter sic dictam, & excitantem. Duo hi gradus sunt præparatorii, & ipsam conversionem actualem antecedunt.

Effectus prævenientis & præparantis.

Effectus gratiæ prævenientis est compunctio cordis, *Act.* 2, 37. 24, 25. 26, 28. Effectus gratiæ præparantis est informatio seu illuminatio, *Act.* 2, 38. Gratia autem perficiens ipsam conversionem operatur & perficit; ipsam fidem, qua homo spiritualiter vivere incipit, operatur. *Eph.* 1, 19.

§. 30.

Passivitas in conversione.

Homo in conversionis initio & progressu & fine s. complemento se habet mere passive, *Phil.* 2, 13. Terminatur conversio in vitæ spiritualis sive fidei excitatione seu infusione. Homo vero gratiæ convertenti nil quidquam coopera-

operatur, neque per vires naturales a gratia præveniente excitatas, neque per vires gratiæ prævenientis sibi collatas. Sub fieri conversionis homo præparatur ad vitam spiritualem: nondum tamen hanc habet, & consequenter omni vi vitali ad cooperandum destituitur.

Cooperatio non cadit in convertendum, sed tamen denominatio fit ab usu virium acceptarum.

Conversio sumitur aut transitive aut intransitive; si priori modo, utique & ratione virium & ratione ipsius actus ad solum Deum refertur: Est enim vivificatio opus solius Dei, qui propterea & fidem & pœnitentiam dare dicitur: posteriori autem modo recte dicitur de homine, quod pœnitentiam agat, & in Christum credat, sicque vires in conversione transitiva receptas ipso actu exserat, etiamsi & actus primus & secundus sit a Deo in conversione transitive accepta. Uti actus primus & secundus vitæ in resuscitato Lazaro fuit a solo Deo, & tamen non ipsum Deum, sed Lazarum viventem denominavit. Actiones enim immanentes, qualis est fides, non denominant principium operans, sed subjectum patiens, undecunque illud vires agendi habeat. Homo quidem se habet non causaliter, sed mere passive, & pœnitentia ac fides ei tribuuntur subje-

ctive, denominative, & ratione exercitii per vires dativas, non elicitive. Ne ipse quidem acceptas vires adplicare & determinare ad actus potest; & id negative potius intelligi debet, quod malitiose & morose non resistat, (quæ absentia repugnantiæ malitiosæ beneficium est gratiæ prævenientis,) quam de positiva quadam & activa comparatione. Homo enim nondum conversus, licet convertendus, & in via ad conversionem constitutus, spiritualiter nondum vivit, adeoque principio omni vitali quidquam boni spiritualis agendi aut operandi caret. Interim dictum salvatoris, habenti dabitur, bene hic considerandum est, & legendus HÜLSEMANNUS tum in SCHERZERUM, tum de auxiliis gratiæ. Deinde etiam expendenda ad hunc locum, quæ supra loco de homine & de libertate dicta sunt.

Resistere potest convertendus.

Gratia conversionis secundum omnes gradus, positis omnibus a parte Dei requisitis, non est irresistibilis. Etsi enim per gratiam prævenientem necessitas resistendi naturalis tollatur, & potentia non-resistendi conferatur, eidem tamen etiam libertas & potentia resistendi, quam ex natura corrupta habet, relinquitur, *Matth.* 23, 37. *Act.* 7, 51.

7,51. 13,46. Etsi motus primi a gratia præveniente excitati inevitabiles sint, quia impediri non possunt, quo minus oriantur. Ne gratia quidem extraordinaria est irresistibilis, ut in Paulo cernitur, *Gal.* 1,16. quod contra Calvinianos observandum, qui simile de morte naturali ultra tertium comparationis extendentes, (id enim in defectu virium spiritualium vitalium consistit,) quasi homo, dicunt, gratiæ vivificanti non magis resistere possit, quam naturaliter mortuus, voci resuscitantis. Quod dogma hominem vel securum vel desperabundum facere judicat B. OSIANDER. Quamvis autem libertatem homini tribuamus ad converti & non converti, diversa tamen utriusque agnoscimus principia. Libere quidem aliquo modo convertitur volens, non tamen positive, sed privative, quatenus cum per naturam possit contumaciter repugnare, per gratiam autem prævenientem morose non repugnat. Illa autem non-resistentia non est actus voluntatis humanæ a se ipsa potestate naturali imperatus, sed est mora quædam sive spatium non-resistendi contumaciter, a Spiritu S. in hominis voluntatem introductum; Et sicuti infusio & determina-

tio ad vitam a solo Deo dependet: ita quoque determinatio voluntatis spiritualiter mortuæ ad vitam fidei a solo Deo dependet, non ex ipsa mortua voluntate, & quidem active.

§. 31.

Errores in hoc articulo recensentur Pelagianorum, Semipelagianorum, Scholasticorum, Synergistarum.

Errores: I. Pelagianismus, juxta quem conversio hominis in totum viribus naturalibus tribuitur. II. Semipelagianismus, ex nobis esse fidei initium statuit, ita ut non opus sit gratia præveniente & præparante, ex Deo autem ejus supplementum. III. Scholasticorum, qui liberum arbitrium a gratia præveniente motum & excitatum Deo cooperari ad sui conversionem statuerunt. Et quamvis BELLARMINUS videatur nihil plane tribuere viribus naturalibus liberi arbitrii, & CHEMNITIUM injuriam catholicis facere queratur, hanc iis sententiam tribuendo, quod liberum arbitrium per gratiam excitatum exserat vires, quas habebat etiam, antequam excitaretur, ita ut gratia præveniens non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet; quam sententiam dicit l. c. non esse catholicorum, quippe agnoscentium, quod liberum arbitrium tanquam res naturalis per peccatum non amissa non habeat ex se potentiam ullam, saltem

tem proximam, qua se convertat ad Deum, sed eam demum accipiat a Deo per gratiam prævenientem: ita ut per hanc excitatum & præparatum per vires, quas a Deo recipit, (non quas ex se ante habet,) cooperari possit ad suam ipsius conversionem. Hoc tamen non obstante manifestum est, BELLARMINUM & alios aliquas saltem vires naturales libero arbitrio tribuere, quibus gratiæ divinæ prævenienti, excitanti ac præparanti, ad sui conversionem cooperari possit; dum pag. 910. Verba Concilii Arausicani eo interpretatur: quod liberum arbitrium in actione credendi & diligendi attenuatum quidem sit, per lapsum primi hominis, non tamen plane exstinctum; ac per hoc operari possit opera pietatis, si modo adjuvetur a gratia. Quod si autem liberum arbitrium in spiritualibus, de quibus sermo est, non sit exstinctum plane, sed tantum attenuatum, sine dubio quasdam adhuc etsi languidas & tenues vires habet ex se antecedenter ad omnem gratiam, quas auxilio gratiæ divinæ jungere, eique cooperari potest ad complementum conversionis, si non ad initium, qui ipsissimus semipelagianorum error fuit, quem tegere sic vult BELLARMINUS. IV. Synergistarum. Qui ho-

hominem in rebus ſpiritualibus non prorſus emortuum, ſed ſaltem graviter vulneratum & ſemimorruum eſſe finxerunt. Ita quamvis liberum arbitrium infirmius ſit, quam ut initium facere, & ſe ipſum propriis viribus ad Deum convertere poſſit: tamen ſi Spiritus S. initium fecerit, & nos per eccleſiam vocet, ſuamque gratiam adferat, propriis ſuis naturalibus viribus Deo occurrere aliquo modo, aliquid ſaltem etſi parum & languide ad converſionem ſuam conferre, ſe ad gratiam adplicare, ſicque una cum Spiritu S. cooperari poſſit. Unde modus ille loquendi de tribus cauſis efficientibus concurrentibus in converſione hominis nondum renati exortus eſt, quaſi Verbum, Spiritus S. & voluntas hominis eſſent cauſæ ſociæ converſionem efficientes, & conſequenter converſio ex parte Spiritus S. & ex parte etiam hominis opus recte dici poſſit. V. Calixtinorum. Qui hominem a gratia præveniente excitatum; etſi nondum converſum, per vires tamen a gratia præveniente ſibi collatas tanquam primam vitæ ſiuæ ſpiritualis ſcintillulam ad ſui converſionem hujusque complementum cooperari volunt: & propterea diſtinguunt inter vires per gratiam præ-

prævenientem collatas, & harum exercitium, usum & adplicationem; & quoad illas quidem, in receptione virium hominem se passive habere, in exercitio autem ἐνεργητικῶς & active ad sui conversionem concurrere contendunt. Quo ipso conversionem transitivum cum intransitiva, passivam cum activa confundunt. Postquam enim homo passive a Spiritu S. conversus est, se ipsum quoque active per pœnitentiam & fidem ad Deum convertit Omnia illa dicta, quæ testantur, quod Deus hominem convertat, de conversione passiva; quæ vero dicunt, hominem se ipsum convertere, de activa, quæ fluit ex passiva, intelliguntur.

§. 32.

Pœnitentia est effectus conversionis passivæ.

Th. IV. Pœnitentia est effectus immediatus conversionis transitivæ & passivæ. Constat contritione & fide; Prior pars salutaris non est, priusquam accedat posterior; Quando enim contritio est sine fide, dolor mundi dicitur, qui mortem operatur; fidei autem juncta, dolor dicitur secundum Deum, 2 *Cor.* 7, 10. Has duas partes essentiales pœnitentiæ esse patet ex ipsa causa instrumentali, per quam Deus pœnitentiam in nobis operatur, quæ est verbum partim legis, ex quo contritio

tritio & dolor de peccatis commissis, partim evangelii, ex quo fides seu confidentia nascitur.

Quando pœnitentia partialiter accipitur, pro sola contritione, fidei contradistincta, non Evangelium, sed lex, concio pœnitentiæ dicitur. Spiritus sancti officium est, non solum consolari per Evangelium, sed & ministerio legis arguere mundum de peccato, *Joh.* 16, 18. Hinc errant Antinomi, prædicationem legis explodentes, & ex solo Evangelio peccata arguenda, & contritionem docendam esse statuentes. Nam legis doctrina per Evangelium est illustranda, ut est doctrina N. T. tota, & acuenda, ut detestationem peccati arguit Judicii divini mentio, *Act* 17, 30. 31. Passionis dominicæ usus legalis, *Ps.* 49, 9. *Rom.* 3, 23-25. Usus legalis beneficiorum Dei, *Rom.* 2, 4. 5. Sic contritio passiva completur per fidem, ut fiat activa abnegatio. Ex quo utique etiam clarum est, plene effici pœnitentiam non, nisi ab Evangelio. Nam vera pœnitentia intrinsece includit odium & detestationem peccati & amorem justitiæ; non potest vere odisse peccatum, nisi qui ei oppositam justitiam sincero amore complectitur: non potest autem justitiam amare, nisi

in

in cujus corde diffusa est charitas Dei, *Rom.* 5, 5. non autem datur Spiritus, nisi per Evangelium, *Gal.* 3, 2.

Involvitur contritioni odium & detestatio peccati, per quam abjicitur propositum perseverandi in sceleribus: hoc tamen bonum propositum, quando nondum accessit fides, non est spiritualiter & ex omni parte ita bonum, perinde ut ipsa contritio, ut Deum homini conciliet, & amicum reddat, *Rom.* 14, 23. Bona tamen & contritio est & bonum istud propositum, in quantum est legi conforme, & qua ex Dei intentione via est ad verum bonum, prout Theologi non verentur pœnitentiam μερικῶς acceptam sano sensu vocare dispositionem, præparationem, medium perveniendi ad fidem, *Matth.* 3, 3.

§. 33.

Pontificii perperam tres partes constituunt, nostrisque rejectis substituunt, contritionem, confessionem & satisfactionem. Animam pœnitentiæ fidem excludunt, ut quam pœnitentiæ priorem esse volunt, quod de fide quidem historica admittimus, de salvifica negamus. Contritionem e liberi arbitrii viribus natam intelligunt; perfectam statuunt, ut ortam ex charitate Dei, attritionique seu contritioni imperfectæ, quæ

Pontificiorum tres partes pœnitentiæ.

quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex pœnarum infernalium metu concipiatur, opponunt, & meritoriam esse adserunt. In confessione auriculari sacerdotem tanquam judicem considerant; ex quo horribilis fit conscientiarum carnificina, dum teneræ conscientiæ semper coguntur dubitare, num & satis dignam & debitam diligentiam adhibuerint in sui exploratione, annon circumstantias quasdam, peccati speciem mutantes, & atrocitatem gravantes, omiserint. Sed absolventes non sunt judices, sed ministri judicis; Hic αὐτοκρατορικῶς, illi ministerialiter absolvunt; & potestas a Christo Apostolis data debet esset determinata. Si enim indeterminata esset, ex remissione & retentione hominis penderet remissio & retentio Dei, & ratum esset Deo, quidquid quocunque adfectu raptus homo decreverit, quod absurdum. Si vero determinata est hæc potestas, unde determinationem accepit, nisi ex instructione vocationis, qua mandatum acceperunt Apostoli, ut annunciarent remissionem pœnitentibus, retentionem autem impœnitentibus; tum ergo remittuntur & retinentur peccata, quando evangelium prædicatur, neque opus est, noviſſe mini-

miniſtrum, quæ & quanta commiſſa ſint peccata, cum omnia omnibus remittantur pœnitentibus, omnia omnibus retineantur impœnitentibus. Ad ſatisfactionem annotandum, quod NICOLAI ſcribit: Nos non negamus quidem, flagella divinæ correptionis, remiſſo peccato, ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, non raro expedire, & pœnam medicinalem eſſe, adeoque pœnam late & improprie ſic dictam: Eſſe vero præteritorum peccatorum vindictas, & vel in hoc ſeculo vel in purgatorio luendas, humana auctoritate tolli poſſe, negamus; Chriſtus enim pro nobis maledictio factus *Gal.* 3, 13. omne genus maledictionis abſtulit, (excipe paternam caſtigationem, quæ & ipſa tamen benedictionis loco habenda eſt,) & omne genus benedictionis reduxit. Omnis pœna eſt propter culpam, hac ergo ablata, illa quoque tollitur. Si auctoritate Papæ adplicata merita Chriſti efficiunt abſolutionem primariam a culpa & pœna; cur non eadem operatione Spiritus ſancti adplicata idem operentur? Mulcta illa eccleſiaſtica pœnitentibus olim impoſita non erat de eſſentia pœnitentiæ, ſed ejus conſequens, vel pars potius diſciplinæ ec-

cleſiaſticæ ab arbitrio & conſtitutione eccleſiæ pendens.

Conditiones vero illæ, e. g. Reconciliatio, *Matth.* 5, 23. Reſtitutio, *Ezech.* 33, 15. etſi neceſſariæ, tamen non ſunt meritoriæ, ſed ſpectantur, ut tales, quia neceſſario fluunt ex ordine & indole pœnitentiæ.

Nova obedientia non tam pars pœnitentiæ, quam ejus fructus eſt, qui arborem bonam eſſe declarat, *Matth.* 3, 8. Ita tamen, ſi obſequium ſpectes internum, neceſſaria eſt, ut ne in agonizantibus quidem ſeparari a fide poſſit. Fides, cum ſit vita nova, neceſſario parit fructus novos.

§. 34.

Juſtificatio eſt effectus pœnitentiæ immediatus; ſanctificatio mediatus.

Effectus pœnitentiæ immediatus eſt Juſtificatio coram Deo; mediatus ſanctificatio, nova obedientia, adoptio, unio myſtica. Contritioni autem, licet dicatur pars eſſentialis pœnitentiæ, non competit per ſe activitas vel influxus in juſtificationem, ſed habet ſe ſolum ut pars ordinis & medium privativum non poſitivum, removens incapacitatem & obſtacula, propter quæ homo peccator alias remiſſionem peccatorum conſequi non poſſet.

Pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula dici poteſt, non poſt naufragium

gium fœderis baptismalis ex parte Dei, quippe quod æternum est, sed post naufragium fidei & bonæ conscientiæ, *1 Tim.* 1, 19. Pœnitentia est vel stantium, *Rom.* 12, 2. vel lapsorum, *Eph.* 5, 14. In hac transitus a morte spirituali ad statum vitæ spiritualis fit; in illa a statu vitæ spiritualis imperfectiore ad perfectiorem.

§. 35.

Th. V. Vox justificare habet significatum judicialem, quia justificatio opponitur condemnationi, *Rom.* 8, 33. 34.

Justificatio sumitur sensu forensi in oppositione ad Pontificios.

Res nobis est cum Pontificiis, qui docent, id, cujus intuitu homo justificatur, esse infusum justitiæ & charitatis habitum, justitiam nobis inhærentem, quam & ipsa fides, prout est virtus in nobis hærens, ingrediatur. Bellarm. de Justif. L. IV. Cap. 18. Fidem justificare disponendo ad justitiam & inchoando formalem justitiam; non autem apprehendendo justitiam Christi. Scilicet distinguunt Pontificii inter justificationem primam & secundam, & illam quidem dicunt, qua homo ex impio fit justus: hanc vero, qua justus fit justior per incrementum justitiæ. Ad illam requirunt 7. dispositiones, 1. Fidem, 2. timorem, 3. spem,

4. dilectionem, 5. pœnitentiam, 6. propositum suscipiendi sacramenta, 7. propositum novæ vitæ. Ad secundam requirunt bona opera, quibus hominem meritorie justiorem ex justo fieri dicunt. Id quod ita explicat BELLARMINUS: Uti nemo potest opere suo se ipse procreare, aut a morte revocare; procreatus autem vel a morte revocatus ipse se edendo nutrit & auget: Sic etiam homo per peccatum mortuus non potest merito suorum operum se justificare; sed posteaquam a Deo justus factus est, scilicet per habitum justitiæ infusum, potest recte vivendo justitiam in se alere & augere, atque ita operibus justificari, (justificatione sc. secunda,) & quando nostri ex *Rom.* 4, 3-5. ita concludunt: si justificatio non est operantis, sed credentis; si est impii; si est remissio peccatorum & iniquitatum; obtectio vel non imputatio peccatorum; qua quæso veri specie forma justificationis nostræ dici potest in justitia nobis inhærente consistere? respondent Pontificii, Paulum de justificatione prima agere, quæ sit impii, a qua opera excludantur. Sed S. scriptura tantum de una justificatione, quæ fit per fidem in meritum Christi, exclusis omnibus omnino operibus,

ribus, loquitur. Cum vero ne ipsi quidem Pontificii negare queant, bona opera in negotio justificationis in epist. ad Rom. & Galat. excludi; distinguunt veteres quidem inter opera Legis ceremonialis & moralis, id quod ipse BELLARMINUS rejicit Libr. de Justificatione p. 1003. quia Apostolus simpliciter excludat opera, nulla facta mentione legis Mosaicæ. Ideo ipse & recentiores opera quidem legis moralis excludi admittunt, verum non omnia absolute, sed ea solum, quæ homines faciunt sine gratia fidei, sola cognitione legis adjuti; ea vero, quæ ex gratia fiant & post fidem, ab Apostolo excludi negant. Sed & opera regenitorum, quæ ex gratia fiunt & fidem consequuntur, excluduntur; cum Abrahæ opera sine dubio profecta sint ex gratia & fide, præsertim consilium illud de mactando filio. Neque ipse BELLARMINUS Lib. IV. Cap. 18. de Justif. negare potest, Abrahamum jam diu ante justificatum fuisse, sed argumentum Apostoli ita torquet: Paulum usum esse exemplo Abrahæ, non ut significaret, illum tum primum justificatum esse a peccato, sed ut ostenderet, impium non justificari ex operibus, sine fide & gratia Dei factis, sed

ex fide & gratia Dei. Nam si Abraham justus justior factus est non ex operibus sine fide, multo minus impius poterit fieri justus ex operibus sine fide. Loquitur ergo apostolus *Rom.* 4. de prima justificatione, tametsi ad probandum, eam non fieri ex operibus sed ex fide, exemplum petat a justificatione secunda. Qua vero ratione, stante hac interpretatione argumentum Pauli posset concludere: Justificationem nostram fieri ex fide sine operibus; quia Abrahamus quidem justificatus ex operibus est, sed non sine fide? alibi respondet CHEMNITIO ita: Renatum quidem tum fuisse Abrahamum & ex fide multa bona opera feciſſe: sed tamen Apostolum, cum dicat, eum justificatum esse ex fide, non ex operibus, non respicere opera facta ex fide, sed illa solum, quæ Abraham facere potuisset non ex fide; nam etiam addit ibi: qui fidem habent, aliquando operantur non ex fide, ut cum peccant, cum faciunt opera pure moralia sine respectu ad Deum. Quasi vero quæstio moveri potuisset, de operibus peccaminosis, quæ fiunt non ex fide. Evidentissimum est, Paulum loqui de Abrahamo, qualis pro eo tempore erat, de operibus ejus

ex

ex fide & gratia profectis, & simpliciter negat, quod per ista coram Deo fuerit justificatus.

§. 36.

Qui vero Jacobus, *Jac.* 2. Abrahamum non ex sola fide, sed ex operibus justificatum fuisse, adserens, Paulo conciliandus sit, quæritur? Respondent Theologi, D. Paulum agere de fide vera & viva, quæ nunquam est sola, etsi sola justificat, Jacobum autem de fide mortua & operibus destituta, quæ utique justificare nequit. Jacobo justificari est declarari justum vel a Deo, ratione judicii non rigorosi, sed paterni, vel coram hominibus, ex signis & effectibus; Paulus autem docet, ex qua causa homo coram Deo justus reputetur. Et quando fidem operibus cooperatam fuisse dicit v. 22. Jacobus, id non intelligi debet de cooperatione ad effectum justificationis, sed de efficacia fidei per opera se exserentis & quoad effectum declarationis justitiæ, qua coram Deo minimum XXX. annis ante immolationem Isaaci fuerit justificatus. Denique fides Abrahami consummata dicitur, rursus non essentialiter, sed declarative, uti 2 *Cor.* 12, 9. τελειῶται, i. e. perfecte

Conciliatio Jacobi & Pauli.

cognoscitur & declaratur. Clara sunt testimonia, *Tit.* 3, 5. *Eph.* 2, 9. 10.

Idem docet scopus Apostoli Pauli, qui contra Judæos & Pseudapostolos agit. Jam vero Judæi ne somniarunt quidem, opera absque Dei gratia facta salvare; nisi igitur ineptæ confutationis reus agi debeat Apostolus, opera quoque ex gratia facta excluisse dicendus est. Pariter Pseudapostoli fide & operibus simul hominem justificari voluerunt, at vero opera, quæ fidei conjunguntur, sine dubio ex gratia proficiscuntur; consequenter hæc in justificatione excluduntur, fideique & gratiæ directe opponuntur. *Rom.* 3. Fundamentum Apostoli hoc est: Quicunque est peccator, ille non justificatur ex operibus, (qui enim ex lege justificabitur, quem lex accusat & damnat,) omnes vero homines & regeniti & irregeniti transgressores legis & peccatores sunt, cum nemo legi ex omni parte satisfacere possit: Ergo nemo ex operibus, iis quoque, quæ ex gratia & fide proficiscuntur, cum & hæc imperfecta sint & immunda, *Jes.* 64, 6. justificatur. Denique scopus est Apostoli, excludere omnem gloriationem; stante vero sententia Pontificia, quædam tantum gloriatio erit exclusa,

in

in primis si attendatur, quod Pontificii statuant, talia opera non procedere saltem a gratia, sed & viribus liberi arbitrii, & esse meritoria justificationis secundæ & ipsius vitæ æternæ, & quidem de condigno.

§. 37.

Causa formalis justificationis.

Causa vero formalis nostræ justificationis coram Deo consistit in imputatione justitiæ Christi per fidem & remissione peccatorum. Licet unus sit imputationis actus, modus tamen ejus geminus est, partim privativus, partim positivus. Peccata enim, quæ in nobis sunt, in justificatione remittuntur, sive non imputantur, *Ps.* 32, 2. *Rom.* 4, 8. *Ezech.* 32, 16. & justitia Christi viciſſim pro nobis præstita nobis per fidem imputatur, ita ut fiat justitia nostra, *Jerem.* 23, 6. *Rom.* 5, 19. Justitia vero hæc vera est, eaque sola nos coram Deo justificari debemus, id quod patet ex sequentibus: 1) Nonnisi justitia perfectissima coram Deo justificari debemus: qualis inhærens non est, *Jac.* 2, 10. Placet quidem Deo inchoata legis impletio nostra, quia meritum Christi nævos justitiæ inhærentis nostræ tegit. 2) Post commissum semel peccatum justitia etiam perfectissima hominem justificare nequit, *Ezech.* 33,

14-19. 3) Quia scriptura nostram justificationem ubique declarat esse gratuitam. *Rom.* 3, 24. 11, 6. *Eph.* 2, 8. 4) Quia justificatio nostra diserte fieri dicitur sine operibus legis, *Rom.* 3, 28. 4, 6. Inhærens vero justitia consistit in habitu, ex quo fluunt opera legis. 5) Quia scriptura justificationem definit per non-imputationem seu remissionem peccatorum & imputationem justitiæ Christi, *Rom.* 4, 5. 5, 19. *2Cor.* 5, 21. Unde regula Theologorum: Quo pacto nostrum peccatum factum est peccatum Christi, eodem & justitia Christi fit nostra justitia, adeoque non inhæsive, sed imputative. Ipse BELLARMINUS sui oblitus, orthodoxe: si solum vellent Protestantes, nobis imputari Christi meritum, quia nobis donatum est, & nos id possumus offerre Patri pro peccatis nostris, quia Christus suscepit in se onus satisfaciendi pro nobis, nosque Deo reconciliandi, recte se haberet eorum sententia. Jam vero id ipsum ita volumus. Unde & Paulus: *Phil.* 3, 9. ut ne habeam meam justitiam, illam ex lege &c. Ceterum imputatio justitiæ Christi & non-imputatio peccatorum permutantur quidem inter se, *Rom.* 4, 5. 8. ilia tamen ordine naturæ huic præponenda

da est; quia oportet præcedere imputationem seu adplicationem alicujus causæ meritoriæ, antequam peccatum possit remitti. Nisi velimus dicere, remissionem fieri ex plenitudine potestatis, sine interventu alicujus satisfactionis, aut meriti alieni, cum Socinianis.

Sola ergo fide, quæ medium, instrumentum, organon est, justificamur; quæ nunquam tamen sola est. Hinc fides *Rom.* 4, 5. diserte nobis imputari dicitur ad justitiam; scilicet fides, non qua credit, sive spectata prout est opus nostrum, sed quæ credit, sive ratione sui correlati & objecti, quod adprehendit. Justificat, non tanquam dispositio animæ prævia ad introductionem justitiæ inhærentis, ut volunt Pontificii; neque ut obedientia mandatorum Dei, quæ Socinianorum & Arminianorum mens est.

§. 38.

Quomodo fides justifica se habeat ad renovationem & sanctificationem.

Th. VI. Fides justifica habet se ad Renovationem, ut causa proxima ad suum effectum; nec separabilis est vera fides a sanctificatione, & bonorum operum non præsentia, sed efficientia & influxus causalis in opus justificationis negatur. Fides dicitur purificare corda, *Act.* 15, 9. Quæstio erat, an con-

converſi ex gentiliſmo habendi ſint pro magis impuris, quam qui ex Judæis; & negatur eſſe diſcrimen, impuritatem enim tum intellectus, tum voluntatis, tum Leviticam, tum habitualem remotam eſſe per fidem.

Ad primum actum ſanctificationis homo ſe habet ſolum ſubjective, paſſive & terminative: ad ſecundum active, ut renatus. *Joh.* 1, 13.

Toto igitur cœlo aberrant, qui exiſtimant, quod voluntas hominis renovata determinet concomitantem Dei gratiam ad ſpecificationem & exercitium cujuscunque boni operis: cum gratia potius divina voluntatem determinet hominis ad utrumque, non vice verſa, neque æque facile ſit homini, poſſe abuti divina gratia, & eadem uti. Abutendi enim facultas ſeu imbecillitas potius naturalis eſt; utendi autem determinatur ab ipſa gratia, ſine qua, uti nihil facere, ita nihil determinare poſſumus. Interim hæc determinatio non eſt irreſiſtibilis, ſed facultatem homini & potentiam reſiſtendi relinquit. Verbum Dei in ea non tantum vim directivam habet, *Matth.* 15, 9. 13. *Col.* 2, 16. ſed & effectivam. *Joh.* 15, 17.

§. 39.

§. 39.

Forma sanctificationis, prout sumitur pro simultanea hominis & Dei actione, est perfecta conformatio intellectus, voluntatis, adpetituum seu adfectuum ad legis æternæ normam, præscriptam in lege Mosis, quæ perfectio tamen in hac vita obtineri nequit, eo quod Deus absoluta sua potentia in perficienda hominis sanctificatione in hac vita uti non decrevit, sed potius eam moderari secundum receptivitatem subjecti patientis pro statu viæ, ita ut defectus & causa imperfectionis ejus non sit in causa principali, sed proxima & subalterna. Hæc imperfectio probatur: α) quia lex per carnem infirmata neminem justificare potest; at si perfecte adimpleri posset, utique justificaret, *Rom.* 8, 3. *Gal.* 3, 2. β) Quia lex spiritualis est, nos autem etiam renati ex parte carnales sumus, *Rom.* 7, 14. ubi Paulus loquitur de se ipso, qualis erat in statu post regenerationem, quia ubique in præsenti loquitur; & tandem pro liberatione sua Deo gratias agit. Quod vero v. 14. 23. 25. se ipsum carnalem adpellat, & venundatum sub peccato, id est secundum quid, non absolute intelligendum, non de dominio carnis, sed de ejus saltem sensu.

Forma sanctificationis est conformatio facultatum hominis ad legem, sed illa perfecte non obtinetur.

sensu. γ) *Ps.* 32, 6. *Matth.* 6, 12. remissionem quotidie exorare opus habent renati. Nec perfectio partium, scil. mensurando secundum omnes partes præceptorum divinorum, inter quæ & illud, de non-concupiscendo, est, quod nemo servare potest; nec perfectio graduum competit renatis.

Effectus sanctificationis virtutes.

Effectus sanctificationis sive sumatur pro actu transeunte, sive pro habitu permanente, sunt ἀποτελέσματα virtutum internarum & externarum.

Dominium peccati tollitur: ipsum quoque peccatum originale in nobis habitans, quoad vires agendi & gradus, magis magisque minuitur.

Necessitas ejus est summa, *Ebr.* 12, 14. Non perinde est, si quæratur, an sanctificatio sit necessaria ad salutem, sive an bona opera sint necessaria? Quia vox sanctificationis est limitanda ad solam actionem & exercitium hominis, hoc sensu: An ad salutem necesse sit, ut homo renatus sanctificet se ipsum. Alias si vox sanctificationis sumitur transitive pro actione solius Dei sine concursu hominis, ut *Eph.* 5, 26. *1 Cor.* 6, 11. *Tit.* 3, 9, sine hac nemo salvatur, ejusque necessitas latius patet, quam bonorum operum. Si vero sumitur pro actione Deo & renatis communi, sive

sive de concursu renatorum ad suam sanctificationem, *1 Joh.* 3, 3. *2 Cor.* 7, 1. necessitatem præcepti admittimus, *1 Thess.* 4, 3. at necessitatem medii negamus.

§. 40.

Adoptionis fundamentum.

Th. VII. Adoptionis fundamentum est regeneratio ex parte hominis, ex parte Dei justificatio; Ipsa vero receptio in numerum filiorum Dei fit per adoptionem. De ea agitur *Joh.* 1, 12. *Rom.* 8, 17. *1 Joh.* 3, 1. 2. scilicet justificati per illam in familiam Dei transeunt, & jus accipiunt in bona adoptantis, sc. civitatis cœlestis, Deusque illis amorem paternum pollicetur.

Hæc adoptio differt ab ea, quæ fuit Adami in statu integro: Hæc enim fundamentum suum habuit in imagine Dei concreata, quæ primo homini naturalis erat: Nostra vero filiatio originem suam debet gratiæ, & fundatur in Christo, qui imago patris substantialis dicitur, *Col.* 1, 16.

In N. T. nobilior est, quam in V. T. non quoad rem, sed quoad usum & sensum, *Gal.* 4, 1. 2.

Quidam ad ipsam justificationis formam referunt adoptionem; sed adoptio justificationi illustrem adjicit dignitatis gradum.

§. 41.

§. 41.

Adoptionis Comes libertas.

Comes individuus adoptionis est libertas Christiana.

Primus ejus gradus juxta ordinem est libertas a reatu peccatorum & maledictione legis, *Rom.* 8, 1. 2. *coll. cap.* 6, 14. *Gal.* 3, 13. Secundus gradus est libertas a comminatione & coactione legis rigida, *1 Tim.* 1, 9. quanquam vetus Adam, qui adhuc pars est aliqua renatorum, quæ non promte agit, quod bonum est, etiam comminationibus quasi fuste & plagis sit coërcendus, inque officio retinendus. Tertius gradus est suo modo proprius fidelibus N. T. & opponitur Spiritui servitutis externæ, quæ in V. T. locum habuit ob severiorem legis prædicationem, non internæ, a qua fideles quoque V. T. liberi sunt. Hæc propterea speciali-ter libertas Christiana vocatur, scilicet a jugo legis cerimonialis & forensis, in quantum hæc Reipublicæ Judaicæ erat adcommodata. His adjungitur libertas a traditionibus humanis circa adiaphora. Indifferentia autem sunt, quæ a Deo vel expresse permissa, aut nusquam interdicta, aut interdictis nullo modo analoga. Quæ vero præter inutiles nugas & puerilia spectacula nihil habent, vera adiaphora non sunt.

Adia-

Adiaphora ipsa non habent rationem cultus per se, *Matth.* 15, 9. extra casum scandali negligi, omitti, mutari possunt. Libertas tamen ipsa non consistit in externo ejus usu, sed in animo de libertate sua plene persuaso, sive abstineat, sive faciat. Interim nec in adiaphoris cedendum tempore persecutionis, quod probatur α) exemplo Pauli, *Gal.* 2. β) quia in eo rerum statu non amplius agitur de adiaphoris externis, sed de ipsa veritate Evangelii, quæ obscuratur & labefactatur, cum adiaphora cum mandato & coactione conscientiis sub opinione cultus aut meriti tanquam ad salutem necessaria imponuntur. γ) quia in hoc negotio agitur de libertate Christiana, quam Spiritus S. quam diligentissime conservandam præcipit, *Gal.* 5, 1. δ) quia ejusmodi intempestiva cessione, ubi nondum de doctrina ipsa consensus est, idololatræ in sua idolomania confirmantur, contra pii offenduntur, contra præceptum *Matth.* 18, 6. 7.

Si ecclesiæ consensu, legitime, boni ordinis ergo præcipiuntur vel prohibentur, mediate obligant.

Fides docet, quid circa adiaphora liceat: Charitas, quid expediat: Ordinationes ecclesiasticæ, quid deceat.

1 Cor. 14, 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.

§. 42.

Th. VIII. Unionis mysticæ subjectum soli credentes sunt. Quanquam enim Deus omnibus adsit quoad præsentiam generalem, *Act.* 17, 28. non tamen phrasi scripturæ habitare dicitur, nisi in fidelibus; uti olim in tabernaculo & templo suo proprie habitare dicebatur.

Unio mystica consistit in præsentia Dei speciali in anima fidelium.

Consistit illa in propiori ipsius substantiæ divinæ adessentia, *Joh.* 14, 23. *2 Cor.* 6, 16. Præsentia generalis non est inhabitatio, & licet ea inferat adessentiam substantialem Dei, tamen ejus ratione Deus non dicitur habitare in fidelibus, oportet igitur hanc inhabitationem, præter illam communem præsentiam, inferre specialem quandam & propiorem essentiæ divinæ propinquitatem, non tantum donorum participationem; quod etiam ex aliis emphaticis scripturæ formulis clarum est, *2 Petr.* 1, 4. quod eos naturæ divinæ consortes faciat; *Joh.* 17, 21. fideles unum esse cum ipso; *1 Cor.* 6, 17. unum spiritum esse cum Domino. Nemo unionem personalem & sacramentalem per solam operationem describen-

bendam putabit; sane si nihilo propior substantia divina fidelibus est in regno gratiæ, nihilo etiam propior erit cœlitibus beatis in regno gloriæ, quos majestate & gloria sua replebit, quam damnatis in inferno; quod absurdum. Quod vero naturam Christi humanam concernit, supposita unione personali & communicatione idiomatum, non potest non totus Christus habitare in fidelibus, eosque omni sua plenitudine implere, idque etiam extra sacramentalem perceptionem mediante fide, *Eph.* 3, 17. quod contra Calixtinos notandum, juxta quos natura Christi humana fidelibus nulla ratione præsens est quoad substantiam, ut corda eorum inhabitet. Præsentiam enim generalem negant, carnem Christi omnipræsentem esse inficiati: Præsentia vero specialis secundum ipsos donorum est, non ipsius essentiæ.

§. 43.

Mystica vero illa & spiritualis, quam intima illa fidelium cum Deo conjunctio infert, περιχώρησις, maxime distincta est ab essentiali S. S. Trinitatis, *Joh.* 14, 10. 17, 21. 22. *1 Joh.* 5, 7. ut & a περιχωρήσει personali, quæ in Christo est. Scilicet Deus omni sua plenitudine corda fidelium penetrat spiritua-

Penetrationem perichoristicam infert, etsi distinctam a perichorisi personali Christi.

rituali & myſtico modo, ſed nobis imperceptibili; non vero σωματικῶς, quod de ſolo Chriſto dicitur, *Col.* 2, 9.

Fluit vero ex illa etiam communicatio idiomatum non hypoſtatica, ſed myſtica. Hinc MEISNERUS in Orat. Panegyr. hæc habet de Chriſtiano: Sicut divina & humana natura in Chriſto capite uniuntur perſonaliter; ita in chriſtianis tanquam membris ſpiritualiter: ut ibi adſumta caro conſiſtit ἐν λόγῳ per participationem ὑποςάσεως; ita heic noſtra ſubſiſtit in Chriſto per conſortium gratiæ & θείας φύσεως: ut ibi ex duabus naturis fit una perſona σύνθετος; ita hic ex iisdem fit unum compoſitum myſticum, *1 Cor.* 6, 17. *Eph.* 5, 30. una caro myſtice. Sicut ex unione perſonali fluit communio naturarum, ob quam divina particeps eſt humanæ & viciſſim: ita ex unione ſpirituali fluit aliqua noſtræ & divinæ naturæ; ſiquidem Chriſtus noſtram individuam naturam ſibi adglutinat, *1 Cor.* 6, 17. & viciſſim divinæ naturæ nos conſortes facit, *2 Petr.* 1, 4. ita ut finitum capax ſit infiniti, non per localem comprehenſionem, ſed per arctiſſimam conſociationem.

§. 44.

§. 44.

Unioni justificationem postponunt alii, & unionem ponunt in adprehensione meriti Christi; alii justificationem præponunt, qui scilicet unionem sensu physico magis, ut arctiorem cum Deo conjunctionem, accipiunt: Alii etiam sanctificationi postponunt eam, ut beneficium sublimius, quod in durationе seu consummatione sanctificationis consistat, ita ut subjectum uniendum sit jam sanctificatus, *Eph.* 5, 25.26.27. & actu diligens *Joh.* 14, 23. i. e. quod cooperetur Deo in actionibus gratiæ subsequentis seu cooperantis, ita ut causa unionis nostræ cum Deo principaliter quidem sit solus Deus, *Hos.* 2, 19.20. secundaria autem homo regenitus & renovatus, quo sensu non solum Christo tribuitur adhæsio activa ad sponsam, sed & homini fideli ad sponsum, *1 Cor.* 6, 16.17.

Non consentiunt Theologi, an unionem justificationi, an justificationem unioni præponere debeant.

§. 45.

Th. IX. Renatorum opera sunt vere bona, licet non perfecte bona. Evangelicam quidem perfectionem renatis concedimus, non propter plenum affectum, sed propter pium & sincerum affectum, & propter justitiam ex sincero corde profectam, licet non consummatam: Non vero legalem, bonis

Opera renatorum neque perfecta sunt neque meritoria.

renatorum operibusconcedimus, quod neque omnia legis præcepta obſervare, neque debito gradu & ſine labe præſtare poſſunt.

Hinc etiam opera renatorum meritoria gratiæ divinæ & vitæ æternæ non ſunt: α) nec ratione operis & dignitatis cujusdam intrinſecæ: β) nec ratione pacti & acceptationis divinæ: γ) nec ratione pacti & operis ſimul, quia in utroque articulo juſtificationis & ſalutis D. PAULUS opera ſimpliciter excludit. Inde fruſtranea etiam eſt Pontificiorum diſtinctio inter meritum congrui & condigni, quorum hoc operibus juſtificationem præcedentibus; illud operibus juſtificationem ſequentibus tribuunt. Quia in fœdere gratiæ nullum proprium meritum, nullus reſpectus ad opera, ulla ratione, locum habet, *Rom.* 4,4. 5. *cap.* 9,6. & præterea omnia meriti proprie ſic dicti requiſita operibus noſtris quibuscunque deſunt. Diſtinguunt quidem inter vitam æternam, ut eſt hæreditas, & prout eſt merces, ſtipendium, brabeum; & concedunt, non requiri bona opera ad vitam æternam conſequendam, ut hæreditatem, ſed ſolum ne filius excidat adoptione, & ne jure mereatur exhæredari, idque ex eo patere

tere ajunt, quia hæreditas ante omnia bona opera jure adoptionis illi debeatur, & quia infantes baptizati ex hac vita migrantes vitam æternam accipiant in hæreditatem, cum tamen nulla habeant operum merita. Interim tamen bona opera ad consequendam vitam æternam sub ratione mercedis necessaria esse contendit & meritoria. At jus adoptionis & meriti proprie sic dicti, hæreditas & merces stricte sic dicta simul stare nequeunt. Occurrunt quidem dicta, ubi Deus ipse merces piorum magna adpellatur, *Gen.* 17, 1. vita æterna, merces, ἀνταπόδοσις hæreditatis, *Col.* 3, 24. ubi fideles dicuntur metere, *Gal.* 6, 7. Deum redditurum cuivis secundum opera sua, *Rom.* 2, 6. & passim. Sed notandum: aliud esse, meritorium vitæ æternæ esse, aliud, meritorium præmiorum temporalium & spiritualium; aliud esse secundum κατὰ opera, aliud propter opera; non omnem mercedem dari ex merito, dari etiam mercedem gratuitam ex gratia non ob meritum operis, ad quod non sufficit qualiscunque respectus laboris ad præmium, sed requiritur exacta & adæquata proportio; metere in genere significare fructum laborum suorum percipere; Justitiam

in hoc negotio nos admittere veritatis & constantiæ non autem permutationis & compensationis.

Fucus ille, quod nostra opera vim meriti accipiant ex merito & sanguine Christi, nostra opera in throno Christi collocat, & idem est, ac si Christus diceretur operibus nostris infundere suam ipsius Majestatem & dignitatem, ut & ipsæ expient peccata hominum coram Deo, & mereantur vitam æternam; quod idem est, ac si quis diceret, Christum meritum esse, ut homines aut virtutes eorum fiant Deus & homo in unitate personæ, sicut Christus; huic enim soli personæ illa Majestas & dignitas propria est.

De ipso exercitio bonorum operum notandum: Abnegationem sui, tolerantiam crucis, & imitationem Christi in Novo Testamento expressius & luculentius esse proposita, rem ipsam tamen jam in V. T. legi; dum jubemur Deum toto corde, tota anima, & omnibus viribus diligere, *Deut.* 6, 5. & sancti esse, sicut Jehovah sanctus est, *Lev.* 19, 8. quod abnegationem concupiscentiarum carnalium requirit.

Afflictio malorum est τιμωρία, quæ a Deo, ut judice irato, per modum pœnæ proprie sic dictæ infligitur, respectum

spectum habens ad culpam non remissam: Crux piorum autem παιδεία, δοκιμασία, culpam remissam supponit, ad salutem & ulteriorem carnis mortificationem directa.

V. DE ECCLESIA ET MUNDO.

De ecclesia & mundo: Ministerio Ecclesiastico & Politico, deque regimine & jurisdictione ecclesiastica; de conjugio: de mundo visibili & invisibili: deque Antichristo: de officiis ecclesiæ erga scripturam.

De Officiis &c.

§. 1.

Hactenus sensu communi quæsivit veritatis indagator sapientiam secum per emblemata sui loquentem, quæsivit & invenit tandem in Christo, inter sanctos summo. Ille jam sua sponte incitatur ad quærendos alios, qui Christum noscunt & Deum in Christo concelebrant. Respiciens vias suas concludit, naturam quærere sui origines, non invenire, si per solam quærat naturam, sed emblemata videt in-

Sensus communis a Deo ad Christum tractus societatem quærit aliorum sui similium.

numera, quod naturæ vis a rigidis & fortibus, ut sunt acida, ignea, salina, incipiens, habeat sibi addita salutifera, dulcia, temperata, benigna, & sic concludit in regno animarum præordinata esse similia salutis perfectiva; quærendum esse τὸ naturale per salutem naturæ, tum invenire se naturam. Quam igitur sapientiam in plateis loquentem hactenus percepit, & ejus vestigia inquisivit, videt in medio hominum fuisse illam, quam non cognovit; & jam in sanctissimo illo Jesu Christo apparuisse visibiliter, nec opus esse, ut quis cœlum ascendat ad eam inde petendam, nec ut quis in orcum descendat, ad eam inde evocandam; sed jam esse illam propinquam omnibus, per Dei præordinationem, qua omnes invitat ad commercium cum amabilissimo naturæ salvatore, & ad unius Dei cognitionem rectam, plenam & vivam. Videt nunc, etsi sapientia hypostatica in cœlos redierit, adesse tamen multo efficacius, quam olim adfuit, cum se nondum in carne exhibuerat; quodsi quis commercium cum sapientia olim visibili facta, nunc iterum invisibili, velit ingredi, illam sui cognitionem miris & inexhaustis promovere modis, & nil esse amabilius quam versari inter

eos,

eos, qui cognitionem hujus inviſibilis ſapientiæ acquirant. Illam dare certitudinem cuivis membro, quod velit eſſe cum illo in omnibus quæ incipit & facit. Lætatur tam ſuavi contubernio, nilque incipit niſi in reſpectu ad illam, edit, bibit, dormit, ſurgit, opus ſuum peragit, non quaſi ſui juris ſit, ſed in ſervitio hujus ſapientiæ, jus omnia dirigendi habentis in univerſo. Hinc directionem ſui voluntarie reſignat in illam.

§. 2.

Angitur ob indifferentiam multorum, cum tamen communi ſenſu tangantur.

Et jam inter homines degens, nomen Chriſtianorum gerentes, ſenſum quoque communem boni & recti, ſed non exercitatum ad electionem optimi, ſimpliciſſimi, utiliſſimi, maxime neceſſarii habentes, dum inter hos vivit, varie angitur & ſuſpirat de indifferentia concivium mundi erga ſalutem mundi. Vivit inter illos ſecundum ſocietatis communis regulas, quoniam multa videt hinc inde inchoamenta cognitionis ſalvatoris ſui. Novum autem ſenſum cum veris unctis communem ſibi a Jeſu Chriſto expetit, hoc eſt, invento ſummo bono, quod in ſocietate eſt optimum ſimpliciſſimum utiliſſimum bene diſcernit. Judicat enim eandem ſapientiam, quæ olim adfuit

fuit omnibus, adesse adhuc, sedere inter judices, esse in foris, scholis, esse inter opifices & artifices; cur non in cœtibus ecclesiasticis? Hic jam sensu suo communi inter christianos respondere vult sapientiæ infinita toleranti ab hypocriticis sui confessoribus. Igitur ecclesiam malis mixtam etsi deserere constituerit, non tamen deserit, sed omnia tentat, quæ amor suadet & sensus sapientiæ respondens.

§. 3.

Datur sensus communis in certa societate, ut est Judæorum & Christianorum.

Datur igitur sensus communis ut inter omnes homines, sic & inter Judæos & Christianos. Sensus communis inter Judæos est abdita & universis obvia conclusio de intemeratæ & antiquissimæ doctrinæ puritate ad nutum Dei Israëlis, de quo Moses, *Deut.* 4, 5. 6. 7. 8. Vide, docui vos statuta & judicia quemadmodum præcepit mihi Jehovah Deus meus: ut sic faciatis in medio illius terræ, quo mox ingressuri estis, ad possidendum eam jure hæreditario. Observabitis ergo atque facietis, nam hæc est sapientia vestra & prudentia vestra ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens est & prudens. Nam quæ gens maxima futura est? cui est

Deus

Deus propinquus, sicut Jehovah Deus noster est, quotiescunque invocamus eum. Rursus quæ gens maxima futura est? cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc lex quam ego propono vobis hodie.

§. 4.

Hunc sensum nostris temporibus perdidere multi, sed amatoribus sapientiæ facile recurrit. Ita ego Christianus multum inter Judæos versatus vidi negantes efficaciam physicam sanguinis Messiæ, regessi, an non ipsi ex antiquissimis libris præcipue Libro Cavanoth Rabbi Jizchack Loria p. 40. fateri cogantur, fuisse tempus, ubi sanguine vigor precum restitui debebat. Verba Cabbalistæ Lorienſis ita incipiunt: Veomnam bisman asæret haruge melucha &c. h. e. omnino tempore decem occisorum pro regno, adeo invaluere peccata ut non fuerit vis inter filios hominum clarificandi scintillas animæ per preces, hinc sanguinem occisorum intervenire necesse fuit. Hoc testimonium quum illi audivissent, statim illis recurrit ille sensus doctrinæ communis antea inter illos obliteratus. Sic inter christianos sensus communis optimæ & simplicissimæ doctrinæ quoad efficacissima vitæ motiva paulatim

Sed facile corrumpitur in magna parte societatis.

tim evaneſcit, revocandus per illos, quorum ope ſapientia loquitur. Sed proh! quam chriſtiani frigeſcunt ad ea, quæ ex doctrina ipſorum publica prono fluunt alveo, quam illi de ſancta communicationis idiomatum carnis Chriſti doctrina, & inde pendentibus ſacramentorum mediis exhibitivis languide ſentiunt.

§. 5.

Igitur erigendus eſt in ſocietate & Eccleſia per inſita principia ad ſcripturæ normam.

Erigendus igitur ille ſenſus per intelligentes ex principiis inſitis de vita Dei, per vehicula ſacramentorum communicabili. Delicioſum eſt vitæ interioris ſentire progreſſus, ſed facile poteſt aliquis obliviſci mortis, redemtionis & ſanguinis Jeſu Chriſti, ſub quo ſanguine ſervator vitam & animam ſuam profudit, ut hinc vitæ novæ divinæ participes fiant. Hinc opus fuit ſignis & rememorativis & exhibitivis; hinc diſtincta mortis Jeſu Chriſti recordatio certis temporibus repetenda magno erit uſui.

§. 6.

Scripturaria methodus de Eccleſia tractandi incipit ab evocatione ex mundo malo.

Hactenus de ſenſu communi; pergo nunc ad ſcripturariam de eccleſia ſententiam. Totus mundus in malo jacet. Ex hac perditiſſima mundi colluvie ut eluctemur, ſegregari nos oportet a mundo ad eccleſiam, ſed prius evoca-

evocari. Ipsum ecclesiæ etymon id significat, quod dicit cœtum evocatorum, scil. ex mundo. Si quis de ecclesia, de ministerio ecclesiastico & de sacramentis recte & secundum scripturas sentire cupit, ille legat primum epistolam ad Ephesios, dein 1 Ep. ad Corinth. *cap.* 10-14. sic inveniet sensum Spiritus sancti de his purum & sincerum. Hæc lectio ut procedat tanto facilius, sistam hic dicta quædam præcipua notis illustranda. Primum dictum occurrit *Eph.* 4, 3. studete conservare unitatem spiritus per nexum pacis ℣. 4. unum est corpus & unus spiritus ℣. 5. unus Dominus ℣. 6. unus Deus ℣. 7. sed unicuique nostrum data est gratia pro mensura doni Christi. ℣. 8. quapropter dicit cum adscendisset in sublime, captivam duxit captivitatem & dedit dona hominibus ℣. 9. Illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ. ℣. 10. Qui descenderat, ipse est, qui etiam adscendit longe supra omnes cœlos, ut impleret omnia ℣. 11. Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores. ℣. 12. ad compactionem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.

Dicta de Ecclesia præcipua. primum Eph. 4, 3. de unitate in Ecclesia per unicum vitæ fontem.

§. 7.

§. 7.

Quæ sit origo vitæ in membris Ecclesiæ.

Ex his videmus, quisnam sit fons & origo vitæ in membris ecclesiæ; id quod a doctoribus multis haud distincte satis consideratur. Paulus ℣. 7-10. non sine ratione tam magnifica concludit de potentiis vitalibus, quas Jesus adscensione & descensione exseruit in mundo tum superiore tum inferiore. Quid est illud, quod replet omnia, quod permeat omnia, quod continet superiora & inferiora? Nonne est vita Dei per communicationem idiomatum Christi carni & materiæ communicabilis, qua fit, ut terra elevetur in cœlum, cœlum descendat in terram. Psaltes jam dudum inaudivit quid loquatur Dominus Deus, scilicet veritatem ex terra progerminaturam justitiam de cœlo prospecturam. *Ps.* 85, 9. 11. Concinunt his Prophetæ lætabundi. *Jes.* 44, 23-28. *Jer. c.* 31. 22-40. Hoc centrum potentiarum, hæc vis virtutum dextra Dei appellata, unde omnia replentur & permeantur, non mechanice per pulsum, sed supra-mechanice per manifestationem ad intra, est illa magna & spiritualis idea, tanquam stella polaris, circa quam rotantur, & in qua moventur & animantur omnes ecclesiæ modi & tropi. Posset

Centrum potentiarum vitalium dextra Dei in quam Christus ascendit.

ali-

aliquis dicere, quod sufficiat idea capitis Christi, non opus esse plenitudinem illam vitæ post exaltationem Christi manifestatæ instar cynosuræ respicere. At vero Paulus tam distincte res explicans non perfunctorie sed cum attentione summa audiendus est *Eph.* 1, 16. 19. 23. preces pro fidelibus ardentissimas fundens, ut agnoscant transcendentem magnitudinem potentiæ suæ in credentes, secundum ενεργιαν roboris virium ipsius, quod exercuit in Christo, cum suscitavit eum ex mortuis & collocavit ad dextram suam in cœlis, longe supra omne imperium ac potestatem & potentiam; & omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. Jam attende nexum: Constituit eum caput super omnia, constituit vero etiam ut sit plenitudo omnia in omnibus implentis. Tanta est εξουσια quam Deus Christo dedit super omnem carnem, tantus a momento mortis Christi universorum motus, respiciens ad primum motum creationis, & ultimum motum translocationis concussorum in die extremo; ubi hic motus Dei Christum exaltantis, & ipsum πληρωμα constituentis, est perdurans quid & in medio stat. conf. *Hebr.* 12,

26. 27. Quæ igitur Paulus *c.* 1. breviter attigit de robore potentiarum, gloriæ Domini, ea hic *cap.* 4. pertinentissime amplificat, in unum colligit, & sic fontem manifestationis potentiarum nempe ascensionem & descensionem Christi cum magna mysterii revelatione indicat. Et hoc jam pro indice & Gnomone sufficiat. Indicavi enim vitam Jesu Christi per quam natura collapsa, hoc est, caro, rursus in statum meliorem elevatur, incipere in vivificatione ecclesiæ & semper ulterius progredi vivificando.

Unde se exerit vita Dei primum in membris Ecclesiæ.

§. 8.

Alterum dictum 1 Cor. 12, 12. de mutua subministratione vitæ Dei in Ecclesia.

Pergo jam ad alia dicta de consociatione membrorum ecclesiæ & de mutua subministratione vitæ Dei. *1 Cor.* 12, 12. sicut unum corpus est habens membra multa, omnia illa, etsi multa sunt tamen unum corpus, sic & Christus (cum sua ecclesia) *Rom.* 12, 5. Multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra. *Eph.* 4, 15. Sincere nos gerentes in charitate prorsus adolescamus in eum, qui est caput, nempe Christus, ex quo totum corpus coagmentatum & compactum per omnem junctúram subministrationis, secundum vim intus agentem κατ' ἐνεργειαν, pro mensura unius cu-

cujusque membri incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius exstructionem per charitatem. *Act.* 4, 32. Multitudinis autem eorum, qui crediderant, erat cor unum & anima una.

§. 9.

Jam de mutua subministratione notandum, illos modos justitiam & vitam docendi, quos servator adhibuit solus 1) Verbo. 2) Disciplina. 3) Usu; ab ecclesia exercendos esse junctim. Scilicet salvator 1) usus est tum verbo & discursu simplici ad tradendum fundamenta, & ad refutandum falsa, tum oratione continuata concionando, oracula allegando, recitando, legendo, disputando, interrogando, respondendo, idque vel communi via vel parabolica, vel auctoritatem adhibendo, vel tenerrime afficiendo, etiam reprehendendo, collaudando, exhortando, promittendo, objurgando, minitando, idque vel simpliciter vel cum lacrymis, exclamando, precando, canendo semel vel etiam repetitis vicibus apud agnum paschalem, scribendo semel, tacendo apud Herodem, loquendo & tacendo simul apud Pilatum & Cananæam, inspiciendo in faciem audientis. 2) Disciplinam exercuit, ex templo ejiciendo ementes & vendentes, intuendo in

Modi quibus vita Dei subministratur ab Ecclesia I. ad Exemplar Christi. 1) Verbo, 2) disciplina 3) usu.

faciem cum ira. 3) Usu continuavit, discipulos exercendos secum ducendo, miracula, ostendendo, in rem præsentem applicando, eleemosynas & varia bona erogando, panem frangendo. Per omnes hos modos suis subministravit vitam primo inchoative, dein perfective, afflando & largiendo spiritum deditque perfectissimum exemplar omnium quæ ad consummatam docendi rationem pertinent, tradens scientiam vivendi Deo cum sis homo. Talem subministrationis typum Paulus Timotheo & Tito præscripsit ut sciant, quomodo in Domo Dei versandum sit. *1 Tim.* 3, 15. Alias subministrationes mutuas injunxit Paulus *2 Cor.* 8, 1-5. 13. 14. 15. *2 Thess.* 3, 11. 12. Apostoli deinceps in ecclesia instituerunt ut communicatio & subministratio justitiæ & vitæ Dei per communia vitæ præsentis officia observetur, per officia magistratus & subditorum, parentum & liberorum, mariti & uxoris, inprimis pro multiplici ad justitiam institutione plures ordines ministrorum sequiori seculo erigebantur, hinc lectores, Psaltæ, interpretes, doctores, admonitores, catechistæ.

II. ad Exemplar Pauli in Epistolis ad Timotheum & Titum per communia vitæ præsentis officia.

§. 10.

Dicta de directione & disciplina Ecclesiæ.

Possunt hic obiter notari generalia de directione ecclesiæ oracula. *1 Cor.* 12,

12,28. *Eph.*4,11. *Tit.*1,5. *Act.*6,3.5. 14.22.23. *Ezech.*34,11.12. *Joh.*10,1-4. *1 Tim.*5,21. 4,12.13. *2 Tim.*2,22. 3,14. De Administratione disciplinæ vel ad ordinem vel ad castigationem pauca extant in N. T. Ad ordinem *1 Cor.*14,40. ad castigationem *1 Cor.*5, 1-5. *2 Cor.*2,6. ad supperias pro ratione status diversas *1 Thess.*5,14. *Ezech.* 34,15.16. De administratione baptismi notetur *Matth.* 28, 19. S. Cœnæ. *Matth.* 26, 26. sqq. *1 Cor.* 11,23. seqq. De litigiis dissentientium circa sensum verborum institutionis nihil scit scriptura.

§. 11.

Definitio Ecclesiæ scripturaria.

Ex his omnibus definitionem ecclesiæ scripturariam hanc extrahimus: Est cœtus per regenerationem in corpus Christi coagmentatus, quem ipse vocavit, & collegit, quemque fide sanctificat & regit, sanat & instaurat ad vitam æternam, utens ad id ministerio tum publico membrorum potiorum, tum privato singulorum, qui omnes unum Dei habitaculum in spiritu constituunt. Ubi tria de notione ecclesiæ occurrunt 1) fons vitæ ex πληρωματι Christi. 2) Sensus communis ad consociationem & subministrationes mutuas. 3) Vita Dei subministranda, tum per verba, tum per sa-

cramenta, tum per alias rationes membrorum, quibus augetur & ædificatur Christi corpus. Vita Dei est, qua filii Dei vivunt in eo per Christum Dominum, habentque ipsum in se viventem, hinc magna fide potentias Domini patefaciunt per actus externos, remittendi peccata, liberandi a Satana & mundo, precandi & intercedendi pro aliis, docendi & repurgandi a cupiditatibus, per institutionem & disciplinas cooperandi ad profectus spirituales.

§. 12.

De confessione & absolutione. Præsupponitur autem confessio, cum homo pœnitens Deo coram ecclesiæ membro, experientia spirituali instructo, peccata confitetur, ut in nomine Christi absolvatur. In V. T. publica quædam obtinebat confessio *Lev.* 16, 21. In N. T. fundatur absolutio in potestate regni cœlorum. *Matth.* 16, 19. *Joh.* 20, 23. *Matth.* 18, 18. *2 Cor.* 5, 18. 20. Pertinet huc etiam excommunicatio ubi verbi minister hominem enormiter delinquentem in nomine Jesu tradit Satanæ, ad perditionem carnis, ut spiritus servetur, cujus exemplum legitur. *1 Cor.* 5. Quoniam vero nostro tempore disciplina & instituta Christi in civile regimen abiverunt, ministri fundamentum doctrinæ Christum tanto efficacius ob oculos ponere necesse habent.

§. 13.

§. 13.

Plenitudo & præsentia Christi, qua omnia replet forsan haud incongrue repetitur hic ex superioribus. Nos a communi satore Adamo nati sumus ex carne & anima, sumus unius capitis membra, ergo & ejus reatui & pœnis subsumus. Adamus integer plenitudine λογε omnia replentis inhabitabatur, & nisi essemus lapsi, hæreditario jure illam communionem sortiti essemus, sed rupto illo beato commercio, secundus Adam in auxilium venit, cum plenitudine virium divinarum, ille animam & carnem nostram in hypostasin vitæ suæ assumsit, caro factus ex carne, anima ex anima; carnem igitur nostram in plenitudinem illam Deitatis traxit, cœlestis iterum naturæ participem unione tum personali tum mystica. Quodsi Christo nos tradimus, tum regeneramur ad plenitudinem illam denuo, ex qua nos Adamus excussit, quæ sua sunt, nostra fiunt; anima Christi per mysticam unionem nostra est anima, caro Christi nostra caro, vivit ille in nobis, nos in illo, quamvis corpore mortali induti, dummodo spiritus ejus nos inhabitet. Ille nos in corpore suo immaculatos, puros & regeneratos sistet, quia in ipso sumus unum

Unio Christi personalis & mystica fidelium tanquam fundamentum institutorum Christi in ecclesia sæpe sub unum obtutum revocari par est.

corpus: nam ut Adamus fuit commune corpus noſtrum; ſic jam Chriſtus eſt commune corpus noſtrum. Unde eccleſiæ tanta vis, tanta fidei parrheſia, ex magnifico illo potentiarum reſurrectionis promtuario. Reſidet igitur vis potentiarum Domini non in hoc vel illo tantum membro, ſed in omnibus; at quam maxime in ipſo capite, in plenitudine virium ipſius, ex qua ſumimus gratiam pro gratia. Hæc jam omnibus patet, nullo obſtaculo præcludenda. Ille præſens eſt ſingulis, ille largitur ſpiritus dona, vitæ ſuæ ſpiracula ſingulis, modo fide agnoſcant, quid cum Chriſto crucifixi, cum Chriſto vivificati poſſint. Ille eſt ſolus bonus paſtor, ille vitam ponit pro omnibus. Ille eſt ſacerdos tabernaculi vivi. Nolite de capitibus religionis altercari, nolite diſputare. Ille verus eſt doctor; ille eſt dator, nonniſi parvulis contingunt illa dona. Ecce hi ſunt rivuli parvi ex magno fonte & pleromate Epiſtolæ ad Epheſios. Qui hæc vere credunt, accipient quilibet pro ſe, quamvis commiſſuræ & juncturæ communionis hodie non ut olim cooptatæ ſint.

§. 14.

Origo ſacramentorum & teſtamen. Nunc ſpecialiora de ſacramentis ex ſ. ſcriptura erui convenit. Jam ſupra, in

in loco de lege, de dispositionibus & testamentis multa quæ huc faciunt, tetigi. Origo testamenti veteris in eo est, quod Deus per media visibilia consulere voluerit, tum imbecillitati, tum necessitati status hominum. Homo habet in se Nischmat chajim, halitum vitarum *Gen.* 1. sensum æternitatis *Eccl.* 3. Desiderium infiniti in anima, nec non alia desideria ex corpore, ad id, unde ortum traxit suum. Eorum habet sensum occultum, neque tamen suis viribus dignoscere potest, quid sint illa abdita sui ipsius. Ne igitur homo se ipsum cogitationibus & desideriis in incertum torqueat, Deus subvenit ejus necessitati; dedit primo Testamentum vetus, h. e. divinæ voluntatis dispositionem, in cultu & mediis salutis sub ceremoniis legalibus, tabernaculo, ejusque adjunctis, usque ad plenitudinem temporis, quo Christus in mundum venit, ut invisibilia sua, verbum, vitam & lucem in carne redderet visibilia, atque sic, quæ olim typis adumbrabantur, apparitura sisteret & demonstraret re ipsa, & sub nova mediorum salutis forma, exhiberet. Dedit itaque secundo dispositionem novam, novum testamentum. Distinctio igitur inter Vetus & N. Testamentorum seu dispositionum Veteris & N. fœderis.

Cur loco dispositionis veteris successerit nova?

tum probe obſervanda, ex *2 Cor.* 3, 6. Diſcipuli Chriſti dicuntur Apoſtoli N. T. *2 Cor.* 3, 6-9. & ſanguis Chriſti dicitur ſanguis N. T. *1 Cor.* 11, 25. Novum Teſtamentum veteri melius. *Ebr.* 7, 22. jam dudum promiſſum eſt. *Jer.* 31, 31. *Ebr.* 10, 18. *Gal.* 4, 24. quia V. T. fuit culpabile & defectuoſum; non enim potuit ſatisfacere deſideriis hominis, nec juſtitiam & vitam introducere in illum. Hinc Paulus *Hebr.* 9. defectus oſtendit 1) in tabernaculi manu facti externis juſtificatoriis. ℣. 1-6. 2) in imperfectione ſacerdotis qui pro ſe offerre debebat. ℣. 7. 3) in ſanguine imperfecto. ℣. 12. 4) in morte & ſanguine taurorum, quo liber fœderis & teſtamenti obſignabatur, imperfecta ℣. 16. 18. 19. 5) in ingreſſu ſacerdotis iterando. ℣. 25. In ſumma: lex ſeu V. Teſtamentum habebat umbram futurorum bonorum, non ipſam rem præſentem. *Ebr.* 10, 1. Imo lex carnis imbecillitati adeo non ſubvenit, ut potius litera clare maledicente, pædagogia diſciplinante *Gal.* 3, 23. ſervitute in Dei œconomia extra filiationem detinente *Gal.* 4, 1. 9. 24. 5, 1. adminiſtratione mortis & condemnationis *2 Cor.* 3, 7. adminiſtrationi juſtificationis oppoſita, chirographo *Col.* 2, 14. pec-

peccatum potentius reddat. Interim tamen typicæ mortis & vitæ Jesu Christi repræsentationes, multis fidelibus sensibiliores factæ sunt, ut fœderis invisibilibus fide perceptis, magis delectarentur quam victimis. *Ps.* 50, 5. Postquam autem Jesus in carne venit, tunc ille vitam & immortalitatem sine umbris pandens, legem spiritus vitæ, tabernaculum non manufactum sed vita plenum, sacerdotium spirituale, media salutis facilia & jucundissima dedit, & qui sapientiam, h. e. scientiam vitæ in Christo habet, ille facile omnia pervidet, ut spiritualis.

§. 15.

In N. T. non sunt multa præcepta, non multæ disciplinæ, non multa instituta. Duo tantum instituta Jesus expresse instituit, sacramentum baptismi & S. Cœnæ; & sub baptismo & S. C. duo motus fidei *Rom.* 4, 18-21. videntur in exercitium & usum duci specialem. Per fidem desideria hominis infinita saturantur. Desiderat homo ex parte carnis, desiderat ex parte animæ. Quemadmodum igitur fides in intimo sui duos actus continet, actum respicientem in se *Rom.* 4, 18. 19. & actum respicientem in Deum ℣. 20. 21. actum declinationis mundi & crucifixionis

In nova dispositione duo tantum principalia instituta injunguntur secundum duos fidei actus.

xionis cum Christo per baptismum indicatæ; secundo, actum unionis cum Deo, seu convivificationis cum Christo, per s. cœnam indicatæ; ita desiderium fide sedatum binis, iisque novis actibus sese manifestat, victoria carnis, & gustu rerum cœlestium ex promissione. Sunt autem illi actus ab invicem inseparabiles, quando declinamus a mundo ad ecclesiam, invenimus Christum, & ut recepti in testamenta promissionum divinarum, ut domestici in œconomia matris ad libertatem gignentis *Gal.* 4, 26. ut filii ecclesiæ, quæ est sponsa Christi, *1 Cor.* 11, 2. filios Deo gignens, *Jes.* 49, 18. 54. communi sensu cum omnibus illis qui *Ebr.* 12, 22-24. recensentur, ferimur ad proculcationem corruptionis mundi, & ad ea, quæ sunt Jesu Christi ἐν ἀφθαρσια *Eph.* 6, 24.

§. 16.

Distinctio Ecclesiæ in universalem invisibilem, & particulares visibiles.

Ex isto fundamento fluit, quod in symbolo Apostolico credamus, unam ecclesiam apostolicam, sanctorum communionem. *Eph.* 4, 3. 12. 13. 16. toto terrarum orbe diffusam. In ædificationem universalis & invisibilis communionis Deus particulares ecclesias in V. & N. Testamento, & quidem sub symbolis & sacramentis, adeoque ratione

Sacramenta

tione externi hujus vinculi visibiles constituit. Hæc ergo sacramenta sunt symbola visibilis ecclesiæ externa, in qua visibili ecclesia debent omnia administrari filialiter, jucunde, suaviter, sponte, sic ut Ethnicis & Judæis per sensum communem optimi desiderium nascatur, se cum hac ecclesia uniendi, quoniam perfectissimam ideam optimi quilibet in ea cernere potest, ethnicus luminis naturæ vim exaltatam, Judæus obsignationem fœderis & unionis cum Deo per fidem in verbo promissionis. Cum igitur fides sit firma de vi Dei & ejus promissionibus convictio, duos actus sive motus originarios continet. 1) Mundum malum deserendi. 2) Dei vim & promissiones apprehendendi. Hi duo actus per sacramenta bina V. & N. Testamenti expressi significantur.

sunt signa Ecclesiæ visibilis.

Circumcisio derelictionem mundi & carnis designat. Passa, seu cœna transitoria agni Paschalis, transitum ad unionem Dei. Utrumque etiam per holocausta connotabatur. Ignis spiritum, bruta carnem, seu mundum indigitabant. In N. T. est 1) baptismus, qui mergit & internecioni tradit veterem hominem. 2) Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod unionem spiritus & vitæ Christi confert, & in novo Adamo

Ut in V. dispositione circumcisio & Passa sic in novo baptismus & s cœna.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624/phys_0359
DFG

mo nos novos homines generat. Aqua baptismi significat, exhibet & obsignat Spiritum sanctum, non autem ipse spiritus est. Panis & vinum non ipsum corpus & sanguis Christi sunt, sed eadem tantum tradunt & obsignant. Non vero cum Capernaitis intelligenda est manducatio corporalis, sed spiritualis ex tenore *C.* 6. Johannis. Edit anima & nutrit se veriſſime φαρμάκῳ ἀθανασίας, ut Patres locuti sunt. In quoliber sacramento est materia terrestris visibilis signans, & cœlestis invisibilis signata.

§. 17.

De baptismo deque differentia baptismi Johannis & Apostolorum.

De baptismo præmittendum, baptismum a Johanne administratum, fuisse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Marc.* 1, 4. *Matth.* 3, 11. *Luc.* 3, 16. *Act.* 19, 4. Discrimen baptismi Johannis & Apostolorum est tantum secundum gradus, efficacia fuit similis. Baptizavit Johannes sicut in Christum, sic & in Patrem & Spiritum sanctum, quia in remissionem peccatorum. Aliud vero est Spiritum S. percipere in remissionem peccatorum, ut Johannei; aliud vero eo baptizari & quasi perfundi, ut Apostolorum discipuli. Eum gradum Ephesii in baptismate, quod Johannes administravit, non

non experti sunt, alias Spiritum S. non ignorassent. Apostoli sese phrasibus suis ita exprimunt, ut gradum effusionis Spiritus Sancti majorem indigitent. Certe Spiritus S. peculiariter in s. baptismo occupatus est. *Tit.* 3, 5. 6. Dicitur non Pater, non filius, sed spiritus effundi. *Joh.* 3, 5. Dicimur renasci non ex aqua & Patre, sed ex aqua & spiritu. Hinc baptismus lavacrum regenerationis Spiritus Sancti audit. *Tit.* 3. *1 Cor.* 12, 13. Baptizati legimur non filio, sed spiritu. *Eph.* 5, 26. Christus dicitur mundasse ecclesiam lavacro aquæ in verbo scilicet spiritu pleno. Spiritus Sanctus igitur est regenerationis causa & efficiens & materialis simul post Johannem. *Tit.* 3, 5. 6. Spiritus S. dicitur expresse effundi, quod est materiæ, non tantum causæ efficientis. Sed in baptismo Johannis fuit tantum efficiens.

Dantur gradus effusionis spiritus.

Spiritus S. est regenerationis causa efficiens & materialis.

§. 18.

Jam quod attinet ad s. Cœnam, etiam gradus aliquis sic concipi potest. Antequam Christus mortuus est, vivificatus, discipuli accipiebant carnem & sanguinem Christi magis efficienter, quam substantialiter, post ascensionem vero substantialiter & efficienter. Datur

De s. Cœna.

tur vero in ſ. Cœna præter panem & vinum, præter corpus & ſanguinem Chriſti, etiam confirmatio totius N. Teſtamenti, & unio cum eccleſia inviſibili. Certe Chriſtus dedit corporis & ſanguinis communionem, qua, ſicut de uno pane edimus, ita unum corpus ſumus, cujus Chriſtus caput, in quod baptizati ſumus; nam communio jam incepit in baptiſmo.

§. 19.

Spiritus S. verba quibus inſtituta Chriſti ſignantur non ſunt metaphorica.

Cavendum hic, ne quid de Spiritus S. verbis in metaphoras vertamus. Statim plenitudo ſpiritus per exiliores interpretationes evacuatur. Plus ſentit homo bene ordinatus quam verbis exprimere poteſt, hinc linquantur verba in plenitudine, alias fruſtra reformationis beneficio gaudes. Ex hac falſa interpretatione & detorſione verborum propriorum in ſenſum metaphoricum, vel ex ipſa metaphorarum Spiritus Sancti, quibus realitates ſumme ſpirituales ab homine animali inperceptibiles deſignabantur, extenuatione, ex initiis tenuiſſimis Antichriſtus in tantam pededentim ſuccrevit amplitudinem. Nonne Johannes dixit: quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum illum: hic eſt Antichriſtus, & ſpiritus Antichriſti, qui negat Jeſum Chriſtum in

Qui in meras illa metaphoras vertunt, in caſtra Antichriſti transeunt pededentim.

in carne veniſſe. *1 Joh.* 2, 22. 4, 3. Nonne Cerinthus & ejus furfuris homines teſte IRENÆO *lib.* 3, *cap.* 18. ſtatuerunt, Chriſtum putative tantum apparuiſſe. Quid hoc eſt, niſi detorſio ſenſus proprii in dicto: verbum caro factum eſt: in ſenſum metaphoricum: Chriſtus habuit corpus, habuit carnem, ſed ſecundum illos phantaſticam, metaphoricam, non propriam, hinc Johannes tantopere contra hos proteſtatus eſt, dicendo: Jeſum Chriſtum veniſſe in aqua & ſanguine. *1 Joh.* 5, 6. Quod autem hæretici per parabolarum ſeu metaphorarum diſtorſionem in ſenſum vel grandiorem vel exiliorem propagaverint placita ſua Antichriſtiana, de eo totus ſcatet IRENÆUS. Non enim tantum *L.* 2. *c.* 10. & 35. regulas explicandi parabolas tradit, ſed & falſis parabolarum interpretamentis vera ſubſtituit. Quemadmodum igitur lapſus primorum parentum incepit primum ab amphibolia, dein a falſa interpretatione, & tandem a negatione ipſius veritatis, ita totus Antichriſtianiſmus ſuperſtruitur hiſce parhermeniis. Univerſa autem ſcena Antichriſtianiſmi ex ipſa Apocalypſi & B. Jo. Alb. BENGELII explicatione genuina Apo-

caiypſeos addiſci poteſt. Hæc explicatio divina nobis exemplar eſt interpretationis, per quam nihil additur & nihil demitur ſcripturis. Viderint illi, qui ſpecialia & determinata per generalia & indeterminata ſolvere & intelligere volunt, quorſum ruant. Anima Antichriſtianiſmi in hoc ſita eſt, Laicos habere profanos, pro ſenſu communi ſubſtituere philoſophiam mundiformem, per quam aliquando negabitur, Chriſtum veniſſe in carne, per quam ipſa Chriſti caro in Idealiſmum ſeu corpus phantaſticum vertetur tandem.

§. 20.

Formulæ Theticæ. Jam nil reſtat, niſi ut quæ fuſe diximus ad ductum ſ. ſcripturæ, cancellis reſtringamus theticis.

De Eccleſia definitione. Th. I. Eccleſia eſt congregatio ſanctorum, in qua Evangelium recte docetur & rite ſacramenta adminiſtrantur. Sunt verba Aug. Conf. vel, eſt collectio hominum ſancta, ſpiritu Chriſti vocatorum ad communionem in verbo & ſacramentis eorumque conſequentibus, ut in ea Dei filia & Chriſti ſponſa ſit & multos Chriſto generet filios. *Pſ.* 45, 11. *1 Cor.* 11, 2. *1 Cor.* 12, 27. *Eſ.* 49, 18. 54, 4. 5.

§. 21.

§. 21.

Notæ Ecclesiæ Apostolicæ sunt 1) Unitas *Eph.* 4, 4. *Cant.* 6, 9. 2) Sanctitas, seu ornatus invisibilis. *Cant.* 4, 1-7. 1,6. *Eph.* 5, 25. Ex quo fluit invisibilitas, quia ornatus hic in visibili corpore non semper in oculos incurrit. *2 Tim.* 2, 9. *Ps.* 45, 14. 3) Universalitas, quatenus per totum terrarum Orbem plantata sese submittit scriptis prophetarum & Apostolorum toto corde, καθ' ὅλε, hinc catholica, & ex hac subjectione quies animæ propullulat. 4) Indefectibilitas. Nam semper Christus habebit sponsam *Hos.* 2, 16. *Matth.* 16, 18. De notis Ecclesiæ.

De notis Ecclesiæ veræ observetur, quod illa sit quidem religio vera, rectus sensus & verus cultus; sed quia hæc generalia sunt, optime ex uno charactere judicabis, ubi secundum tertiam notam 1) S. scriptura profundissima & integra veneratione suscipitur, & omnia ad illam exiguntur. Ubi 2) etiam fidei articuli indagati & recepti ad S. scripturæ normam actu sunt explorati. Unde librorum symbolicorum necessitas patet. Requiritur igitur tum studium, tum actus, & tunc demum certum est, ubi hæ notæ sunt, ibi veram esse ecclesiam, etsi non semper pu-

ram; si vero alterutrum deficiat, ecclesia non est vera. Notæ aliæ non sunt tales, ut posita re notata ponatur nota, & vice versa; ut nota sit notior notato, nam e. gr. studium in gloria Dei illustranda, potest in aliquibus esse sine regula, potest dogmate quodam gloria Dei intendi ab Ecclesia falsa. Nec conformitas omnimoda cum verbo Dei est nota Ecclesiæ veræ, sed Ecclesiæ puræ. Nam non est convertibilis propositio: Ubi conformitas omnimoda, ibi est vera ecclesia, & ubi vera Ecclesia, ibi conformitas omnimoda. Nam conformitas omnimoda potest abesse, & tamen in rebus majoris momenti esse vera Ecclesia.

Sanctitas præceptorum est effectus, non nota veræ Ecclesiæ. Potest sanctitas præceptorum alicui individuo esse legitimus character Ecclesiæ, non omnibus eodem modo. Ille bonos motus sentire potest, non statim omnes recti. Tranquillitas conscientiæ est effectus non nota, est obscurior notato. Distinguenda quoque sunt viva ecclesiæ membra ab iis, qui ad societatem externam pertinent: Nam in ecclesia vera, etsi non pura, possunt consistere membra non viva, quia non omnes abyssos cordis nos noscimus.

§. 22.

§. 22.

Th. II. Ministerium Ecclesiasticum est ordo docentium divinitus vocatorum, cui concessum est, homines perducere ad salutem per prædicationem verbi & administrationem sacramentorum. Ritus ecclesiastici sunt certæ ceremoniæ, quæ ab ecclesia receptæ sunt boni ordinis causa. *1 Cor.* 14, 33. 34. 40. De ministerio ecclesiastico

§. 23.

Sabbathum in V. T. erat signum sanctificationis inter Deum & homines. In N. T. potest eandem habere rationem; nam in V. T. erat post creationem primam, in N. T. post creationem novam, ubi quievit Messias ab opere consummato Redemtionis. Hinc analogice concludimus, sabbathum novæ creationis esse diem Dominicam, in qua resurgens Dominus ex mortuis cessavit ab opere passionis. Adsunt etiam clari Textus *Act.* 20, 7. *1 Cor.* 16, 2. *Ap.* 1, 20. *Matth.* 28, 1. *Marc.* 16, 2. sabbathum in V. T. habebat morale & ceremoniale suum, hoc amisit, illud retinuit. Morale est signum sanctificationis inter Deum & homines: Ceremoniale est alligatio ad certum tempus. *Jes.* 58, 13. de sabbatho.

§. 24.

De sacramentis

Th. III. Sacramentum est actio sacra & solennis, a Deo per verbum institutionis in Testamento alterutro mandata, in qua cum elemento visibili cœlestia bona invisibilia uniuntur, & vi promissionis Dei sacramentis annexæ offeruntur omnibus salutis desiderio tractis. Salutaris autem sacramenti fructus, nempe remissio peccatorum & hereditas vitæ confertur & obsignatur tantum digne utentibus *1 Cor.* 10, 2-5. Sacramenta V. T. fuere circumcisio *Rom.* 4, 11. & agnus Paschalis *Ex.* 12, 5. quorum in locum succesSere in N. T. baptismus & sacra cœna.

§. 25.

de baptismo.

Baptismus est actio sacra ad finem mundi duratura a Deo per Christum instituta, ubi homo baptizatur aqua in Nomine Patris & Filii & Spiritus S. ad declarationem filiationis Dei in Jesu Christo. *Marc.* 16, 15. 16.

Forma baptismi consistit in actione dantis & recipientis, quatenus aqua consecrata, vel dilatate in nomine trium Personarum, vel contracte in nomine Domini Jesu, *Act.* 2, 38. 10, 48. confertur, & gratia fœderalis simul offertur,

tur, ubi tum ex parte baptizati accedit λῆψις. Finis baptismi est filiatio; quod patet ex discursu Johannis *Matth.* 3, 7. ad advenientes baptismum recepturos, quibus de filiis Abrahæ excitandis, nisi digni fiant baptismi filii, loquebatur. Successit autem baptismus in locum circumcisionis; hinc sicut circumcisio, ita & baptismus, sub reciprocatione implicita, infantibus confertur. *Gen.* 17, 7. *Col.* 2, 11. Baptismus in V. T. fuit adumbratus per varias ablutiones. *Ezech.* 35, 25. *Jes.* 44, 3. *Zach.* 12, 10. 13, 1.

§. 26.

De Cœna Domini.

Cœna Domini est Sacramentum N. T. & convivium Jesu Christi, ubi sub pane & vino edimus & bibimus verum corpus & sanguinem Jesu Christi, tum ad recordationem mortis Jesu, tum ad unionis confirmationem. *Matth.* 26, 26. *1 Cor.* 10, 15. 16. *seq.* Vox τοῦτο in verbis institutionis non notat corpus, alias subjectum esset prædicatum; notat autem panem evcharisticum & sacramentalem, & ita totum complexum, de quo prædicatur id, quod sensibus non est expositum: Hoc quod cum pane exhibetur, est corpus meum.

Illi, qui debent uti s. cœna sunt homines Christiani, qui duplices sunt,

digni & indigni. Probatur id 1) ex prima institutionis historia de Juda: is edebat & bibebat id, quod porrigebatur: jam vero porrigebatur cum pane corpus &c. 2) expresse Paulus ait *1 Cor.* 11, 27. Qui edit panem hunc & bibit poculum Domini indigne &c. Digni sunt, qui se probant ex *c.* 11, 28. & discernunt corpus Christi: Indigni contra, qui se non probant, nec etiam discernunt corpus Christi. In eo tertio conveniunt, quod corpore & pane, sanguine & vino utantur. In eo discordant, quod digni habeant ανάμνησιν, recordationem: indigni autem non habent, unde nec salutari fructu beantur.

§. 27.

De Autichristo. Th. IV. Antichristus est hostis ecclesiæ christianæ, tum in aggregato, tum in individuo consistens, successive ex Ecclesia erumpens, seque in caput certi hominum ordinis erigens, & titulo prærogativarum religionis, at cum superbia supra DEUM & magistratus, veram Ecclesiam vi & fraude persequens & pessundans, destruendus tempore judicii a Domino ipso. *2 Thess.* 2, 6. *1 Joh.* 2, 18. *Apoc.* 17, 8. 19, 20.

§. 28.

§. 28.

Th. V. Magistratus Politicus est persona vel collegium a Deo constitutum, pollens jure ferendi leges & exsequendi judicia, in bonorum laudem, malorum pœnam. *1 Petr.* 2, 13. 14. *Rom.* 13, 1. sqq. *Exod.* 18, 13. 21. *Deut.* 17. describuntur conditiones unius personæ a Deo electæ. Statuta regia *1 Sam.* 8, 11. Dei minantis & permittentis judicia sunt in ecclesia; sed extra ecclesiam ille ordo instituentem habet Deum, ut ex oratione Nebucadnezaris patet. De magistratu.

§. 29.

Th. VI. Conjugium est indissolubilis & honorabilis nexus & unio unius viri & unius fœminæ, a Deo in gradu licito constituta, ut species conservetur & augeatur ad Dei gloriam. *Ebr.* 13, 4. *Matth.* 19, 4. Gradus debet esse licitus. *Lev.* 18. Quilibet ex vobis ad carnem carnis suæ non accedat, ad revelandam nuditatem ejus. Non tantum eæ personæ hic prohibentur, quæ expresse sunt nominatæ; sed etiam eæ, quæ sunt in eodem gradu propinquitatis cum personis nominatis. Hinc recte concludo, quod non liceat ducere uxorem filiam sororis patris mei; ratio est hæc, quia non licet du- De Conjugio.

cere uxorem fratris patris mei. ℣. 14. Nec argumentandum est a *cap.* 20. *Lev.* ad *cap.* 18. ita inferendo: in *cap.* 18. non est prohibitus, quia in *capite* 20. non reperitur; nam personæ gradus aliquot, qui *cap.* 18. scripti sunt, non inveniuntur in *cap.* 20.

Id ut evolvatur distinctius, de gradibus prohibitis data opera agendum. Notetur primo, leges matrimoniales de gradibus prohibitis esse universales; non obligant tantum ut leges forenses populi Judaici, sed ut leges morales *Lev.* 18, 24. unde ex pœna transgressorum gentilium arguitur ad obligationem ad has leges; hinc universalitas ad Judæos & gentiles pertinet. Ubi universalitas per restrictionem ad ℣. 21. 22. 23. non est circumscribenda, quando dicitur in hoc omni ℣. 24. & 27. omnia hæc abominabilia &c. Jam ubi eadem est ratio, ibi eadem dispositio vel prohibitio. Ratio est proximitas carnis: qui propter proximitatem carnis una caro sunt, non debent fieri una caro per conjugium. Sed quæritur: utrum sint leges absolutæ (ascendentes quidem & descendentes possunt ex natura deduci, sed prohibitio graduum collateralium non sic) an positivæ universales, seu hypotheticæ, fundantes

dantes sese in institutione quadam, qua Deus cavit ineptitudini prævidendi omnes consequentias.

Gradus prohibiti non sunt unius generis: nam matrimonia inter fratres & sorores non sunt ejusdem gradus, ac matrimonium cum filia vel matre.

Leges matrimoniales non tantum de personis, sed & de gradibus intelliguntur. Nam alias neptis posset nubere avo, nepos aviæ, pater filiæ, mater genero; igitur non tantum ad personas restringi potest. Sexus unus non plus habet juris, quam alter. Filius non debet jungi novercæ *Lev.* 18, 8. hinc nec filia vitrico.

Leges matrimoniales non tantum proximitatem ex generatione sed & affinitatem afficiunt.

Tria in matrimonialibus spectanda. Stipes, linea, gradus. Stipes est origo seu persona generationis cujusdam originaria. Linea est collectio cerrarum personarum per consanguinitatem conjunctarum. Dividitur in rectam & collateralem. Recta est inter ascendentes & descendentes. Collateralis est connexio personarum, quæ a communi stipite oriuntur, ut sunt fratrum, sororum, quæ se invicem non genuerunt. Tales si æqualiter distant, linea

nea collaterali æquali distare dicuntur; si personarum harum quædam longius distat a communi stipite, quam altera, tum dicitur linea collateralis inæqualis. Gradus est distantia vel discrimen, quod inter generatos est. Gradus aliter computantur ex jure civili, aliter ex Ecclesiastico. Ex jure Civili valet regula: quot lineæ, tot gradus. Fratres ergo & sorores in secundo gradu connexi sunt, filius cum patre in primo. Ex jure Ecclesiastico æstimantur illi gradus ex distantia personæ remotioris a stipite. Ex jure Ecclesiastico quidem incommoda aliqua oriuntur, sed quoniam magis est in usu, hinc obtemperandum tempori. Incommoda breviter describit S. Rev. B. Dn. D. CANZ cujus verba in Compendio p. 1123. hæc sunt. Computatio graduum ex jure Canonico sua habet incommoda. α) Si relatio duorum Fratrum Germanorum ex jure Canonico infert cognationem primi gradus, tum unius ex illis cum parente connexio, non erit propior, quam illorum est mutua conjunctio: sed illa connexio cum parentibus est propior. Ergo fratres sunt connexi in secundo gradu. β) In linea collaterali inæquali possis quidem scire, quoto gradu a stipite distet

distet remotior: sed quoto gradu a stipite distet alter, nondum determinatur. Secundum Jus civile in schemate



nepos & nepotis fradu concunnicum do. ter quarto gradu nexi sunt, sedum jus Canotantum secundo. Jam Filius cum Patre secundo gradu civili cohæret: At si duo Fratres a communi stipite generati primo gradu canonico cohærent, tum non erit propior nexus inter patrem, quam horum inter se. Nexus vero cum parente est propior. Ergo dicendum fuisset, duos fratres vel filium cum Fratre esse connexos secundo gradu, quod in jure canonico locum non habet, & determinari nequit.

In linea collaterali omnes hi tertio gradu dia stipite. Sed inmodum hoc est, quod sciam quidem remotiorem tertio gradu distare, sed nesciam quoto gradu distet alter. Hinc recte S. R. Dn. D. Canz p. 1123. ait: distet a stipite unus remotior quatuor generationibus,


stant com-

nibus, tum sane uterque, & qui secunda & qui tertia generatione descendit, distabit in quarto gradu.

Sed nos jam computandi regulas juris Canonici discemus. 1) Si scire velim, quo gradu una persona distet ab altera, tum singulæ personæ numerantur, etiam intermediæ, & demitur una; tum scio gradum. Vel si generantes in ascendente & generatos in descendente serie numero, & communem stipitem demo: tum quot sunt generationes, tot sunt gradus. 2. Pro linea collaterali æquali: si quæstio est, quoto gradu Laban & Jacob conjuncti fuerunt, tum personas numero a primo stipite:

Bethuel	*Bethuel*
|	|
Laban	*Rebecca*, *Isaac*
	|
	Jacob.

invenio a prima generante persona numerando tres esse generationes, demta una, remanet, duobus gradibus vel in secundo gradu distare Labanem & Jacobum. 2) Pro linea collaterali inæquali. ex. gr. Isaac generavit Esavum & Jacobum, fratres. Jacobus Dinam.

Quæ-

Quæritur, quoto gradu Esavus & Dina conjungebantur? R. in secundo. Stipes communis erat Isaac; remotior persona erat Dina; quo autem gradu remotior persona distat a communi stipite, eo, demta una, sunt conjuncti.

Jam pro consanguinitate & affinitate notentur regulæ:

1) In linea recta nuptiæ prohibentur in infinitum. 2) In linea collaterali æquali prohibentur nuptiæ inter sorores & fratres, in gradu primo, jure divino. Etiam consobrinis jure Ecclesiastico interdictæ sunt nuptiæ in secundo gradu, dispensatione saltem licitæ. 3) In linea collaterali inæquali interdicuntur nuptiæ in gradu secundo; neque decet virum nubere amitæ, patris sorori; neque fas est materteræ, matris sorori, nubere *Lev.* 18, 12. 13. 20, 19. neque fœminæ patruo vel avunculo; quod etsi non expressum sit, tamen ex eadem ratione patet. Prohibitio tamen in linea collaterali inæquali ultra gradum tertium non extenditur in s. scriptura.

Pro affinitate notetur illam contrahi mediante una persona, vel mediantibus duabus. Quo gradu consanguinitatis nuptiæ interdicuntur, eodem & affinitatis. Hinc I. quia nuptiæ in linea

nea recta sunt prohibitæ, nullus vir novercæ nubat, nulla fœmina vitrico, neque patris uxori privignus. *1 Cor.* 5.

II. Quia in linea collaterali æquali jure divino gradus affinitatis primo gradu prohibentur, igitur inter mariti fratrem non licet nubere.

Quæstio hic exoritur Principis Oetingensis, an quis sororem defunctæ conjugis in matrimonium ducere queat, sed hoc refellitur ex vicinitate carnis. Textus Ebraicus vero male translatus est; ipso WAGENSEILIO, defectu Philosophiæ criticæ, decepto. Plura in hanc rem vide in S. Rever. CANZII Consider. 74. in Conf. Augustanam p. 272. quo in loco res matrimoniales distincte propositas invenies.

III. In linea collaterali inæquali prohibentur conjugia affinium in II. gradu. Viduam patrui non licet ducere, nec avunculi. Sed inter consanguineos conjugum talis propinquitas non dicitur esse impedimento; duo fratres ex usu recepto possunt nubere duabus sororibus. Unus frater qui habet matrem alterius quandam, non impedit, quo minus alter frater prioris filiam ducere possit, sic & sororis privignam licet ducere. Isaaco, Rebecca mortua, Labanis viduam ducere licuisset. Ita conclu-

concludunt ex universalitate canonis, patri & filio matrem simul & filiam, patri & filio sorores duas indulgeri.

Pensitetur ad hæc, quæ habet Elevtherius Taximenes, Philosophiæ criticæ non ignarus, in Libro IV. vom nahen Heyrathen. Multa subinde ta nimis generali regula comprehenduntur. Deberent naturæ principia investigari propius & omne quod analogum est regressui pomorum in succos, vel quod carnis propinquitatem nimis afficit, rescindi.

Ex musica Dominus Elevtherius Taximenes vult quædam afferre, unde disharmonia naturalis turpitudo posset illustrari, sed seculum hæc non fert.

VI. DE INVISIBILIBUS ET NOVISSIMIS.

§. 1.

Jam tandem sapientiæ filius, sensu ad Deum, ad seipsum, ad legem, ad Sensus communis, dum hucusque

pertingit, se ipsum agnoscit tandem.

Christum, ad ecclesiam conversus in eisque exercitatus & elevatus, perque oracula Jesu Christi confirmatus, penitius agnoscit, quid sit ipse ille sensus, quo hactenus veritates percepit. Miratur responsum quod Jesus dedit Sadducæis, qui defectu sensus δυναμεως Θεε, defectu veræ de vita ideæ in errores inciderunt gravissimos, qui deinde sequelas vel apud ipsos Pauli discipulos Corinthi traxere periculosissimas, *1 Cor.* 15. resurrectione physica mortuorum per nescio qualem resurrectionem metaphoricam spiritualius intelligendam in fabulam versa. Erratis, ait Jesus, non cognoscentes scripturas, neque δύναμιν sive potentiam Dei. Sensus tum verbo tum potentiæ Dei insistens fit ὑποςασις, fit consistentia seu firmitas interna. Debet igitur inniti sensus utrique, insistere non tantum verbo sed & potentiæ Dei. Potentiam Dei sentiunt homines, antequam verbo fidem habeant. Si verbo sic præparati fidem habent, tum secundum regulam, habenti dabitur, sentiunt vim Dei multo efficacius, & sic fit ut cum Davide dicant: *Ps.* 71, 16. veniam in potentias Adonai Jehovah, tuæ recordabor justitiæ, tui solius. Si quis in potentias Domini venit, tum

Dum innititur verbo Dei & potentiæ Dei.

ille

ille demum invisibilia & novissima rerum, duo magna fidei objecta, vere agnoscit imo præsentit. Nonne Paulus dicit, potentias æonis futuri posse prægustari. *Hebr.* 6, 5. Hoc qui negat, Sadducæis est similis, nil sensit virtutum divinarum, sed sibi propter universales notiones & discursus ratiocinantes sine sensu mire placet. Multæ omnium sensuum sensatæ experientiæ faciunt demum scientiam, non autem unica & unius, ab illa argumentando, nam & sensus decipitur, & ipsemet se corrigit per alias sensationes & inde tracta judicia. Si quem video eminus, dico, hic est homo; si cominus, dico, hic est Johannes. Ergo universalis notio sine sensu propinquo est sensus languidus & absens. Memoria est sensus evanescens. Discursus sensus extraneus a simili. Sensus autem propinquus est veritas & scintilla sapientiæ, quæ sapit res ut sunt, & quando quid certo novit homo per sensum, tum non quærit ultra rationes a simili. Certe sine sensu multo inferior est homo bestiis. Corvi & pecudes prævident pluvias, vultures & aquilæ bella, halcyones tempestates maris, turtures, coturnices aliæque aves cognatas sibi regiones transmari-

Sensus bene institutus, quem homo habet supra animalia sapit res ut sunt.

nas, canes venationis vestigia. Homo igitur debet habere aliquid altius, sensum ἀϊδίε δυνάμεως καὶ θειότητος, divinationem & præsensionem rerum futurarum; commercium intelligentiarum & angelorum, præcautionem contra orci influxus & malos genios, idque tum demum cum efficacia & sine dubitatione, si per sacras scripturas confirmatur. Quodsi igitur illum hominibus communem sensum, quem præ brutis habent, illam divinationem æternitatis, illum potentiæ Dei tactum internum, illud lucernæ Dei spiraculum, per simplificationem & abstractionem nostri a rebus corporeis Deo patulum tenemus, fidem & orationem exercentes, conjungendo nos cum ipsa Dei potentia per certitudinem ejus ipsius oraculis nixam, & colligendo meditationes in præsentia Dei per amorem in veritate coadunatum, *Col.* 2, 2. tum nihil nobis erit impossibile; si tamen per gradus scalæ Jacobeæ procedamus ordinate Deo confisi nec propriæ innixi sapientiæ.

§. 2.

Mire nos ad sapientiam allectat Salomo, dicendo *Prov.* 3, 13. Jehovah sapientia fundavit terram, statuit cœlos intelligentia, scientia ejus abyssi divisæ

viſæ ſunt, & ſuperiores nubes deſtillant rorem. Fili mi! ne recedant (hæc ſapientiæ exemplaria) ab oculis tuis, cuſtodi eam, quæ vera eſt, ſapientiam & animi præſentiam, & erunt vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Nonne per hæc Salomo nobis commendat illam ſcientiam, quam venientes ab Eoo Magi coluere. Magia igitur eſt ſapientiæ occultæ, quam Deus in creatione mundi exſeruit, analogica cognitio & poſſeſſio. Hanc etſi per exercitationes arithmeticas, geometricas, pyrotechnicas, aſtronomicas multum locupletare poſſis, præcipue quando ſyntheſin & analyſin potentiarum in rebus contentarum retegere, & ſecundum leges actionis & paſſionis extraponere ſtudes, ſique vehicula, quibus ſpirituales corpori cuidam impreſſiones communicantur, internoſcis indagando. Ad hanc tamen tibi multo facilior patet via, ſi te ipſum a te ipſo dividis per crucem Jeſu Chriſti, ſique multiplum cogitationum in ſimplici amoris Chriſti unitate collectum poſſides. Hæc enim eſt magia ſumma. Hujus reſpectu Salvator dixiſſe fertur, citante Clemente Alexandrino Stromatum Lib. I. ex Evangelio ſecundum Hebræos: Qui me digne contemplatur,

Hic ſenſus commendatur a Salomone, & ſub nomine Magiæ innuitur a ſcriptura ſ.

is dominaturus est, & qui dominatur, ad quietem perveniet. Est igitur magia scientia amicorum Dei, potentiæ Dei insistens. Multi eam exercent nescii. Tacitus de mendicis ægrotis Vespasianum rogantibus ait, curatos esse. Quanto magis illi qui per fidem & amorem primæ causæ adhærent, sine multa scientia, faciunt similia vix de magia cogitantes. Sive autem quis hoc nomen intelligat sive non, quid refert, dummodo vim Dei sensu intimo pernoscat? Quoties dixit Salvator: Fides te salvum fecit? Jacob Patriarcha ea usus est in ovibus. Providi concionatores per verba affectus sacri plena multum efficere possunt.

§. 3.

Per hunc sensum cognoscuntur invisibilia. Hæc sunt 1) ipse hic sensus abditus. 2) cœlum & orcus.

Est igitur hic ipse sensus, hæc ipsa magia primum inter invisibilia. Alterum est cœlum & orcus. Multis hæc nomina sunt, voces nihili, maxime seculo hodierno. Sed adeant antiquissimos, legant Hippocratem, videbunt quid sensus communis de his assequatur. Hippocrates de Diæta L. I. C. 5. Lux Jovi, tenebræ orco; Lux orco, tenebræ Jovi, peregrinantur & transferuntur illa huc, hæc illuc, omni tempore, & illa quidem res horum, hæc vero res illorum transigunt. Vide

de & c. 7. Ignis omnia quæ in corpore sunt suo modo distinxit ad universi imitationem, parva ad magna & magna ad parva. Hippocrates igitur primo tenebras, dein ignem & aquam pro summis habet, quibus generationes & corruptiones perficiuntur. Non opus his multum immorari. Sufficit dixisse quadrare hæc ad sensum communem. Quodsi quis hunc sensum excolat, videbit potentias cœli & orci, per quatuor anni tempestates, apertissimas esse, imo influere singulis horis in se ipsum. Nescio quid de eo dicam, quod Augustinus Libro de divinatione dæmonum innuere videtur; divinare dæmones ob id, quod habeant corpus tenue aëreum, aptum pati facile, hancque passionem esse sensum & sagacitatem, atque ex pauca præparatione in causis argumentari effectus celeriter. Quidquid sit de hoc, certe jam HOMERUS cecinit: Talis est animus hominum, qualem quotidie summus fert Jupiter altes vel aër. In summa; sensus rusticorum & hortulanorum cogitur agnoscere dari cœli virium per Zodiacum traductionem, unde excitatio & restauratio annua virtutum seminalium terræ. Vis vero Plastica ex aëre vel fortasse ex spatiis superioribus

magnetice attrahitur, & quum singulis horis compositioni specierum externæ conformis sit resolutio virium interna, hæc ipsa resolutio interna typum habere debet in vi plastica ideali, quæ semper transfundit similia in alias radices potentiarum, & transsumit potentias ab impulsibus aëris externis in rei interiora. Videntur mihi species rerum esse aggregatio virium cœli seu cœlestis ætheris, qui diffusionem potentiarum vitalium secundum tales numeros peragit, in quibus omnes possibiles combinationes & complexus unitatum continentur, quibus idealis origo corporum formatorum sese explicat. Æther ille, in omnibus etiam lapidibus existens vitam in omnibus non æqualiter perficit; in lapidibus certe aliter ac in animalibus & herbis, quia lapidibus organa ad motum non insunt, ut his, in quibus motus, reciproci impulsus & vibrationes potentiarum universalium in taxi harmonica cum igne vitali interno æquabiliter procedunt. Ex Philosophia electrica, nec non NEUTONI, systole & diastole, sive receptio & emissio spirituum & ætheris in omnibus est, tantum cum differentia, quod alias regulas animalia, alias vegetabilia, alias mineralia

observent. Lux & ignis in propagatione virium statices quid analogum habent. Hoc staticum tamen secundum NEUTONUM est supra-mechanicum, ex viribus vitæ centralibus, quæ certe semper a Deo libere secundum regulas subministrantur. Vires inferiores occurrunt superioribus, superiores inferioribus, & quia quævis atomus molis in supra-mechanica vita elevatur in activitatem, eadem lex in omnibus obtinet.

§. 4.

Postquam 1. de magia, 2. de cœlo & orco diximus, quæ ad invisibilia pertinent; Tertium est de bonis & malis geniis in medium proferre, quæ sensus communis subodoratur. Hiobus & præcipue Eliphas, quamvis fortissimas a geniis perceptiones hausere, tamen non potuere eo pertingere inferendo, ut causas tales liberas intelligentes in præsenti casu agnoverint fuisse origines stragis Jobeæ. Datur itaque sensus bonorum malorumque geniorum sed fluctuans. Quum vero sensus multorum de his & similibus conferantur, dabunt se conclusiones sequentes: 1) Gubernatio mundi non potest consistere sine intelligentiis. 2) Omnium motionum effectus ad uni-

3) boni & mali genii.

versi, inprimis autem humanitatis bonum, ad cognitionem Dei & vitam rectam tendentes, ab intelligentiarum ordinibus diriguntur, formantur, impediuntur, Deo ita jubente. 3) Motionum effecta, quæ ad turbam universi, Dei contumeliam, propagandam ignorantiam, ad errores & mendacia extollenda tendunt, a malignis oriri geniis. 4) Consilia hominum omnia nimis hebetia sunt, ad bonum universi promovendum, nisi intelligentiæ Deo vicinæ remoras tollant & ad nutum providentiæ suppetias ferant, etsi mediis in speciem naturalissimis quia ordinatissimis id fiat. 5) Fieri non potuisset, ut regnum Satanæ inde a tot mille annis per meram hominum stultitiam & peccata tantopere accreverit, nisi colluvies spirituum malignorum directionem obtinuisset, cui homines saltem ut instrumenta præsto fuere. 6) Fascinationes atque necromanticas artes sine læsæ majestatis divinæ crimine nemo committit. Passi sunt malefici lucem rationis omnem sibi extingui. 7) Facinora omnia primo contra conscientiam, postea sine remorsibus patrata ulterioribus indicio sunt, spiritum Dei præsentia nil efficere amplius posse in talibus, veritatemque

que ab induratione oppreſſam eſſe. 8) Qui ſe artibus Pſevdomagicis manciparunt, & ſumma & voluntaria veritatis ignorantia ſe decipi paſſi ſunt a ſpiritibus occultiſſime plurimum, rarius aperte cum hominibus communionem habentibus. Philoſophicis illi mediis non corriguntur, ſed divina vi opus eſt. 9) Spiritus maligni non ſunt ſine vehiculis animalibus, vel igneæ vel æthereæ vel aëreæ vel aqueæ &c. naturæ. 10) Naturæ rerum & ipſi conformiter agere debent, noſſe rerum cauſas, vim idearum operatricium, tum imaginativarum, tum ſeminibus propagatarum habere exploratam, ſaltim ſpiritus principes. Hinc eſt in hominibus quidquam quaſi calculo ad philavtiam omnia exigens, coagitatione non reflexa, ſed directa. 11) Antiqui præſtitere modernis, qui plus impenderunt ſtudii ad explorandam dæmonum naturam & exiſtentiam. Certum eſt, intelligentias angelicas ſpatium occupantes incorruptibile, mundi noëtici & archetypici perquam gnaros eſſe, adeoque dynamicas & chymicas rerum vires ratione maxime arithmetica & geometrica perſpectas habere, nec non legum ex numeris & figuris in materia reſultantium tenaciſſimas

simas atque observantissimas esse, eorum vero commercium nonnisi purissimis & quietissimis & ordinatissimis hominum esse compertum. Hominibus inordinatis, præcipitibus, sensuque numinis in corde præsentis destitutis nil de eis innotescit. Unum adhuc de loco intelligentiarum dico, esse difficillime explicabilem rem. NEUTONUS spatium esse dicit sensorium Dei, quod decenti opus habet dilucidatione.

§. 5.

Intelligentiæ agunt pro ratione causarum secundarum, quæ rationem habent musicæ. Clavichordium Ducis Florentiæ.

Civitas Dei in sacra revelatione spatiis solidissimis atque diaphanis propriissime depicta est, ostenditque intelligentias locis suis concludi, sed tamen etiam verum est, omnes intelligentias & vitas non tantum in certo loco, sed & in se esse, & sic cum mundanis principiis nexum habere. De stellis tanto numero fulgentibus, quid sint, hominum sensus parum assequitur. Zodiacum & illam stellarum seriem, circa quas terra rotatur, habere influxum in aërem, certum est, & illud quod inter stellas & terram interjacet spatium esse plenum viribus valde mobilibus etiam certum, sed non nisi magi astrologiæ gnari de stellis & eorum in aërem influxu conclusiones faciunt fœcundas. Videtur in abysso telluris aliquid respon-

ſpondere ſtellis, quod per illas excitatur. Si tanta eſt ſymphonia & ſympathia ſtellarum cum rebus & ſpeciebus terræ, ut Hippocrates docet, ſi ſitus ſtellarum ſeſe habet ut actuans rerum generabilium, tum non eſt de nihilo nativitatem hominis expendere ſecundum vires cœli, tum vitam cujusvis muſica quædam repræſentaret, quæ in inſtrumento quodam Magni Ducis Florentiæ peragitur. Habet ille Dux clavichordium diviſione ſonorum Zodiacum & diſtantias planetarum nec non vitæ cyclum cylindro referens, cujus in peripheria characteres eventuum, cadentiæ & melodiarum genera inſcripta ſunt, tactus vero ſeu menſura notarum dies, annos omnemque periodum temporis, qua quilibet eventus includitur, deſignant, a momento conceptionis usque ad partus excluſionem, per tempora moræ in utero, eventuum & operationum. Axes in cylindro vitæ ita figuntur, ut omnis conſonantia vitæ tranſigendæ ex harmonicis intervallis divinari queat. Si hoc eſt, ſtellæ ipſæ ad στοιχεια univerſi pertinent, adeo ut tellure concidente ſtellæ ipſæ, ſaltem aliquæ, certi ordinis mutationem, patiantur. Omnia videntur alterari & in chaos redire unde venerunt.

An

An in horum numero sint ipsæ stellæ magna est quæstio. Quidam moderni Metaphysici corpora innumera statuunt, mundumque infinitum. Neutoniani Physici experimentis ne quidem fidunt suis ad tantam concludendi audaciam. Diximus supra loco de ecclesia, de motu creationis & motu consummationis rerum, cui interjacet motus inde a conceptione & morte Jesu per superiora & inferiora pervadens. Concludo, quæ primo creationis motu producta sunt ex invisibilibus, eousque tandem ultimo motu subtiliari & a purgamentis defæcari donec Deo conveniant. Hoc vero an particulariter fiat in partibus universi, an universaliter in toto cum ignarissimis ignoro. Docebit hoc dies extremus, dies patefactionis rerum. Hoc unum volo, stellas tunc longe aliter concipi debere, ac corpora mundi systemati solari analoga. Ex sacra scriptura quædam colligere datur magis clara.

§. 6.

4) Mors & status post mortem.

Jam de morte, de statu post mortem, de statu melioris temporis, judicio, inferno & consummatione rerum supersunt quædam dicenda, quoad sensui communi pervia sunt. Fabulæ antiquissimæ, quas Petrus dicit sapienter con-

constructas, huc quædam afferre possent, sed quia vereor ne nimis diffundar, ablego lectorem ad Baconis Verulamii librum de sapientia veterum. Est quoque sensus quidam communis adeptorum, qui multa de his & ardua tradit, sed ille sensus valet tantum inter illos. Illi experimentis sciunt, quod plebs divinat. Legatur novum lumen chemicum SENDIVOGII, inveniuntur ibi ex naturæ sensu quæ huc faciunt.

Mortem esse clamat sensus mortalium. Dissolvi corpus & resolvi in chaos; animam abire eo unde venit, omnibus patet.

Status post mortem quis sit hoc per se nesciunt mortales. Præsentiunt tamen aliquid vel beatum vel terrificum. Campos Elysios & Acherontis diversoria VIRGILIUS describit, sed plerisque manent fabulæ. Dari dæmonia, PLATONI & SOCRATI fuit notius quam nobis. Et tamen SOCRATES, qui quamdiu ipse in vivis erat, de immortalitate animæ tam confidenter ad alios loquebatur, ipse moriturus dubie prænunciat de illa. Etiam CICERO Famil. L. V. Epist. 16. quantumcunque alias de immortalitate convictus, dubie tamen TITIUM per immortalitatem solatur.

§. 7.

§. 7.

5) Status melioris temporis.

Statum melioris temporis in terra tandem futurum Sibyllæ prædixerunt, quæ quamvis ab Aristotele cum Bacchis comparentur, atque a GALENO morbosæ habeantur, tamen illa quæ Messiam & ejus regnum prædixit, divina fuit, quam CICERO citat, ac falsam esse cupit, ne Respublica Romana in illius dominium caderet, nec putat esse veram prophetiam, propterea quod primæ singulorum versuum literæ copulatæ nominent quendam redemtorem per crucem. Hoc autem ipsi videtur impossibile, quoniam prophetæ post furorem nesciunt quid dixerint, nec in ipso furore possunt componere versus. Inde clarescit regnum Christi in terris non esse objectum sensus communis. Si vero per Sibyllas divinatio quædam in aliquibus excitata fuit illius, illi certe sensum erectiorem quam CICERO habuere.

§. 8.

6) Resurrectio.

De resurrectione præludia sciunt adepti, per menstruum suum primum παλιγγενεσιαν florum ex cineribus resuscitantes. Sed quoniam hoc rarum est, hinc Deus præfigurationi resurrectionis consuluit per maxime obvia, per erucas, in papiliones transformandas.

das. Legatur in hunc finem Spectacle de la nature, Tom. I. part. I. p. 56. Ita ait auctor ille: He qui pourroit n'etre pas frappé de ce petit miracle de la nature! Qu'on ouvre une de ces chrysalides, dont l'êtat est le passage de la forme de chenille a celle de papillon, vous n'y trouverez, sur tout au commençement, qu'une bouillie ou une sorte de pourriture apparente, ou tout est confondu. C'est cependant dans cette pourriture, qu'est le germe d'une meilleure vie: ces humeurs transpirent peu a peu au travers de la pellicule qui les contient: la pellicule acquiert insensiblement une couleur plus vermeile: les traits qui etoit confus commencent a se demeler au travers du foureau qui se creve: la tete se degage, les antennes s'elongent, les pattes & les ailes s'etendent: enfin le papillon vole, & ne conserve rien de son premier etat. La chenille qui s'est changée en nymphe, & le papillon qui en sort, sont deux animaux totalement differens. La premier n'avoit rien que de terrestre, & rampoit avec pesanteur: le seconde est l'agilite meme, il ne tient plus a la terre, il dedaigne en quelque sorte de s'y poser. Le premier etoit heriſſé & sou-

vent d'un aſpect hideux: l'autre eſt paré de plus vives couleurs. Le premier ſe bornoit ſtupidement a une nourriture groſſiere: celui-ci va de fleur en fleur, il vit de miel & de roſée, & varie continuellement ſes plaiſirs: il jouit en liberté de toute la nature, & il l'embellit lui meme. Voila un image bien agreable de notre propre reſurrection. Toute la nature eſt plein d'images ſenſibles des choſes celeſtes & des verités les plus ſublimes. Il y a un profit certain a l'etudier, & c'eſt une Theologie qui eſt toujours bien reçue, parcequ' elle eſt toujours entendue. Le plus grand de tous les maitres, ou plutot notre unique maitre, nous a enſeigné cette methode, en tirant la plupart de ſes inſtructions des objets les plus communs, que la nature lui preſentoit, & il nous a montré en particulier l'image de ſa reſurrection dans le grain de froment qui demeure ſeul, tant qu'il n'eſt pas mort, mais qui etant pourri & mort en terre produit beaucoup de fruit.

§. 9.

7) Judicium extremum. De judicio extremo nulla melior in ſenſum incurrit demonſtratio, quam ipſa tot facinorum impunitorum divina permiſſio. Unde Salomo ſenſus hujus

hujus interpres ita infit, *Eccl.* 3, 15. 16. 17. Deus ipse tandem repetet inter se consequentia. Nam adhuc respiciens sub sole, loco juris ibi improbitatem, loco inquam justitiæ ibi improbitatem esse; Dixi ego cum animo meo justum & improbum ipsum judicaturus est Deus: quia tempus quidem est cuique voluntati; sed super omne factum ibi est, scilicet judicium.

§. 10.

8) Infernus.

De inferno possunt quidem multi multa præsentire, possunt concludere, futuros, qui torqueant illos pœnis, facinoribus analogis; hinc sensus communis veterum fabulis de furiis fuit depictus, & qui se revelationis ignari per hoc a criminibus deterreri patiuntur, illi experientur Deum esse remuneratorem cujusvis bonæ cogitationis, quam a Deo accepere. Interim tamen certi quid absque revelatione non datur. Si tamen lector Hiobum sine revelatione scripturæ velut interpretem sensus pœnarum infernalium audire vult, illi instar omnium esse potest. *cap.* 27, 19-23. Describitur ibi sensatio hypocritæ in inferno, vel saltim in statu post mortem: Cubabit ut dives (scil. in hoc mundo) sed ut nihilum colligetur (scilicet in illum mundum)

ubi aperit oculos suos & nihil adest. Assequitur eum velut aquæ terrorum multitudo, noctu furtim abripit eum turbo. Asportat ipsum Eurus, & abeundum est ei; & in morem procellæ corripit eum e loco suo. Circumponet se circa illum (scil. Eurus infernalis) neque parcet, (utut misericordiam imploret) utut ab ejus manu fugiendo effugere conabitur. (Imagines irruentis iræ Dei in animam corpore solutam.) Plaudet super ipsum (adspectator cœlestis) & exsibilabit, quoniam e loco suo avulsus est.

§. 11.

9) Consummatio rerum.

Consummatio rerum sensui hominum occulta est, pendet enim a causa libera. Impii facile sibi imponunt manere omnia ut ab initio; Pii autem ex magnitudine operum Dei finem revolvendo appetentium, arguunt consummationem rerum illustrem in creatoris gloriam.

§. 12.

Post sensus communis notiones dicitur, quid ex s. scriptura de invisibilibus hauriamus.

His de sensu communi præmissis, ea ipsa quæ hucusque tradita sunt oraculis scripturæ muniemus, ut pateat, quo tendant prophetarum & Johannis Apocalypseos scriptoris dicta. Prophetæ de systemate rerum profundas & genuinas habuere impressiones; sed distin-

distinctius Johanne nemo. Ipsorum ideæ de partibus mundi superioris, medii & inferioris fuere basis quædam, super qua excepere reliquas fidei perceptiones. Hinc sufficiunt, quousque nobis necesse est, ut fides seculi præsentis ex una parte adhuc caligine velata, ex altera verbi firma demonstratione res & actiones invisibiles habens revelatas, olim triumphet apertâ tunc fidei & intuitus concordiâ, dicendo secundum *Ps.* 48, 9. ut audivimus sic videmus in civitate domini Zebaoth. Legunt multi Prophetas & Apocalypsin sed ut disjectas scopas, non considerant res objectas ex uno visus centro in universum quendam Horizontem terminatas, & justo ordine coagmentatas, quemadmodum nobis Johannes eas delineat. Prophetas Johannes superavit omnes. Fuit secundum Avicennam Physicus summus & adeptus. Canunt odæ antiquæ de illo, citante BECHERO C. IV. Supplem. in Physica subterr.

Præmittitur aliquid de profunda prophetarum scientia invisibilium.

Inexhaustum fert thesaurum,
Qui de virgis fecit aurum,
Gemmas de lapidibus.

Prophetæ visiones habuere secundum imagines opificiorum suorum. Amos videt uncinos & vaccas, plaustrum

onustum fœno stridens, trullam cementarii, quoniam rusticus erat. Jesajas nobilis videt templum, in eoque dominum gloriæ. Daniel, Aulicus videt statuam diversorum regnorum. Johannes piscator non tantum de piscibus, sed de universa rerum natura instructus, auri diaphani indolem & gemmarum diversos characteres scivit, hinc omnia maxima & minima stilo curiæ cœlestis assequi & describere aptus erat.

§. 13.

Ad hujus igitur ductum attendamus ad duo Apocalypseos objecta; 1) Ad res vitales invisibiles sive sub visibilibus sive per se ostensas, ut sunt α) cœlum & vires cœli, unde in ipso cœlo a throno gloriæ fulgura, tonitrua, voces exeunt; e regione throni pandit se mare crystallinum igne mixtum. Supra horizontem erant stellæ. β) terra & vires terræ, unde venti quatuor plagarum terræ ab angelis directi; γ) abyssus, unde tenebræ, potestates tenebrarum, cavernæ subterraneæ, generationes abyssi. δ) Spatia intermedia inter cœlum terram & abyssum, in quibus ipsi Johanni apparuit amphitheatrum revelationis cum in Spiritu esset in cœlum adscendere jussus. 2) Futura novissima, inter quæ sunt α) mors prima & secunda; β) status post mortem tum felix tum infe-

Invisibilia in Apocalypsi depicta sunt maxime

I. cœlum & vires cœli, terra,

Abyssus, spatia interjecta.

II. Futura mors prima & secunda status post

infelix; γ) fata terræ certis temporibus inclusa; δ) status regni in terra adhuc exspectandi & incarceratio Satanæ in abyssum; ε) resurrectio prima & reliquorum; ζ) conflagratio telluris & judicium; η) nova Jerusalem & lacus igneus una cum regionibus terræ novæ extra Jerusalem.

mortem, fata temporibus inclusa, status regni Christi in terris, resurrectio, judicium, nova Jerusalem.

§. 14.

Jam inter invisibilia primum est cœlum cum viribus suis. De cœlo multa in scripturis mentio, & magni interest notiones cœli habere non vagas sed fixas. Primum quod occurrit est, quod cœlos expansum vocaverit Deus, & quod supra hos cœlos sint aquæ supracœlestes, quas David ipse adhuc distinxit a cœlis. *Gen.* 1, 6. 7. 8. *Ps.* 148, 4. Hæ aquæ supracœlestes etsi denominatione distinguantur a cœlis, tamen ex illo ipso ℣. 4. *Ps.* 148, videntur esse cum cœlis conjunctæ, & circumfundere solem, lunam, stellas; videntur esse sedes virium cœlestium & rotarum Ezechielis, *c.* 1. Ille qui lucem primigeniam diei primæ, & aquas supracœlestes post extractionem lucis ex aquis a Spiritu incubatis & residuis, & cœlum etiam ipsum ex aquis tractum, & aquas inferiores ejusdem progeniei ex aqua prima incubata discernere & explicare poterit physice,

Ideæ scripturariæ de cœlis.

is mihi magnus erit Apollo. Notari merentur loca quæ de cœlis præcipue agunt. Dixit Rahab ad exploratores: Dominus Deus vester ille est Deus tam in cœlis supra, quam in terra infra. *Jos.* 2, 11. Levitæ jubent laudare Dominum his verbis: Tu ille Jehovah solus es, tu fecisti cœlos, cœlorum cœlos & omnem exercitum eorum, terram & omnia quæ super illam, maria & omnia quæ insunt illis, & tu vivificans omnia ista, & exercitus cœlorum adorantes. *Neh.* 9, 6. *Ps.* 19, 1. Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat expansum. Salomo *1 Reg.* 8, 27. in dedicatione templi inquit: Quæso quantum est, quod Deus habitare velit super terram, ecce cœli & cœlorum cœli non capient te, quanto minus domus hæc quam ædificavi. *2 Chron.* 6, 18. extat idem dictum. *2 Chron.* 2, 5. inquit Salomo: Quis obtineat vim ei ædificandi domum, quum cœli & cœli cœlorum non capiant eum, & quis sum ego ut ædificem ei domum, nisi ut adoleatur coram eo. *Jer.* 10, 12. Qui fecit terram virtute sua, stabilivit orbem habitabilem sapientia sua, & intelligentia sua extendit cœlos. *c.* 23, 23. 24. An Deus e propinquo sum ego? dictum Jehovæ; ac an non Deus

Deus e longinquo? an deliteſcere poteſt quisquam in latebris, ut ego non videam ipſum? dictum Jehovæ: An non cœlos & terram ego impleo? dictum Jehovæ.

§. 15.

Terra etſi viſibilis, tamen ratione ortus ſui ex aqua, & ratione ignis in terra theſaurizati & abſconditi *2 Petr.* 3, 5. 7. pertinet ad objecta fidei inviſibilia. In Apocalypſi notabile eſt, quatuor plagas terræ & in illis quatuor ventos ſub adminiſtratione angelorum ſtare. *Apoc.* 7, 1. 2. De terra.

§. 16.

Tertio abyſſus pertinet ad inviſibilia; quia ſine Spiritus ſancti indicio neſciremus, quantum hæc regio tenebrarum influat in ea, quæ ſub Dei gubernatione ſunt. Notanda eſt primo diviſio illa apocalyptica *c.* 5, 3. nemo poterat neque in cœlo neque in terra neque ſubter terram aperire librum. Ceterum expreſſa mentio abyſſi occurrit *Apoc.* 9, 1. 2. 11. 11, 7. 17, 8. 20, 1. 3. eſtque regio tenebrarum tertii diei denſiſſima, tenebræ enim primi & ſecundi diei non fuerunt adeo denſæ. Homo tenebras infernales has in ſe ipſo habet, ut ipſe macrocoſmus. *Jac.* 3, 16. Ubi dicitur, rotam naturæ humanæ De Abyſſo.

incendi a gehenna per abusum loquelæ. De gradibus tenebrarum notatu digna habet Hiobus *c.* 3, 4. 10, 21. 22. vide Analysin meam Hiobi p. 267. Propter lucem ab angelis malis retractam dicuntur illi a Petro catenis tenebrarum tartarisati. Plura hic non addo; hæc pro indice sufficiunt.

§. 17.

De spatiis interjectis.

Progredior ad quartum, scilicet spatia intermedia inter cœlum, terram & abyssum. Nam variæ mutationes in Apocalypsi indicatæ mox ex terra, mox ex cœlo, mox ex Abysso prodeunt, & videntur in spatiis peragi interjectis. Est quoque non infrequens ibi mentio tum angelorum, tum animarum beatarum, tum damnatarum. Sed nil difficilius est quam de horum singulorum locis & spatiis intelligibile quid ex scripturis determinare. Post judicium extremum res est clarior; sed ante hoc locus quis sit ignoratur multum.

§. 18.

De spatiis & habitaculis Angelorum aliorumque ubi agitur 1) de Angelis 2) de loco animarum beatarum.

Eruam ex scripturis quantumcunque licet, primo de angelis & throno gloriæ; deinde de loco animarum beatarum ante judicium; tertio de loco damnatorum ante judicium; quarto de reliquis huc pertinentibus. Angeli

Pss.

Pſ. 103, 20. 21. dividuntur tum in eos, qui faciunt verbum Dei, tum in eos qui faciunt beneplacitum Dei. Adſcribam integros verſus. ℣. 19. Jehovah in cœlis ſtabilivit ſolium ſuum & regnum ipſius ſuper omnia dominatur. ℣. 20. Benedicite Jehovæ angeli ejus, valentes robore, efficientes verbum ejus ut audiatur vox verbi ejus. ℣. 21. Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus; miniſtri ejus facientes beneplacitum ejus. ℣. 22. Benedicite Jehovæ omnia opera ejus, in omnibus locis dominationis ejus. Angeli verbi Dei efficiunt ut ordo naturæ & elementorum finibus Dei harmonice præordinatis ita reſpondeat, ut ab intelligentibus cognoſci & audiri poſſit, tanquam verbum ex vocalibus & conſonantibus, ex activo & paſſivo, ex formali & materiali, ex volatili & fixo compoſitum. Angeli beneplaciti faciunt ea ſervitiis immediatis coram throno Dei, quæ ad diviniſſimum libertatis ſummæ characterem extollendum conferunt. Ab illis principia in ſuis principiatis ad prædeſtinatos ſcopos directa continentur in ordine. Datur enim lucta & pugna principiorum in principiatis naturalibus, quibus voluntatis noſtræ arbitrium & angelorum concurſus victoriam

3) de loco pœnis obnoxiorum ante judicium.
4) de inſtrumentis Dei.
1) de Angelis eorumque habitaculis.

ctoriam assignare videtur: Avertunt angeli quoque influxus malos ex abysso. *Psal.* 91, 4. 5. 6. *Apoc.* 9, 3. 4. Ab his filiorum Dei destinationes liberrimæ divinæ quandoque supra cursum naturæ adjuvantur. Porro dicitur *Psal.* 104, 4. angelos suos facit ventos seu Spiritus subtiles, ministros suos ignem urentem. Potest lector illos ad angelos verbi, hos etiam *Psal.* 103. ministros dictos ad angelos beneplaciti referre. Utrumque genus angelorum tum localiter tum moraliter ad thronum gloriæ Dei respicere necesse habet. Thronus gloriæ Dei est manifestatio Dei in spatio quodam cœlesti divinitus electo. Angelorum beneplaciti spatia respectum habent ad thronum Dei. Sic currus Dei *Psal.* 68, 18. dicitur constare ex multis millibus in se ductis, supra quæ ipse thronus gloriæ fuit. Hic thronus gloriæ dicitur in hoc ipso Psalmo fuisse supra Sinai. Concludo hinc Deum sibi eligere spatium manifestationis suæ ubi vult. Interim non nego esse in immensitate Dei fontem & centrum ubi se manifestat sanctitas Dei in respectu ad totum universum, seu in relatione ad omnes mansiones domus patris cœlestis. Huc pertinent dicta, *Jer.* 17, 12. *Psal.* 103, 19. *Apocal.* 4, 2. 6.

4, 2-6. Sic septem spiritus Dei sunt in immensitate Dei ubique *Zach.* 10, 4. Sunt tamen etiam e regione throni Dei. Sunt in medio throni Dei ipsi oculi & cornua agni. Habent igitur præter omnipræsentiam, etiam præsentiam manifestativam sui in certo loco.

§. 19.

Conjectura de stellis ut habitatis & de earum respectu ad tellurem, in qua Christus natus est.

Liceat mihi proferre sententiam quandam non sine vestigiis verbi Dei conceptam, salvo perspicaciorum judicio. *Hiob* 38, 7. dicuntur angeli ut stellæ matutinæ laudasse Deum cum terra crearetur, & Judæ. ℣. 6. dicuntur angeli principatum suum non servasse, sed proprium habitaculum deseruisse. Porro dicit Jesus Dominus se daturum victori stellam matutinam, *Apoc.* 2, 28. Colligo hinc 1) stellas posse fieri habitacula intelligentiarum, imo esse actu. 2) Angelos saltim certi ordinis habere sua habitacula, e quibus emigrare possunt. Si emigrant sine jussu divino sunt inobedientes, si jussu Dei mutant locum, tum sunt legati & ministri Dei. 3) Illas stellas habere respectum ad locum manifestationis Dei, ubi earum incolæ certis vicibus adsunt, & redeunt inde denuo ad locum proprium. 4) Angelos inobe-

obedientes delectari circumvagando extra locum suum. *Eph.* 6, 12. εν τοις επουρανιοις, quatenus tenebræ hujus mundi vel ipse aër ipsis admixtus est, *c.* 2, 2. hinc dicuntur in cœlis instruxisse prælium & inde fuisse detrusi. *Apoc.* 12, 7. 8. Patet ex his esse certa spatia, quibus insunt intelligentiæ sive bonæ sive malæ. Quarum regionum sunt incolæ, ibi ordinarium opus eorum est laudare Deum, *Ps.* 8, 1. Si Deum laudant certe opera adesse debent propter quæ laudent. Opera sunt vel in ipsis suis habitaculis vel extra illa. Non inveniunt in suis sufficientes rationes laudandi Dei de operibus totius universi, ergo quærunt extra habitaculum suum, in terra nostra, rationes plenas propter incarnationem filii Dei. Propter hoc stellæ matutinæ jam ante creationem gavisæ sunt, Christo autem in terris nato multitudo cœlestium exercituum horum lætata est maxime, & post mortem & exaltationem Christi variis principatibus & dominatibus angelorum demum innotuit multiformis sapientia Dei & semper magis innotescet in ecclesia. *Eph.* 3, 10. Concludo hinc stellas secundum rationes archetypicas sapientiæ æternæ in Christo capite ecclesiæ

siæ latentes, hinc inde certis harmonicis intervallis locatas esse; angelos harmoniam cujusvis stellæ cum tota universitate rerum haud valentes penetrare, singularem ad terram nostram, in qua ecclesia habitat, contemplationem exercere. Nam sine Christo clavis sapientiæ illius latuisset illos. Contemplantur Deum, sed lux nimia efficit, ut facies suas velare debeant. *Jes.* 6, 2. Hinc contemplantur etiam specula Dei, mundum. Contemplantur mundum, sed non possunt penetrare vitam mundi, nisi contemplentur Christum & ecclesiam. Hunc hiatum pervidentes, in Jesu Christo unica eorum est expectatio ad sufficientiam laudis divinæ. Ipsa natura angelis non retecta fuisset nisi per harmoniam stellarum cum terra. Nisi vero λογος factus fuisset caro, centrum hujus harmoniæ, plenitudo divinitatis corporaliter in humanitate habitans, seu effigies Trinitatis corporaliter expressa, nunquam fuisset agnita. Hinc angeli plena laudis divinæ avidissimi, etsi semper faciem patris in cœlis videant, tamen mire delectantur infantibus, illisque servire cupiunt ob profundas rationes, *Ps.* 8, 3. 4. jam a Davide pervisas, ubi dicit: Ex ore infantum & lactentium robur

tibi

tibi comparasti, propter inimicos tuos, ut ad silentium redigatur & cesset a conviciis hostis & vindictæ cupidus Etenim per hoc videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ parasti. Ecce quam mirabilis hæc sit connexio, & quam amabilis aspectus sit stellarum, non tantum more Fontenellii in libro de pluralitate mundorum, sed hoc respectu consideratarum. Jam quamvis sol septies septem vicibus, schibhataim keor schibhat hajammim, clarius & intensius splendebit, quam nunc splendet, & lunæ splendor tum erit ut jam solis splendor, *Jes.* 30, 26. tamen lunam pudebit sui nitoris, & sol erubescet, quando Dominus Zebaoth erit rex super montem Zion & in Jerusalem, & coram Senioribus suis in gloria. *c.* 24, 23. Stellæ igitur manebunt, & tamen quia scriptura non potest frangi, stellæ etiam aliquæ concident in terram sicut ficus abjicit grossos suos, quum vento magno concutitur. *Apoc.* 6, 13. Stellæ scilicet in systemate planetario nostro, quando potentiæ cœli conquassabuntur, atque omnia sursum & deorsum in chaos recident ad restitutionem longe illustriorem. Quid de stellis fixis sit futurum hoc scit Deus.

Stellæ

Stellæ fixæ videntur esse receptacula potentiarum Dei corporaliter manifestatarum. Ita possunt decidere, dissolvi, & in aliud systema rerum compingi; quemadmodum FONTENELLIUS ex annalibus Chinensibus casum allegat, in fine discursus de pluralitate mundorum: nil certi scimus de his. Contenti simus loco Psalmi octavo, quo dicitur se visurum cœlos, lunam & stellas olim; nunc vero se mirari hominis destinationes. In eo Socrates totus fuit, irridens illis, qui præcociter stellas rimantur, obliti suorum. Si manebunt illæ post renovationem cyclo, a B. BENGELIO divinitus invento destinatæ, ad signandum æonum cursum; possunt etiam manere stellæ fixæ, ut per æonas æonum habeant angeli & homines materiam laudis Dei ob harmoniam stellarum cum terra, in qua Christus exaltatus est. Occurrunt quædam in Apocalypsi, quæ hic breviter indicabo tantum, meditationi relinquenda, quando cum reliquis conferentur, ut *c.* 8, 10. cecidisse stellam magnam de cœlo in terram, ardentem facis more, cujus nomen absinthium, quæ fluenta Africæ exsiccavit. *c.* 9, 1. cecidisse stellam de cœlo in terram, cui data sit clavis ad puteum abyssi, unde

fumus nocivus exiit. Ipse lector judicet, annon hic incolæ ex talibus stellis delegati innuantur. Porro angelus nominatur potestatem habens super ignem. *c.* 14, 18. Angelus phialam tertiam dicitur effundere in aquas. *cap.* 16, 4. Sic & *Joh.* 5, 4. angelus certis temporibus aquam Bethesdæ movisse dicitur. Fit quoque mentio angelorum IV. Euphratis ad internecionem paratorum. *Apoc.* 9, 15. Porro fit mentio non tantum igni & aquis præesse angelos, sed & aëri & ventis, *cap.* 16, 17. Etiam angeli quatuor sunt præsides ventorum cardinalium, ad orientem occidentem meridiem & septentrionem, *c.* 7, 1-3. Angelus orientis jussa dedit angelis similiter quatuor nocivis, ne grassentur, nisi illi prius obsignaverint electos. Concludimus ex his dari per angelos maxima gubernationis divinæ decreta executioni. Ceterum de magna Angelorum statura, *c.* 21, 12. 10, 5. de forma equorum igneorum notari debet, *1 Reg.* 2, 11. 6, 17. niveorum, *Apoc.* 19, 11. 14. Nam hinc apparet placere Jesu Christo & superis in spatiis circumscriptis apparere, & sub certis vehiculis; id quod sane rationi videtur indignum, sed tanto dignius in systemate rerum cœlestium.

§. 20.

§. 20.

Secundum est de animis beatorum. Vivunt certe coram throno Dei & habent loca sua, aliquæ sub altari magno numero; *Apoc.* 6, 9. aliquæ ad mare crystallinum 15, 2. aliquæ copia innumerabili coram throno Dei; 7, 9. Illæ videntur resurrectionis jam participes factæ, redeunt enim ut Christus ipse cum corporibus indutæ serico & equis albis vectæ, *c.* 19, 14. *1 Thess.* 4, 14. quibus vindictam in angelos rebelles & omnes impios exercebit. Dicuntur aliæ esse in manu Dei, requiescere in manu Dei, nullo dolore tactæ; *Jes.* 57, 2. *Sap.* 3, 1. 2. 3. Manus Dei est spatium certum cui insunt; mansio ex mansionibus multis. *Joh.* 14, 2. Sunt quæ non reviviscunt nisi post tempus magnum elapsum. *c.* 20, 5. Earum mors dicitur somnus, dicuntur κοιμηθηναι obdormivisse. *1 Thess.* 4, 13. 14. 15. Variat quoque status pro ratione temporum divinorum. Multis enim pro tempore beatior sors obtingit, quam prædecessoribus. *Apoc.* 14, 13. Hinc longe alius fuit status Hiobi tempore. *c.* 3, 11-13. 10, 20-22. & patrum, ac nunc. De loco animarum beatarum ante judicium.

§. 21.

Tertio dicendum est aliquid de statu damnatorum. Damnati non dicuntur De statu & loco damnatarum ante judicium.

tur obdormisse, sed phantasmatis prioris vitæ cingi, suntque in loco, ἐν φυλακαῖς. *1 Petr.* 3, 19. quorsum Dominus descendit. Qualem quisque cogitationis typum habuit, dum viveret in terris, talem habebit post mortem. Id quod clarum est ex *Ezech. c.* integro 32. ubi integri exercitus jacent eo ordine ut in terris. conf. *Jes.* 14. Sunt in terroribus, qui certis vicibus recurrunt, pro memoria eorum, quæ ex verbo Dei audivere sine fructu, *Joh.* 12, 48. & pro nunciis quos accipiunt a superis. *Apoc.* 6, 12-17. Variat status eorum innumeris modis. Aliqui ut stolidæ virgines secure vivunt, salutis certa persuasione turgentes, misere deceptæ. *Matth.* 25, 11. 12. Aliqui jam ardent igne gehennali interno. *Jac.* 3, 6. Aliqui sub aquis sunt *Hiob* 26, 5. Aliqui torquentur ipsis flammis, ut epulo dives. *Luc.* 16, 24. Aliqui alio modo mortis consumtionem experiuntur, *Ps.* 49, 15. eo modo quo jam supra ex *Hiob* 27, 19-23. de statu damnatorum ante resurrectionem allegatum est.

§. 22.

De instrumentis per quæ Deus operatur.

Quarto de reliquis eo pertinentibus, quæque sub hos titulos referri nequeunt, hæc notari merentur. Dicit

cit *Hiobus c.* 23, 9. siniſtra quum agit Deus; tum non cerno: dextram operit, & non video. Siniſtra Dei operantis ſemper eſt cooperta, eſtque vere ſiniſtra: Hebraicum Semol enim involutionem dicit, & ſiniſtra ſinu involvitur, quum dextra exſeri ſoleat. Jam quæro quid eſt dextra, quid eſt ſiniſtra Dei? Reſp. ex Hiobo. Deus eſt unus qui vulnerat & medetur, qui percutit & ſanat. *Hiob* 5, 18. Siniſtra igitur vulnerat & dextra ſanat. Sic etiam *Deut.* 32, 39. Deus dicit: Ego occidam & vivere faciam, percutiam & ego ſanabo; nec eſt qui de manu mea poſſit eruere; ego ſolus ſum, nec eſt Deus juxta me. ℣. 41. Cum acuero corruſcantem gladium meum, & arripuerit manus mea arma judicii, reddam ultionem hoſtibus meis, & oſoribus meis rependam. *Dan.* 4, 32. Deus facit ſecundum voluntatem ſuam tam in cœli virtutibus ſeu angelis, tam in habitatoribus terræ, & non eſt, qui reſiſtat manui ejus. Per manum ejus intelligi debent potentiæ ſeu organa inter Deum & creaturas interpoſita. In libro Jobi legimus Satanam dixiſſe Deo: Mitte quæſo manum tuam & attinge oſſa ejus & carnem ejus, *Hiob* 2, 4. 5. & dixit Jehovah: Ecce in manu

tua est. Sensit Hiobus plagas, nescius quod a Satana immissæ fuerint. Nam Satan percussit Jobum ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem. Hinc quæritur: *c.* 6, 4. sagittæ omnipotentis in me graves sunt, quorum virus ebibit spiritum meum. Quando igitur Deus immittit iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos angelos. *Ps.* 78, 49. sive per bonos *1 Chron.* 22, 15. *2 Sam.* 24, 16. 17. tunc hæc dicitur sinistra Dei. Quando dicitur: Ignis egressus a Jehovah, consumsit 250. Viros, qui admoverant thus, *Num.* 16, 35. id intelligendum est, factum esse per angelos, quos Deus fecit ignem urentem. *Ps.* 104. Et sicut Deus per angelos ignem advocat, sic alia organa intermedia adsciscit, præcipue ventos. Hinc David *Ps.* 18, 10. 11. 12. Deus inclinavit cœlos & descendit & caligo sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim seu Angelos & volavit super pennas venti, posuit tenebras suas in latibulum, crispans aquas de nubibus cœlorum, præ fulgore in conspectu ejus nubes succensæ sunt, tonabat de cœlo, Dominus excelsus edidit vocem suam. Habemus hic primo caliginosam densam nubem, hujus agens fuit 2) ventus, & hujus agens

agens 3) angelus cherubinicus, & hujus agens fuit 4) ipse Jehovah. Non nubes fulgur emisit, sed præ fulgore in conspectu Jehovæ id actum fuisse dicitur. Non nubes vocem edebat sed Dominus tonabat, non Cherubini dicuntur posuisse tenebras ut latibulum in circuitu Jehovæ, sed ipse Jehovah. Manifestum hinc est Dominum hæc omnia facere mediantibus organis suis vel propinquioribus vel remotioribus. Hæc omnia intermedia dicuntur manus Dei, dextra Dei in modificationibus dilatativis, sinistra Dei in modificationibus elementorum contractivis, illis accedunt angeli boni lucidi, his mali tenebrosi. Mirabilis est Deus in eis, quæ sibi subordinat tanquam organa sua. Turbo, frigus, glacies, nubes, pluviæ, fulgura, quodcunque præcipit Deus istis faciendum in superficie orbis terrarum, sive ad flagellum, sive ad faciendum beneficentiam efficit, ut præsto sint. *Hiob* 37. Fit autem hoc ubi non cogitatur per intervenientes intelligentias ex mandatis Dei. Id quod singulari solatio est piis. Ipse Jobus, ut naturali incredulitate nos omnes, credidit fata sua ex fundo naturæ prorupisse, sed longe aliter edocebatur per crucem. Deus non ita

præformavit & præordinavit omnia, ut ex infinita causarum præcedentium serie processerint sine intelligentiis intermediis, sed secundum s. scripturam ordinem talem elegit, ubi causæ liberæ concurrunt. Angelus Domini castra ponit in circuitu timentium Deum & eos eripit. *Ps.* 34, 8. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Ps.* 91, 11. Angelus de cœlo apparuit confortans eum. *Luc.* 22, 43. Filius Dei mittet angelos suos & colligent ex regno suo omnia scandala sive impedimenta, & eos qui injuste agunt. *Matth.* 13, 41. Filius Dei mittet angelos suos & congregabit electos suos a quatuor ventis a fine terræ ad finem cœlorum. *Marc.* 13, 27. E contrario tanto magis cavendum est piis a malis dæmonibus, quo minus creduntur a multis, & quo subtilius illorum influxus latet sub causis naturalibus. Antiquissimi viri suis ipsi principiis melius nostro seculo sapuere de his. Hinc Artefius post Hermetem summus, in clave majori sapientiæ hæc scripsit: sunt quædam infirmitates, in quibus se adjungit diabolus, humore egrediente de suo temperamento & perturbante ipsam sanitatem, & hoc maxime accidit infirmitatibus

tibus ex cholera provenientibus, cujus causa est ista, quia scilicet natura ipsius choleræ est calida & sicca ut ignis, corpus autem diaboli ex duobus est compositum, scil. ex igne & aëre, ejus vero apparens est aër & ejus occultum ignis. Manifestum igitur est ipsum contrariari & adversari naturæ humanæ, quæ est natura æqualitatis; cum ergo accidit corpori ægritudo de natura ipsius choleræ, quoniam diaboli occultum est de natura choleræ, adjunget se cum cholera, & ita augebitur ejus dominium super alios humores, & tantum potest prædominium, quod recedat anima ex corpore. Sed mittamus hæc; insistamus oraculis s. scripturæ, & inveniemus Paulum asseverasse, spiritum inter malos principem habere potestatem aëris *Eph.* 2, 2. Id quod profunde meditari fas est, ut arma Dei completa contra ipsum habeamus in promtu *Eph.* 6, 12. Nisi enim nobis caveamus, permissio Dei a sinistra Dei in nos irruens insigniter nos vulnerabit. Deus quidem benignissimus Pater est, neminem tentans, sed Habacuc cecinit haud absre. *cap.* 3, 3. Deus a meridie veniebat, coram facie ejus pestilentia ibat, & ad pedes ejus volans ardor exiit. Ne quid igitur

Usus horum ad vigilantiam.

a pedibus Dei, ne quid a ſiniſtra Dei nos impetat: ſimus in Jeſu Chriſto dextræ Dei incluſi, ſimus nati ex Deo, ſimus ipſi clypeo fidei muniti & gladio verbi præcincti ſemper orantes, & tum malus nos non tanget. Poſſideamus in nobis firma cognitione, quod omnes ſancti in oculis habuere. Scilicet promiſſum eſt Chriſti diſcipulis videre in ſpiritu, quod Patriarcha Jacobus vidit in ſomno: videre cœlum apertum & angelos aſcendentes & deſcendentes in ſcala naturæ ſuper filium hominis. In filio hominis ſcala naturæ, in filio hominis angeli aſcendentes & deſcendentes, in filio hominis cœlum & infernus, vita & mors & omnia noſtra ſunt. Semper Iſraëlitæ Deum ante oculos habuere ſuper cherubim vectum. Chriſtiani, veri Iſraëlitæ, victores iræ Dei, non id tantum ante oculos habent, ſed in ſe ipſi poſſident apertum Jeſu Chriſti, opera diaboli deſtruentis, & angelorum miniſterio adorati, myſterium. Chriſtus in ſtatu exinanitionis fuit infra angelos, in ſtatu exaltationis ſupra omnes eſt angelos, & in perpetuo actu vindictæ contra ſerpentem antiquum, donec omnes inimici ad ſcabellum pedum ipſius poſiti fuerint. Hæc meditemur, in his

ſimus.

simus. Hoc mysterium in Apocalypsi plane revelatum est. His muniti in Agni sanguine victores sumus Satanæ. De cætero Lector ad typice explicatam interpretationem de Christo vindice serpentis & capite Angelorum & Ecclesiæ remittitur in catechismo meo. Tit. de fide.

§. 23.

Nil jam supereſt nisi ut quæ S. scriptura de novissimis habet, quoad præcipua colligamus ordine superius enumerato. In illo primum est mors. Videtur denominatio mortis primæ & secundæ jam dudum inter Judæos fuisse recepta. Nam præter id quod RHENFERD de stilo Johannis Cabbalistico excerpsit ex Judæorum monumentis, Targum Hierosolymitanus ad *Deuteron.* 33, 6. discrimen mortis primæ & secundæ conceptis terminis declaravit. Moth sive mors etymo suo Hebraico & Arabico significat dissolutionem ex maceratione in aqua, ut chajim colligationem & coagmentationem. Vid. Explicat. meam Jobi p. 16. 142. Quando compages elementorum corporis ex sua proportione deturbatur, ut anima non amplius uti possit instrumento suo, sed a corpore decedat, tum hæc est mors speciali sensu: Quan-

De novissimis
1) de morte prima & secunda.

Quando autem inter principia activa & passiva oritur perennis & ordini Dei contraria lucta, tum illud mors dicitur generali sensu. Sic Adam mortuus dicitur etsi anima non recesserit. *Gen.* 2, 17. 3, 7. Hæc mors generali sensu sumta habet gradus. Etenim 1) ejus nomine venit peccatum originale *Rom.* 5, 14. 2) impiorum anima & corpus, nec non ipse Satanas erunt aliquando in morte secunda. *Apoc.* 20, 14. quoniam secundum ipsissima Salvatoris verba tum anima tum corpus interitum & dissolutionem pati possunt in Gehenna. *Matth.* 10, 28. 3) Dicitur etiam mors ultimus hostis, post abolitionem principatuum & dominationum destruendus. *1 Cor.* 15, 24-26. Ad 1mum genus mortis pertinet caro & peccatum, in Hiobo nomine Behemot veniens; ad 2dum anima peccato infecta & Satanas veniens nomine Leviathan, cum omni exercitu spirituum lapsorum, quorum damnato cœtui adjudicabuntur impii. *Matth.* 25, 41. Ad 3tium ille hostis ultimus, stricte dictus mors secunda. *Apoc.* 20, 14. *Jes.* 24, 21. 22. Huic morti generali sensu sumtæ tribuuntur a sacris literis adjuncta varia, aculeus, laquei, torrentes, portæ, *Ps.* 18, 6. ut significetur, mortem esse potestatem horren-

horrendam & Deo oppositam. Paulus βασιλειαν tribuit morti, & directe hoc regnum opponit regno gratiæ, vitæ & justitiæ. *Rom.* 5, 21. Tandem aliquando mors hæc absorbebitur. *1 Cor.* 15, 54-57. *Jes.* 25, 8. *Hos.* 13, 14. Quis non videt esse hanc ideam mortis inter præcipuas N. T.? Certe Christus filius Dei & hominis fuit unicus ille validus & armatus, *Luc.* 11, 21. par superando tenebrarum regno. Christus aggressus est hostes, carnem, peccatum, satanam, mortem. Aggressus est & vicit 1) carnem, assumendo eam, abnegando, sanando in aliis, passionibus subjiciendo, glorificando. Aggressus est 2) peccatum universorum & singulorum: Universorum, quum prava multitudinis exempla vita sancta & purificatione cultus Dei debellabat; singulorum, dum pravam concupiscentiam frangebat per doctrinam justitiæ fidei, & per victimam sui ipsius, quibus introduxit influxum & sui & spiritus & sacramentorum quæ omnia morti resistunt vi positiva. Impugnavit 3) Satanam ejiciendo illum ex obsessis, & tentationibus ejus sese opponendo, quem etiam ita impugnari voluit a suis. *Eph.* 6, 11. *Apoc.* 12, 11. Impugnavit 4) hostem ultimum generose vitam suam

quo sensu Christus mortem vicisse dicatur.

ſuam deponendo, ad inferos deſcendendo, reſurrectionem & incorruptibilitatem inferendo, & ſuper omnia triumphando. *1 Cor.* 15, 55.

§. 24.

2) De ſtatu poſt mortem.

II. Status poſt mortem dicitur hebraice Scheol, græce ἅδης. Sed & hoc græcum derivatur ab hebraico chadaſch innovavit, quia in illo ſtatu τὸ materiale ſemper novam appetit formam, unde & ſcheol denominatur ab appetendo. Sunt igitur poſt mortem res in magno deſiderio novæ formæ, quoniam priori forma ſunt privatæ. Forma autem eſt vita. Summa forma eſt vita Jeſu Chriſti, qua qui carent, vel hanc deſiderant, vel vitam ſaltim imaginariam captant. Synonyma pro gradibus dantur in ſcripturis varia.

Denominationes ſcripturariæ ſtatus poſt mortem.

1) Duma, ſilentium. *Pſ.* 115, 17. Non laudabunt Dominum mortui, neque deſcendentes in ſilentium. 2) æræz neſchiah, terra oblivionis. *Pſ.* 88, 13. an agnoſcetur in tenebris mirabile tuum & juſtitia tua in terra oblivionis. 3) terra rephaim. Rephaim ſignificat validos, gigantes: Senſu contrario, ut ſæpe, debiles, invalidos. *Jeſ.* 26, 19. Cantate qui inhabitatis pulverem, nam ros olerum ros tuus eſt, ſed terram rephaim dejicies; h. e. ut non reſurgant

gant ad vitam sed ad mortem secundam. Sic rephaim dicuntur contremiscere velut constricti doloribus parturientis sub aquis, una cum incolis earum. *Hiob* 26, 5. 4) Zalmavæt, umbra mortis. *Ps.* 107, 10. Habitantes tenebras & umbram mortis. Huc pertinet dictum *Hiob* 10, 20. 21. 22. Deponat (terrores) procul a me, ut reficiam me paulisper; antequam abivero, unde non sum rediturus, ad terram tenebrarum & umbræ mortis; in regionem vertiginis (ex tenebris) similem densissimæ caligini, umbræ mortis & expertem vicissitudinum, quum maxime splendet similem caligini densissimæ. 5) Puteus corruptionis, *Ps.* 55, 24. pro impiis. 6) Abhaddon. *Ps.* 88, 12. numquid narrabitur fides tua in perditione. 7) Scheol. *Prov.* 27, 20. Scheol & Abhaddon non satiantur. Portæ Scheol. *Jes.* 38, 10. *Hiob* 14, 3. *Ps.* 16, 10. *Jon.* 2, 3. Hæc sunt synonyma. De cætero ex Ecclesiaste patet homines & animalia in unum locum descendere quoad partem animalem, quoad spirituale vero, animam hominis superiora petere. *Eccl.* 3, 19. 20. 21. Postquam dixerat unumquodque ire in locum eundem, tum ℣. 21. concedit pauciſſimos esse qui sub hac vani-

vanitate rerum discernant spiritum humanum ascendere sursum, & spiritum bestiæ descendere infra terram. Occurrunt plures aliæ locutiones ex quibus patet quales in V. T. de statu post mortem habuerint ideas. Deus ad Abrahamum: *Gen.* 15, 15. venies ad patres tuos, de quibus ex *Jos.* 24, 2. notari meretur, quod fuerint idololatræ. Jacobus *Gen.* 37, 35. descendam ad filium meum lugens. Samuel ab Endorensi fœmina evocatus ad Saulum dixit: Quare turbasti me ascendere me faciendo. *1 Sam.* 28, 15. & 19. cras tu & filii tui mecum. Fallor an ea quæ Abigail *1 Sam.* 25, 29. ad Davidem dixit, huc pertineant: Anima domini mei ligata sit in fasciculo viventium cum Domino Deo tuo: Anima inimicorum tuorum circumvolvetur in medio terræ. Scheol inferior ex *Deut.* 32, 22. *Ps.* 86, 13. etiam annotari meretur; nec omittendus *Ps.* 22, 30. incurvabunt coram eo omnes descendentes pulverem, quorum quisque animam suam non vivificavit. Dispalescit ex his Patres V. T. glorificationem & vim resurrectionis Jesu Christi nondum cognoscentes, habuisse ideas de statu post mortem ipsis congruas. Postquam autem notabile illud tempus mortis & vivi-

vivificationis ſpiritus Jeſu Chriſti vim & efficaciam ſuam per velum templi, per ſaxa & rupes, perque ſepulcra ſanctorum diffudit, adeo ut ſtatim reſurrexerint multa corpora ſanctorum, qui obdormivere, tunc longe alius ſtatus & rerum & idearum ſuboriebatur. Qui vero, quoad vivunt, non participes fiunt vitæ Jeſu Chriſti, adeo ut ſpiritus Chriſti non inhabitet illos, illi ſub eadem lege generali *Hiob* 17, 16. deſcendent in pulverem, & afficiuntur omnibus quæ ſtatus Scheol ſecum fert pro diverſitate ſubjectorum. Hinc dicitur *Apoc.* 20, 13. & reddidit mare mortuos, quos habebat, mors quoque & Hades reddiderunt mortuos, quos habebant. Manet itaque ad hunc usque diem lex illa generalis ſtatus poſt mortem; ſed Chriſtus eſt qui redemit ex ſcheol, *Pſ.* 49, 8. 86, 13. Adeoque debetur unicæ redemtioni Chriſti quod dicitur, fideles non venire in judicium, ſed ex morte ad vitam tranſiiſſe. *Joh.* 5, 24. 8, 12. Plura jam ſuperius ſub titulo de beatis & damnatis evoluta ſunt.

§. 25.

III. Fata Eccleſiæ temporibus certis incluſa. Chriſtus ad diſcipulos ſuos *Act.* 1, 7. dixit, non eſſe hoc illorum chariſ- 3) de fatis Eccleſiæ, periodis temporum incluſis.

ma nosse chronos & (καιρους) tempora. Id vero quod Apostolis est denegatum, est charisma temporis nostri. Nam hoc nostro tempore per Chronologum summum, BENGELIUM, Domino dante, chroni & tempora reserata sunt. Illa nunc pro mensura cognitionis nostri seculi objectum fidei dignissimum sunt. Si grave sit alicui calculum operationibus arithmeticis subsequi, potest illum tamen more calendarii in usum fidei convertere, potest certus fieri, quæ tempora sint elapsa, in quibus nunc vivamus, & quæ usque ad diem Jesu Christi adhuc expectanda sint. Septem sigilla libri illius obsignati & aperti *Apoc.* 5. magis sunt sphæræ rerum quam tempora; certe tempora illa non determinata sunt numeris, quæ se tamen exporrigunt in longa secula. Sex sigilla cito referantur in sua serie. Sub septimo sigillo septem tubæ sunt, quæ multa tempora sibi succedentia numeris præcisa designant. Tuba autem septima in æternitatem usque desinit. Sub tribus ultimis tubis tria væ vel tres maximæ plagæ indigitantur. Primum væ sub tuba quinta incidit in seculum sextum post natum Christum, & Judæos ecclesiæ adversarios per Persas ferit & deprimit. Secundum væ

sub

sub tuba sexta sequiori tempore post mortem Muhammedis per Saracenos, itidem hostes ecclesiæ peragitur. Tertium væ sub tuba septima temporibus ulterioribus per bestiam efficitur, quæ vero deinceps per phialarum effusionem frangitur. Quoniam vero hic multa & varia occurrunt a *cap.* 10-20. tempora accuratius subdividuntur.

1) Ecclesia *c.* 12. descripta fugere debet coram dracone, & secundum ℣. 6. in Bohemia per 1260 dies, h. e. circiter per 677 annos communes, ab anno 940 ad annum 1617 commorari.

2) Draco ex cœlo in terram præcipitatus ecclesiam persequitur, *c.* 12, 13. Illa volare debet & sese nutrire 1. 2 & $\frac{1}{2}$ tempus vel 777 annos in Germania, seculo decimo, obscuro dicto, quo væ tertium maxime initia sumsit. Quamvis 1260 dies cum 1. 2 & $\frac{1}{2}$ tempore aliquandiu paralleli currant; tamen neque ratione initii neque ratione finis coincidunt. Sunt duo ecclesiæ phænomena, alterum in Bohemia, alterum in Germania. In Germania quidem citius Christianismus incepit, quam in Bohemia, sed sub nomine natalium filii masculi, non sub titulo mulieris quæ est ecclesia magis visibilis. Natales filii masculi non fuere tam vi-

sibiles. In Bohemia cœpit mulier nutriri ab aliis & habuit finem anno 1617.

In Germania illa se ipsam nutrit per 1.2 & ½ tempus, h. e. 777 annos. Incipit hæc periodus circa annum 1058, a quo tempore si illos 777 annos numerabis, in periodo nobis adhucdum versatili, per data fortasse mox clariora fixum aliquando punctum constitues. Interim huic periodo includuntur aliæ breviores, in bekräftigtem Zeugniss der Wahrheit B. BENGELII p. 208. ita collocatæ:

Menses prophetici.		Anni communes.
Fluvius &c.	1	16 propemodum.
Bestiæ ascensus ex mari.	2¾	44 non integri.
Menses potestatis bestiæ.	42	666 integri.
Non esse	3	48 non integri.
Manere parvum	¼	4 quam proxime.
Summa	49	777 integri.

Nempe bestia cum Babylone facit potestatem combinatam, habetque tres periodos. Quarum primâ dicitur fuisse vel esse. 2dâ non esse. 3tiâ iterum redi-

redire ex abyſſo & manere paucum tempus, ut unum individuum, una quædam perſona, qualitatibus abyſſi prædita. *Apoc.* 17, 8. 11, 7. Hoſtibus, ſcilicet Babylone vel Roma deſtructa, beſtia in lacum igneum projecta, & Satana in abyſſum incarcerato. *c.* 19. 20. beatum ſequitur millennium, & poſt, parvus chronus relaxationis Satanæ, quibus exactis tum demum finis erit mundi, poſtquam duravit 7777⅗ annos, qui continent ſecula priſca 70, tempora 35, chronos 7. Quoniam draco a cœlo in terram præcipitatus terræ ſingulares invehit calamitates, hinc periculoſiſſimo huic tempori inſignis quædam periodus Evangelii æterni opponitur. Scilicet Evangelium ſingulari reſpectu contra infernales technas & obtenebrationes in doctrina prædicandum & docendum eſt. *Apoc.* 14, 6. 7. Incipit hujus periodi initium tempore ARNDTII, elapſo chrono mundi quinto, poſt quem reſtant duo chroni, ſive æon ſtricte ſic dictus, continens annos 2222⅖ in quo prædicatur Evangelium αἰώνιον æternum, quod ab illo tempore usque in æternitatem durat. Hujus Evangelii, harum veritatum cooperatoribus, bene ſit!

§. 26.

4) de statu regni Christi in terris.

IV. Status regni Christi in terris. Sunt multi qui hoc mysterium ab Angelo sublimi *Apoc.* 10. per juramentum confirmatum, nescio quibus impetunt conviciis, prætextum sumentes ex Augustana confessione, ubi damnantur chiliastæ. Sed illi criminantur, quæ volentes ignorant. Tempore Augustanæ confessionis alia fuit Epocha, alia cognitionis mensura, ac nunc. Adde, quod multi tum gerrones extiterint, circumforanei, Cerinthi spiritu carnali rotundis quadrata miscentes, delphinos sylvis appingentes. Contra hos confessores illi invehebant, hos indignos pronunciarunt, qui cum sinceræ fidei cultoribus uniantur. Viderint calumniatores, ne se illis aggregent de quibus Jesus *Matth.* 12. locutus est, ℣. 34. nos certe orthodoxæ fidei confessores in salvo sumus. Memorantur in Actis tempora refocillationis, *Act.* 3, 19-23. & dicitur, omnes prophetas ad illa prophetando respexisse. Tempora refocillationis sunt ea, in quibus Deus ecclesiam suam post angustias multis corporis & animæ bonis reficit. Hæc tempora Petrus Judæis promittit, tanquam futurum consequens fidei. Alloquitur totum populum Judæorum, dicit

dicit eos universos principem vitæ interfeciſſe, offert eis gratiam ſi reſipuerint, cum annexo fine, ut peccata eorum abluantur. Ablutio peccatorum hic ad totum populum refertur eo ſenſu, ut Deus terram & populum ſibi reconciliaturus ſit, *Jer.* 31, 23-40. *Jeſ.* 33, 24. 54, 17. captivos reducat & ſic promiſſa refocillationis tempora impleat. Eſt igitur hic prædicta Judæorum converſio, cum eductione ex captivitate, & introductione in regnum. Senſu tam lato prophetæ pene omnes loquuntur de regno Chriſti in terra, cujus nempe initium erit converſio Judæorum. *Apoc.* 11, 13. Allegabo jam prophetas de hoc loquentes: *Jeſ.* 2, 1. 2. 3. ſqq. ubi dicitur, omnes gentes magno numero adventaturas ad montem Zion, ad Judæos converſos, cum additis, quod Deus inter gentes ſit judicaturus, ut tundant gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces, nec ut amplius tollat una gens in alterum gladium, neque diſcant amplius bellum. *Jeſ.* 11, 10-16. 33, 20. ſqq. 59, 19-21. *capp.* 60-66. *Jer.* 30, 20-25. 31, 23-40. *Dan.* 2, 34. 35. 7, 25. 11, 45. 46-52. 12, 1-7. *Ezech.* 33-48. Quæ, qui quoad regnum Chriſti probare vult jam impleta eſſe, cum rationibus inſa-

nire allaborat. Porro *Hoſ.* 3, 4. 5. *Joel* c. 3. *Amos* 9, 11-15. *Obad.* v. 17-21. *Mich.* 4, 1-7. 5, 1-4. 7, 11-20. *Hab.* 3, 14. *Zeph.* 3, 9-20. *Hag.* 2, 22. 23. *Zach.* 14, 9-21. *Malach.* 4. *Gen.* 15, 5. 22, 17. *Lev.* 26, 44. 45. *Deut.* 4, 30. 31. 33, 29. *2 Chron.* 15, 3. 4. *Pſ.* 2. 8. 9. 22. 28. 29. 72. 45. 47. 97. 99. 145. *Marc.* 13, 30. *Rom.* 11, 23-32. Hæc ſunt loca potiora ex quibus circumſtantiæ regni Chriſti in terris ſole clarius meridiano diſpaleſcunt. Sed notandum eſt, diſtinguenda eſſe quæ ſacræ literæ diſtinguunt, quæque hactenus non acute ſatis diſcriminabantur, ſed opera D. BENGELII jam plenius patent diſcreta. E gr. Viderunt quidem aliqui Prophetiam Apocalypticam innuere duo millennia, ſed id hactenus non ſatis roboratum eſt rationibus, nunc vero confirmatum certumque eſt, millennium in terris incipere cum ligatione Satanæ, & deſinere diu ante finem mundi: nam inter finem mundi & finem hujus millennii interjacet parvus chronus, quo tempore Satanas iterum liber eſt a captivitate in abyſſo. Millennium autem ſanctorum in cœlo ſerius incipit & in ipſam æternitatem deſinit. Habent igitur duo illa millennia diverſa initia & diverſos fines, ſunt-

que

que ita quoad tempus plane diversa. Parum quidem nobis de rationibus constat millennii cœlestis, & ulteriorem adhuc discussionem expectamus, per quam clarum fiat, num etiam in prophetis V. T. Spiritus sanctus sub hoc discrimine quædam elocutus sit. Interim pro circumstantiis millennii in terra probe discernendi a statu post renovationem universalem, qualis videtur innui *Jes.* 24, 21-23. nobis illud sufficit. Nam quæ in Apocalypsi traduntur de millennio sanctorum in cœlis, non debent confundi cum circumstantiis regni millennarii in terris, & beneficio sollicitæ hujus discretionis deinceps tanto accuratius potest distingui inter statum regni in terris, durante hoc mundo, & inter statum novi cœli & novæ terræ in æternitate. Viderit, quisquis hæc legit, annon judicatu sit difficillimum, utrum quæ *Jes.* 66, 24. extant: Et egressi videbunt cadavera hominum illorum qui defecerunt a me; Nam vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur eruntque nauseæ omni carni; ad seculum hoc, an ad æternitatem referenda sint. Subductis rationibus invenietur, referri id debere ad statum glorioſum regni in hoc mundo. Ob-

jiciat quis: quod salvator ipse interpretatus est de statu æternitatis, illud & Jesajas de æternitate prædicavit. Nego id per instantiam: Quod de duodecim arboribus ligni vitæ in æternitate *Apoc.* 22, 2. intelligendum est, illud etiam apud *Ezech.* 47, 12. de æternitate intelligendum. Illud vero aperte contradicit circumstantiis Ezechieliticis. Prætermissis itaque multis quæ de statu, tempore, loco, personis, regimine, connubio, agricultura aliisque variis regni in terra dici possent, hoc unum coronidis loco hic subjungo. Jesajas novum cœlum & novam terram jussu Dei tanquam ultimam metam Israëlitis ante oculos posuit. At vero etiam conditiones seminis & terræ promissæ tam firmiter ac novum cœlum & novam terram voluit observari oculis illorum. *Jes.* 66, 22. Nam promissum fuit Abrahamo quod per posteros futurus sit hæres mundi. *Rom.* 4, 13. Quam certum igitur est novum cœlum & nova terra in æternitate, tam certa etiam hæc hæreditas mundi per semen Abrahæ, seu status regni glorioſi in terris. Habent status hi beati sibi succedentes multa similia; habet status prior multa ex sequiore. Inde apparet posse, quod de uno prædicatur,

dicatur, prædicari etiam de altero, ſervata tamen temporis diverſitate.

§. 27.

V. Reſurrectio. Loca V. T. non ſufficiunt celeberrimo Rabbi Joſeph Albo in Sepher Ikkarim. Part. 2, c. 35. ut convincatur dari reſurrectionem univerſalem. Allegat ibi primo exempla revivificationis ex mortuis. 1) ex *1 Reg.* 17, 21. 22. filii viduæ Tzarphatenſis, cum Elias ſe ter ſuper illo admetiretur. 2) ex *2 Reg.* 4, 34. 35. filii uxoris Schunamitidis cui mortuo Eliſa incubuit articulatim, donec incaluit caro pueri & oculos aperuit; ut probaret poſſibilitatem reſurrectionis. Deinde rationes eruit ex natura rei, dicendo corpus jam ſemel informatum eſſe aptius denuo informari, quemadmodum lignum jam accenſum aptius ſit denuo accendi. Poſtea dicit, reſurrectionem particularem eſſe neceſſariam, ut veracitas Dei in promiſſis etiam poſt mortem firma ſit. Tandem poſt allegationem ſententiarum Rabbinicarum de reſurrectione dicta profert. *Jeſ.* 24. *Dan.* 12, 2. ubi vocem multi premit ex *Eſther.* 8, 17. *Prov.* 19, 6. *Ezech.* 37. *Deut.* 32, 39. Ultimo ait, de reſurrectione univerſali nil in ſcripturis V. T. inveniri, credi inter ipſos reſur-

5) de reſurrectione.

resurrectionem universalem mere propter traditionem. Videt Lector, jam inter Judæos distinctionem inter resurrectionem particularem & universalem esse receptam; universali vero inter ipsos propter scripturam nullam haberi fidem. Quid igitur mirum si Sadducæi nullam plane fidem habuere resurrectioni, quum plane scripturas & vim Dei ignoraverint. Et sane responsum Servatoris, sine eo quod posteritati Abrahami hæreditas mundi promissa sit, in quo resurrecturi sint, & sine eo quod Abraham, Isaac & Jacob ante ultimum hoc tempus corpora sua per eam rationem, quod Deo vivant, assumant, neque hodie intelligitur. Nam Deo post mortem vivere non probat resurrectionem. Igitur vita plena necessario receptionem materiæ passivæ inferre debet. Paulus primarium resurrectionis argumentum *1 Cor.* 15. a resurrectione capitis Christi desumit, & hoc prævalet omnibus rationibus, quia omnes includit. Est enim argumentum quod sensus maxime tangit sive externos sive internos. Homines de tanta re, qualis est resurrectio, non satis certi fiunt per rationes universales, sine initiis sensus proprii. Nisi enim suas ipsi experientias, suas

ipsi

ipsi sensationes reducant in notiones universales talo certe parum firmo nitetur persuasio. Illi, quibus notiones tam dubiæ insident de potentia Dei, ut PLINIO, plane sunt inepti ad credendam resurrectionem. Ita enim ait PLINIUS: Imperfectæ in homine naturæ præcipua solatia sunt, ne Deum quidem posse omnia, nam neque sibi mortem potest consciscere si velit, nec mortales æternitate donare, nec revocare defunctos. Haud paulo ineptius etiam SPINOZA dixit, crediturum se totum systema Christianorum, si historiam Lazari credere posset. Sed cur non credere potest historiam Lazari? Quia nil simile de potentia Dei unquam expertus est, quia nullas inde notiones universales eruere & sui systematis nexui inserere potuit. Incredibile id nobis est cui simile non vidimus. Somniis annumeramus, quæ nimis remota sunt a nostro sensu. Hinc Paulus Judæos quasi increpans dicit, *Act.* 26, 28. Cur hoc incredibile judicatur Deum revocare mortuos apud vos. Vult dicere: vos Judæi qui conceditis exempla quæ legitis. *1 Reg.* 17. *2 Reg.* 4. 13, 21. Conceditis Deum *Num.* 16, 22. vocari Deum spirituum omnis carnis, & *Num.* 27, 16. Deum

super

ſuper omnem carnem; Deum qui ſecundum *Zach.* 12, 1. format ſpiritum in medio hominis; Deum qui *Gen.* 2, 7. ſpiraculum vitarum inſufflavit in pulverem formatum, quique *Ezech.* 37. reſurrectionem vobis pollicitus eſt. At vero cur poſitis his omnibus Judæi tamen increduli fuere? Reſp. Fuere ἀφρονες; non habuere φρενες ſeu ſenſus ſanos ad ſimilia objecta directos, neque in ſe ipſi vim Dei experiebantur. Homines quidem duræ cervicis non habere patulos ad hæc ſenſus, non eſt mirum: At vero ipſos Chriſti diſcipulos tam fuiſſe tardos ad credendum ſuper omnibus quæ Propheræ locuti ſunt, *Luc.* 24, 25. ipſis fabulæ ſimilem viſam fuiſſe Chriſti reſurrectionem, ℣. 11. quum jam prius ſenſu verborum vitæ æternæ tacti fuiſſent, magis mirari ſubit. Fuit tamen incredulitati eorum admixtus quidam exceſſus gaudii. ℣. 41. Concludo ex his fidem in reſurrectionem Chriſti admodum inſiſtere debere potentiæ Dei; fidem ſecundum Baſilium ad Pſalmum 115. non ex Geometricis concludendi neceſſitatibus, ſed ex ipſa operationum ſpiritus ingenita vi reſultare. At vero hæc fides in principio habet initia valde exilia; ut quisque tractum Dei ſentit in ſe poten-

tentius, ita solertius haurit ideam vitæ. Si de hac apprehensiones accepit sufficienter sensatas, tum gradum habet ascendendi ad magis spiritualia.

§. 28.

Ego hactenus multa ex idea vitæ illustrare tentavi. Vita est explicatio & diffusio potentiarum in ente passivo, pendens in ultimo sui a fonte infinito, qui potentiam insitam cum noviter influa in esse conservat. Hæ potentiæ corpori alicui radicaliter unitæ non amplius plane recedunt, sed retinent vim, ut ossa Elisæ. Hæc ipsa vitæ idea quantumcunque hactenus applicata erit valde inefficax illis, qui nunquam a semet ipsis incepere, considerando facillima & maxime obvia, nimirum semina & hujus generis objecta similia, seque ipsos potissimum. Paulus φρενες illos non habere dicit, *1 Cor.* 15, 36. qui hæc oscitanter & sine fructu aspiciunt. In quolibet semine est vita, quæ se per potentias explicat & diffundit, donec finis redeat in initium novum vitæ, hoc est novum semen. Ipse Jesus provocat ad hoc *Joh.* 12, 14. præparatque corda ad resurrectionis suæ per mortem transitum. Christus est vera vita in carne manifestata. Ille est radix & semen unicum benedictum. Ille per incar-

Regressus ad ideam vitæ, quæ cuivis est obvia.

Unde Jesus Christus ad illam subinde provocat. Christus enim est ipsa vita.

incarnationem & nativitatem sanguinem & carnem assumsit, per resurrectionem vero in vitam exaltavit gloriosam. Ille per nativitatem infirmitates nostras sibi appropriavit; per mortem & resurrectionem vero illas immutavit. Per incarnationem fuit obediens ad mortem, per resurrectionem vero mortem absorpsit in victoriam, & per exaltationem spiritum nobis largiri vult. Per hunc spiritum discipuli in similitudinem mortis complantati, similitudinem etiam resurrectionis accepere. Hic spiritus promissionis erat ipsis semen & radix, fons & mater omnium bonorum. Hujus spiritus intimum habuere sensum, per hunc demonstrationem spiritus & potentiæ dedere aliis. Sic Apostoli ad sensum resurrectionis primo tardi, deinde vero tanto magis confirmati, deque resurrectione convicti prolocuti sunt verba vitæ ex sensu quodam infinita continente, sicque suo sensu tam potenter quam ipsis verbis tetigere corda, ut *Act.* 3, 26. *Col.* 3, 1. 2. *Act.* 17, 31. *Hebr.* 13, 20. *Rom.* 10, 6. 9. 14, 9. *1 Petr.* 1, 3. 4. Brevibus: Omnia Apostolorum verba spirant sensum resurrectionis. Sine hoc Paulus *1 Cor.* 15. frustra argumentatus fuisset, *v.* 11. commisisset circulum

Unde spiritus promissionis.

Verba Apostolorum sensu vitæ sunt affecta.

lum probando resurrectionem mortuorum per resurrectionem Christi, ℣. 12-19. & resurrectionem Christi per resurrectionem mortuorum, ℣. 20-28. quorum utrumque supponit sensum resurrectionis in verbo & spiritu fidei. ℣. 11. Ex hoc centro Apostoli tam abundanter inflexerunt prædicationem verbi ad status varios occurrentes, ut variis licet verbis unum tamen semper dixerint, Christum resurrexisse, spiritum ejus nobis offerri credentibus, in spiritu nos celebrare mortem Christi, in spiritu nos mori carni, crucifigi mundo, crescere cum ecclesia & agnoscere vim resurrectionis ejus. *Phil.* 3, 10. Ex his concludo, vim omnem persuasionis de resurrectione Christi & resurrectione mortuorum affici debere per vim inhabitationis spiritus Jesu Christi in nobis. Dicit enim Paulus claris verbis *1 Cor.* 2, 4. 5. fidem audientium non debere insistere persuasoriis orationis sapientiæ humanæ, sed insistere debere potentiæ Dei & demonstrationi spiritus. Sic fere similem in modum Paulus ab inhabitatione spiritus Christi in fidelibus argumentatur ad certitudinem resurrectionis olim ipsis expectandæ. *Rom.* 8, 11. Quodsi itaque de resurrectione Christi vero sensu fuerimus

Resurrectio Christi probe intellecta

impellit ad adspirandum ad resurrectionem primam.

convicti, tum hæc cognitio Christi facilem nobis reddet intelligentiam omnium effectuum resurrectionis Christi; qualis est resurrectio prima & resurrectio universalis, omniaque loca difficiliora scripturæ de his, imo etiam primaria naturæ phænomena. Pluris refert nosse, quod resurrectionis & vitæ ejus simus participes, quam leges scire, queis communicatur vita. Illud enim gratiæ opus meræ, hoc affectat etiam natura. Sit igitur Christus sapientia nostra. Ille vult ut resurrectionis suæ simus participes. Si primæ, tanto id ipsi gratius: Si non primæ, sufficit nos libro vitæ inscriptos, nam etiam hoc insignis est gratiæ. Sed sane si recte expendimus rem omnem, cogimur, adspirare ad resurrectionem primam, alias mors secunda lato sensu aliquid juris quærit in nos. *Apoc.* 20, 6. 2, 11. Quales sint, qui resurrectionis primæ sunt participes, legimus *Apoc.* 15, 2. Vincunt bestiam & superant omnes persecutiones ejus confessione veritatis constantissima, neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque præsentia neque futura separant eos ab amore Dei in Christo Jesu, Domino eorum. *Rom.* 8, 38. Post mortem stant ad mare crystallinum citharas

tharas habentes Dei *Apoc.* 15, 2. intraturi post effusas septem phialas in templum Dei *c.* 15, 5. 8. Laudaturi Deum Jah, Deum, qui est, peractis judiciis. *c.* 19, 1. Videntur vero non tantum illi qui mortem oppetierunt pro veritate, appellati servi Dei, resurrectionis primæ participes, sed & inferioris ordinis beati, scilicet timentes Deum parvi & magni, infantes & adulti. *c.* 19, 5. Hi omnes accipiunt vestimenta byssina diaphana ad se parandum ad nuptias agni. *c.* 19, 8. Jam igitur assumserunt corpora sua. Illi vero qui resurrectionis primæ non sunt participes, nonnisi post mille annos sanctorum in cœlis vivunt. Afficiuntur morte secunda, vel certe sub potentia quadam sunt mortis secundæ, in quacunque demum re consistat hæc potentia. Mors secunda hic non potest stricte sumi ut *c.* 20, 14. pro lacu ignis, sed late, pro consumtione quadam, pro simili quodam statibus post mortem superius enumeratis. Aliquibus horum mors somnus erit; aliquibus principium vitæ, quod in se habent, alium statum induit. Credo certe innumeras esse differentias. Nam sunt eorum aliqui in ἅδῃ, aliqui in morte, aliqui in mari. *c.* 20, 15. qui fortasse inveniun-

tur tamen scripti in libro vitæ. Et hi demum accipient corpora sua in resurrectione posteriori. Differentia vero magna erit eorum ab iis, qui resurgent sec. *Dan.* 12, 2. *Jes.* 66, 24. ad ignominiam, ad nauseam (Deraon) æternam, illi enim proprie non resurgent ex virtute resurrectionis Christi, sed resurgent per leges quasdam naturæ in statu violento positæ. Terra eos excussura est abortivo partu ad mortem secundam. Deraon in Daniele venit a radice arabica quadam, vi cujus aliquid ex improviso repellitur, redditur etiam in Michlal Jophi per vermem. Ceterum notabilis est descriptio resurrectionis in Ezechiele. *c.* 37. quam ipse quidem laudatus Joseph Albo vult intelligi metaphorice capite supra citato: sed Abrabanel in Maschmiah Jeschuah, præcone quinto, eam propriissime intellectam vult. Ezechiel constituebatur in spiritu super campum, ossibus refertum, a Numine jussus vaticinari, dicendo ad ossa: ℣. 4. ô ossa arida percipite verbum Jehovah. ℣. 5. ita dicit Adonai Jehovah: Ecce ego adducens sum in vos Spiritum ut vivatis, & dabo super vos gidim nervos (sanguinis nulla mentio) & ascendere faciam super vos carnem & inducam super

Differentia resurgentium.

Explicatur cap. 37. Ezechielis.

per vos cutem, & dabo in vos spiritum ut vivatis. An in his, adducam & dabo, synonyma sint in medio relinquo. Assumam esse synonyma. Certe tamen de carne non adhibet vocem adducendi, sed dandi & ascendere faciendi. Ossa igitur post commotionem soni factam accesserunt, os ad os suum, nervi, caro, cutis superinducta sunt; anima autem non morabatur in illis. ℣. 8. Jussus est porro Ezechiel imperare animæ vel spiritui ut adveniat. ℣. 9. quasi dicat Deus: tametsi ipse tu homo sis, nihilominus manda spiritui nomine meo hunc in modum: Ita ait Dominus Deus, a quatuor ventis veni Spiritus. Quæro hic an intelligendi sint quatuor venti cardinales mundi, an vero quatuor gradus animæ ut fit in embryone, ubi primum animatio naturalis, dein vitalitas imperfecta, post perfecta, tandem rationalitas, vel Aristotelis vitale, naturale, animale, rationale, sibi succedunt, nam sec. *Job* 11, 12. ut pullus onagri homo nascitur; adeo ut sensus sit, in resurrectione non fieri ut in embryone successive, sed simul, advocando potentias omnes una, ut veniat in eas tota anima a quatuor spiritibus, ut omnes cameræ hominis, cor, stomachus, jecur cum

liene & cerebrum occupentur simul. Tota anima dicitur Nischmat, spiraculum hominis, lucerna Dei, *Prov.* 20, 27. potentiæ sunt in illis cameris penetratis & iterum in totam redeuntibus. Sive ventos intelligas, sive potentias animæ, mihi perinde est, difficultas concipiendi secundum conceptus seculi hujus de anima manet utrinque. Judicet qui genuinos scripturæ conceptus ab adventitiis discernere potest vero gustu & exercitatione spirituali. Sufficit venisse in ossa spiritum e quatuor spiritibus, & spiritum hunc effeciſſe, ut defuncti in statura sua erecti constiterint. Hiobus certe magnum naturæ Phænomenon explicat, dicendo: *cap.* 30, 22. Extollis me in ventum, ei imponis me, & efficis ut diffluam substantia. Secundum hunc variæ vires corporis in aëra abeunt, a Deo tamen, ut ipsa ossa, conservata suis repositoriis. Quid multa: subsistens verbum Dei verum est receptaculum animæ, illo aquæ continentur, illo multo magis vires animæ continentur. Nil perit: Revocantur omnia ad substantias radicales per verbum Dei. In hunc finem audi, quæ Campanella refert de sensu rerum. *c.* 11. Vir Neapolitanus, cui amputatus erat nasus, emit mancipium, permit-

Campanellæ idea vitæ.

mittendo illi libertatem, si fineret nasum refici sibi ex carne brachii. Refectus est nasus, liberatus est servus, sed post tres annos mortuus est morbo consueto & simul particula nasi cœpit languere & mortua est, & computruit eodem tempore & ordine quo servus. Quæritur cujusnam animâ vivebat nasi particula servine an Domini. Si Domini, quare mortua est mortuo servo? si servi, quare vivebat ab eo separatim? quare surculus insertus non moritur, mortua arbore unde reciditur? & quare filius non moritur mortuo Patre? &c. ad uniuscujusque rei constitutionem concurrit tota rerum universitas & harmonia omnium certo ordine currens, qui præteriri nequaquam potest: vita cunctis rebus a Deo statuta pendet simul a consensu omnium causarum secundarum, & rerum quæ in virtute primæ sunt & operantur. Hinc fatendum, vitam illius particulæ dependere a prima constitutione, quam habuit in suo toto, contracta ex tota rerum universitate; sed quia a suo toto sejuncta erat, quoad radicalem substantiam pertinuisse ad vitam servi, quoad conservationem nutrimentalem ad vitam heri. Cum ergo cœlum & universitas rerum terminassent vitam servi nutu

Dei, necesse erat particulam ab eo abstractam simul commori, quoniam causæ faventes & adversantes communes erant illis; & quidem mortua est substantia radicalis, ergo frustra accurrit nutrimentum, cui res nutribilis defecerat. Ramulus vero defectus aptus est pro se aliquid fieri & esse. Particula vero nasi non item: sed tantum poterat cum alio nutriri; ergo perdita substantia primæ constitutionis ipsam perdi oportuit. Vivebat extra totum quia consimile nutrimentum nacta.

§. 29.

6) De judicio extremo.

VI. Dies magnus judicii. Spiritus æternus per quem Jesus Christus se Deo purissimum obtulit. *Ebr.* 9, 14. omnis vitæ fons, initium & perfectio, *Job* 12, 10. fuit architectus primus omnium naturarum; *Prov.* 8, 30. per illum igitur fit in extremo die separatio rerum, ut in sextiduo facta est combinatio. *Gen.* 1, 2. sqq. Est enim spiritus oris Christi, per quem terram percutiet. *Jes.* 11, 4. Per hunc fiet illa magna commotio, non solum terræ sed & cœli. *Hebr.* 12, 26. 27. Multa in s. scriptura diei judicii mentio, sed partim anthropopathice, partim nude & ideis Dei convenienter. Resolvamus illa per hæc & intelligibiliora erunt multa.

In judicio extremo fit separatio disgregativa, sicut in creatione combinativa.

multa. Missis quæ de necessitate judicii ex parte Dei, Christi, hominis & aliarum creaturarum dici possunt, de quatuor loquar. 1) de præcedentibus & inchoantibus diem. 2) de ipsis quæ fiunt illo die magno. 3) de judice & judicio. 4) de consequentibus illum diem.

1) quid præcedat judicium.

1) Præcedunt signa in sole, luna, stellis. Sol fiet ut saccus cilicinus, luna in sanguinem vertetur. *Apoc.* 6, 12. 13. Terræ motus assidui, meteora insueta, sonitus maris, lapsus montium facient exarescere homines præ angore & expectatione sequentium. *Luc.* 21, 25. 26. Incipit solutio cœli & terræ, Deusque armabit creaturam ad ultionem inimicorum suorum. *Sap.* 5, 18. Dies magnus in Zacharia describitur ita, ut quemadmodum in sextiduo primum fuit lux, ita in die magno lux sit ultimum. *Zach* 14, 6. 7. Et fiet illo die (hic NB. jam distinctivus magnus athnach ponitur, ad indicandum, quanta & quam inaudita sequantur, una serie, nulla interposita pausa) ut nulla sit lux (ut primo die sextidui) frigus & congelatio erit. Et erit dies unus Domino cognitus, neque dies neque nox, & fiet tempore vesperæ, tum erit lux. Concludo hinc diem fore

longitudinis ignotæ, harmonicum in quibusdam, ordine inverso, cum sextiduo; erit dies resolutionis, ut sextiduum dies compositionis. Igitur coagulatio & frigus primum se manifestabit. Elementa, στοιχεια, ex quibus elementata facta, mediante principio caloris & frigoris, in fluxum reducentur per frigus, *Zach.* 14, 6. karot vekyppaon, & calorem *2 Petr.* 3, 12. & sic incipient resolvi in materiam primam, qualis fuit ante creationem cœli & terræ, adeo ut locus non amplius sit illis. *Apoc.* 21, 1. 20, 12. Cœli, h. e. omne quod ex aquis supracœlestibus & expanso & ex influxibus impuris constituit atmosphæram crassam, & schechakim seu puriorem & superiorem plagam, procellæ in modum transibunt. *2 Petr.* 3. per luctam puri & impuri fragorem causantis; vel ut Jesajas loquitur, cœli in sal resolventur scilicet incorruptibile primigenium. *Jes.* 51, 6. Talis erit potentiarum cœli conquassatio; deinde fiet etiam magna conflagratio per ipsum ignem thesaurizatum in terra. *2 Petr.* 3, 7. Erit ignis partim nutriens, partim consumens. Nam ignis ante ipsum præcedit, ignis in conspectu ejus exardebit. *Ps.* 50, 3.

2. Ipsa

2) Ipsa quæ fiunt illo die. Veniet Dominus Deus meus & omnes sancti cum illo. *Jud.* v. 14. *Zach.* 14, 5. Videbit eum omnis oculus *Zach.* 12, 10. Ut hoc fieri possit α) resurrectio cum tuba Domini & archangeli continget. Tuba enim seu vox Domini erit, qua omnia secundum voluntatem Dei se sistent in lucem. *Ps.* 29. Infinita possibilitas modorum nobis jam incognitorum removebit dubitationes. E. gr. Quî fieri possit ut ab antipodibus simul videatur Dominus, quî terra sufficiat instaurationi tot corporum, nam si terræ rotunditatem & crassitiem metiemur, & cuilibet passum unum demus in latitudine, longitudine & profunditate, vix sufficiet terra tot corporibus humanis retinendis. At vero commotio spiritus, vox Domini, tuba archangeli prospicient pro hac possibilitate. Nos cœci sumus in his. Ille jam numeravit atomos in sapientia. Tu adhuc dubitas, an detur atomus molis? Dicis cum Judæis omnia esse spiritualia in ultimis. β) Angeli colligent in media conflagratione electos. γ) Fiet immutatio momentanea corporum, & electorum fiet raptus in sphæram domini. Mortui enim resurgent primo, tum & reliqui immutabuntur. *1 Cor.* 15, 52.

2) Quid ipso die fiet.

Sonabit tuba Archangeli.

Angeli colligent electos

fiet immutatio rerum.

15, 52. Ad hanc immutationem momentaneam collectio atomorum corporalium nec non momentanea concentratio potentiarum vitalium in ipsas illas atomos per spiritum Dei continGere debet. δ) Ignis omnia probans, purificans, reficiens, resolvens, consumens jam est in actu. Maria consumuntur *Apoc.* 21, 1. crassa & acria a benignis separantur, omnia opera probabuntur, quantum habeant unionis cum Christo, πρὸς ἃ quilibet ἔπραξε, ignis ille probatum dabit. ε) Et sic libri operum, h. e. ipsæ rerum naturæ abditæ, operationes ex suis principiis erunt apertæ, & liber vitæ, h. e. omnia patebunt, præcipue coram animabus, quæ ex principio vitæ orta sunt, omnia opera erunt præsentia. O quanta historia universalis! Et sciet quisque in seipso quo pertineat, in mortem, vel vitam. Damnati optabunt densissimas tenebras. *Apoc.* 6, 16. Nam revelabitur absconditum, & vere implebitur, *Nahum.* 3, 5. Ecce me contra te, dictum Jehovæ, & retegam fimbrias tuas in faciem tuam, ut ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam, & projicient in te res detestandas.

Ignis omnia resolvet.

Libri essentiarum aperientur.

3) Ju-

3) Judex Jesus Christus. Qui accepit a Deo vitam habere in se ipso, ille in dextra Dei constitutus apparebit ea forma, qua is, qui in throno sedet; *Apoc.* 4, 3. ornatus in medio sui colore intensissime albo & rubro, & in circuitu coloribus iridis. Ipse thronus cui insidet erit albus; a facie insidentis fugiet cœlum & terra. Ipsum judicium erit declaratio vocis hactenus omnia separantis, erit solennis, & intimæ operationi vocis spiritus æterni *Ps.* 29. superaddita. Hinc audient vocem filii Dei qui in sepulcris sunt. *Joh.* 5, 25. Judicium in valle Josaphat *Joel* 3, 7. habet quidem aliquid simile cum judicio extremo, imo coincidit in quibusdam *c.* 3, 4. sed quoniam illud judicium instituitur propter captivos Israëlis inter gentes dissipatos, ℣. 7. credo illud peragi sub initium regni Christi in terris simili quodam modo, quo in die magno sistentur homines in judicium. Ipsa allocutio ad homines in dextra & sinistra locatos satis prolixe legitur. *Matth.* 25, 34. 41.

3) Quæ futuræ sint circumstantiæ adventus judicis.

4) Consequentia sunt novum cœlum & nova terra, de quibus pauca hæc subjungo.

4) Quid post judicium futurum sit, nempe novum cœlum & nova terra

§. 30.

§. 30.

7) Nova Jerusalem & in nova terra judicium æternum.

VII. Nova Jerusalem & lacus igneus. Transiit cœlum antiquum & terra antiqua. Quantumcunque hoc incredibile videatur illis, qui systema fixarum nullam rationem cum terra nostra putant habere; nos tamen veneramur salvatoris divisionem rerum creatarum in cœlum & terram. Quando fides in intuitum vertetur, tum videbimus rationes. Sileamus tantisper. Cœlum fit novum post renovationem omnium. *Apoc.* 21, 1. An fixæ omnes, cum sole, luna, stellis, in conflagratione diei extremæ abeant in chaos, ex illoque iterum reducantur ad novum cœlum, id ego nec asseverabo nec negabo. Certum hoc, mutationem in sole & luna accidere, stellasque vel multas vel omnes concidere in illa universorum commotione. Nos certe nescimus, quid deceat fieri in universitate rerum propter filium Majestatem Patris glorificantem. Igitur eo tantum enitamur, ut simus victores mundi & bestiæ. Scire ultra quod scriptum est, nil attinet.

In novam terram descendit nova Jerusalem. Sancti millennio cum Christo in cœlis, in Paradiso, in loco cœli tertii, quorsum Paulus elevabatur, peracto,

acto, descendunt ex cœlo in terram, cum civitate illa nova quadrangulari, regnantes super terram ut reges & presbyteri, quos jam Targum Hierosolymitanus ita appellavit ad *Exod.* 19, 6. Illi regaliter imperabunt, postquam judicii jam sunt assessores & historiam universalem rerum tum physicarum & hypothetice necessariarum, tum liberarum callent. Inde judicium non tantum durabit noviſſimo die, sed sec. *Ebr.* 6, 2. erit κρισις αιωνιος in nova terra *Apoc.* 22, 2. Jesus, salvator sæpissime id innuit, mansuefactos per injuriam oppressorum terram hæreditatis jure possessuros, reginam Austri condemnaturam infidelitatem Judæorum, verba antichristiana judicatum iri omnia, & Petrus sine dubio ex ore Jesu Christi audivit quod *1 Petr.* 4, 6. asseruit, mortuis Evangelium annunciatum esse, cataclysmo suffocatos secundum Deum spiritu victuros, sed prius judicium carne, humano more, scil. in judicio αιωνίω, passuros. Judicabitur etiam ipsa parherminia theologorum in hoc dicto, & reliquæ contorsiones textus sacri, a Theologis vel ex consuetudine vel ex negligentia vel ex impetu factæ.

Civi-

Civitas ipsa cum muro sublimi, duodecim portis, duodecimque angelis altæ staturæ ita descripta est, ut nec Platonis nec Judæorum fragmentis opus habeamus. Legi in Platone, legi in Sohare multa de loco gemmis exornato, sed quid hæc ad certam & indubiam descriptionem in Apocalypsi revelatam? Legat quivis & relegat eam, nil enim opus est exscribere. Legat B. Bengelii explicationem literalem, & in spiritu sibi singula verba & res imprimi precibus in silentio anhelet. *c* 21, 11-23. Δοξα Dei in illâ, muri, portæ, mensura, ædificium muri ex Jaspide, civitas ex auro diaphano plusquamperfecto, fundamenta ex duodecim gemmarum ordinibus, portæ ex margaritis, Deus & agnus loco templi, quod adhuc erat in cœlo *Apoc.* 15. lux ejus, illustrans eam tanto fulgore, ut sole & luna non opus habeat, & ut nationes per judicium extremum jam nactæ ordinem sub regibus certis fruantur ejus luce eminus; fluvius aquæ viventis exiens ex throno, lignum vitæ ad latera fluvii, fructus singulis mensibus novi, folia in medicinam nationum, sive statim ab initio subministrata, sive in futurum adhuc subministranda iis, nulla explicatione egent. Vis resurrectionis

ctionis Christi inhabitans optimus erit commentarius.

Lacus igneus.

Neque lacus igneus ulla eget ulteriori explicatione. Sufficit, eos coram agno & coram sanctis, quemadmodum adhuc hodie Sodoma e regione Hierosolymorum est, suis affici pœnis, majestatis offensis, quantum vult Deus, congruis. Agnoscamus ante omnia magnitudinem potentiæ, qua Deus Christum revivificavit, & qua credimus, & tum divitias hæreditatis demum in spiritu vere & plene agnoscemus, & litera Apocalypseos erit speculum, quo lux divina in corda nostra repercutitur.

Formulis Theticis hic locus proponitur sequenti ratione. Sed quoniam prolixus fui in consequentiis ex sacra scriptura, hic ero brevior.

§. 31.

Formulæ Theticæ. 1) de Angelis.

Th. I. Angeli sunt spiritus finiti, completi, intelligendi & volendi facultatibus præditi, libertatem habentes non tam contrarietatis quam contradictionis, non tam quoad genus exercitii, quam quoad specificationem actus, creati primitus a Deo optimi & beati, ut laudarent eum & mandata ejus prompte exequerentur. *Job* 38, 4. 5. 6. 7. Horum alii boni sunt, alii mali. Boni sunt illi, qui in concreata sanctitate per-

ſtiterunt, atque nunc in bono ita confirmati ſunt, ut viſione Dei beatifica perpetuo fruantur, cujus juſſu potiſſimum pro piorum ſalute excubias agunt, *Ebr.* 1, 13. 14. quorum animas quoque ad cœleſte gaudium deferunt. *Luc.* 16, 22. Electos tandem in die noviſſimo congregabunt, ut hi cum illis ſempiterna felicitate gaudeant. *Matth.* 24, 31.

Mali a bonitate concreata libere defecerunt, Deique & hominum hoſtes facti perpetui, ſtudiis atque operibus bonorum angelorum contraria peragunt, æternis inferni cruciatibus puniendi. *2 Petr.* 2, 4.

§. 32.

2) de morte. Th. II. Inter noviſſima primum eſt mors, quæ deſcribi poteſt, quod ſit ſolutio animæ vel in paradiſum vel in gehennam, inchoative utrinque, abeuntis a corpore ſeparatio, propter peccatum omnibus hominibus in pœnam primitus irrogata, *Rom.* 5, 12. 6, 23. credentibus vero propter Chriſtum in ſuavem ſomnum & lucrum inſigne deſtinata. *Eſ.* 26, 20. *Dan.* 11, 2. *Phil.* 1, 21. *Joh.* 3, 13. 17.

§. 33.

3) de reſurrectione. Th. III. Mortuos promiſcue omnes aliquando reſurrecturos eſſe probant dicta. *Dan.* 12, 2. *Joh.* 5, 29. Reſurre-

surrectio vero est ubi idem numero corpus cum anima redunitur. *1 Cor.* 15, 53. το φθαρτον τετο, το θνητον τετο.

§. 34.

Th. IV. Extremum judicium est novissimum universorum, quatenus Christus in adsumta carne cum potestate magna & majestate in nubibus apparebit, & resuscitatis mortuis per novam miraculosam jam Th. III. demonstratam animarum cum corporibus priscis unionem, omnes homines exactissime judicabit. *Act.* 17, 30. 24, 25. *Matth.* 25, 31. quo in loco totus extremi judicii processus describitur. Objectum hujus judicii reale erunt fides & infidelitas, utraque ex effectibus & fructibus suis dijudicanda. *Joh.* 3, 18. 36. *Matth.* 25, 35. sqq. Impii simul æterno igni involventur, electi autem in possessionem regni & gaudii æterni immittentur. 4) de judicio.

§. 35.

Th. V. Infernus est novissimum damnatorum, quatenus consummato judicio œcumenico impii propria incredulitatis suæ culpa a visione Dei beatifica arcebuntur, atque in ignem gehennæ ad pœnas æternas secundum malitiæ suæ merita detrudentur. *Matth.* 25, 41. 5) de inferno.

§. 36.

6) de beatitudine æterna.

Th. VI. Beatitudo æterna est noviſſimum electorum, quatenus hi in ultimo judicio abſoluti, & Chriſto capiti ſuo pleniſſime conjuncti, qua animam & corpus gloriam accipient inæſtimabilem, atque in ſocietate angelorum ſanctorum, Deum coram videbunt, eundem perfecte diligent & omnigenis bonis perpetuo abundabunt. *Apoc.* 22, 3. *Matth.* 22, 29. *Apoc.* 7, 14. *Pſ.* 17, 5.

Et infernus & cœlum non ſolum ut ſtatus, ſed & ut certum quoddam ποῦ in ſcripturis diverſis nominibus indigitantur.

Cauſa inæqualitatis graduum eſt diſpenſatio divinæ voluntatis & decretum Dei, qui unicuique ſecundum opera *Rom.* 2, 6. reddet, in laudem gratiæ.

§. 37.

Excuſatur brevitas Theſium.

Th. VII. Hæc ſunt breviſſime quæ Theologorum formulis ſunt munita. Homileticis integri libri ſcatent. Plura de noviſſimis niſi antithetice aut problematice vix habent Theologi. Qualia ſunt contra Pontificios, negando purgatorium, aut limbum Patrum, aut pœnam damni in limbo infantum; contra Socinianos, negando Dæmonum pœnam in annihilatione vel totali abſumtione ſitam; contra Arminianos negan-

negando triplicem ſtatum, nempe vitæ æternæ apud credentes, cruciatuum infernalium apud infideles, & ſtatus ignorantium in pulvere; contra Fanaticos negando cœlum & infernum intra beatos aut damnatos circumlatum. Sed hæc non ſunt Thetica. Si quis vero integrum ilium librum, Faſciculum variorum ſcriptorum Theologicorum orthodoxorum, de animæ poſt ſolutionem a corpore ſtatu & loco, de reſurrectione & ſimilibus percurrit, vix plura inveniet, niſi quæ his breviſſimis incluſa ſunt theſibus. Unicum ibi ſcriptum ineſt, anonymi de ſtatu, loco & vita animarum, poſtquam diſceſſerunt a corpore. Sed utut ſeveriſſime omnia probaverit ex ſ. ſcriptura, tamen vix orthodoxum habebitur, quia ſigillo formularum Theologorum adhuc nondum eſt ſignatum. Legatur HUNNII diſputatio de vita æterna in faſciculo illo, p. 417. Invenietur vix plura ibi eſſe dicta quam breviſſima theſi ſexta jam eſt dictum. Et quid quæſo de noviſſimis dici amplius poteſt formulis Theologicis? In rebus quæ oculus non vidit, auris non audivit, quæ in cor hominis non venere, ſtandum eſt verbis ſcripturæ. Vix aliquid dici poteſt, quin verbis technicis ad-

datur vel dematur illis quiddam. Exegetica possunt trahi innumera, sed in his ego ipse satis prolixus fui. Neque tamen omnia exhausi. Possent adhuc integri tractatus subjungi.

§. 38.

De conversione Judæorum.

Th. VIII. De conversione Judæorum Theologi nonnisi exegetice, imo problematice loquuntur, multo magis de millennio. Cur? Quia mensura cognitionis pro prægressorum temporum ratione id nondum tulit. Nostro autem tempore cognitio invalescit distinctior. Nexus articulorum fidei cum novissimis jam clarius patet. Dabo exemplum ex HUNNIO, quam is de conversione Judæorum circumspecte scripserit, idque non thetice, sed exegetice tantum, super *Rom.* 11, 25. Hæc verba Apostoli non uniformi sensu ab interpretibus accipiuntur. Sunt enim, qui Israëlis nomine non populum Judaicum, sed indifferenter credentes quosvis intelligunt. Deinde sunt alii, qui censent, Apostolum sub hoc mysterio subindicare velle, futurum aliquando, ut ante novissimi judicii diem magna Judæorum multitudo atque cœtus ad christianam fidem convertatur. Sicut autem neutra explicatio impia est, sic toto contextu Apostoli diligentius inspe-

inſpecto, poſteriorem expoſitionem magis & verbis conſonam, & præſenti inſtituto Pauli accommodam eſſe reor. Cum enim immediate præcedentia diſerte de populo Judaico agant, & Apoſtolus ipſe hoc de ſalvando Iſraële myſterium ſic claudat, ut in ſequentibus quoque de Judæis agi perſpicue demonſtret; omnino videntur intermedia quoque verba de Judæis accipienda. Præterea hoc ipſum etiam inde perſpicitur, quod Apoſtolus myſterium nominat. At vero ſi ſenſus eſſet, quod omnes ex quavis gente ſalvarentur credentes, id certe Romanis jam antea fuiſſet notum, & non novum aliquod myſterium, quale quidem ſe Paulus Romanis commemorare & non celare velle perhibet. Certum eſt inſuper, hæc verba ex prioribus per conjunctionem cauſalem connecti, & ab iisdem pendere, & eſſe rationem ſive cauſam præeuntis aſſertionis apoſtolicæ; cur ſcilicet Judæi propriæ oleæ denuo poſſint inſeri. Ita enim verba Pauli uno eodemque plane contextu cohærent: quanto magis hi, qui naturales ſunt, propriæ oleæ inſerentur? nolo enim vos ignorare &c. Ubi perſpicuum eſt, hanc pericopen (nolo enim vos ignorare &c.) poni tanquam

causam assertionis Paulinæ immediate præcedentis. Atqui si Paulus ista indifferenter de fidelibus quibusvis & non in specie de populo Judaico salvando intelligeret, non possent hæc esse causæ præcedentium, in quibus de populo Judaico tractavit, & proinde nec per causalem illam particulam (enim) cum præcedentibus connecti. Accedit huc, quod in eum finem Paulus ista de salvando toto Israële proponi innuit, ne scilicet (ut verbi Pauli clara sunt) gentiles apud semet ipsos elati essent, superbiendo contra Judæos. Quemadmodum tota hæc admonitio Apostoli ad gentiles instituta, ad eum ipsum finem atque scopum dirigitur. Jam vero, si de populo Judaico in hujus mysterii narratione non ageretur, non possent ista ad finem illum sive scopum, quem intendit Apostolus, accommodari, videlicet ne glorientur contra Judæos. Quæ enim esset ratio consequentiæ, si sic colligeret Apostolus: nolite esse elati animo contra Judæos, quia omnes credentes salvabuntur? Hæc autem demum argumentatio militat, si juxta sensum modo declaratum Apostolus hoc modo ratiocinetur: Nolite genti Judaicæ animo elato insultare, nam & ipsa, licet nunc excisa sit, tamen

men ſuo tempore rurſum convertetur & ſic inſeretur veræ oleæ. Quæ ſane argumentatio præcedentibus verbis Apoſtoli admodum conſona eſt. Ex præmiſſis igitur hæc textus Paulini conficitur expoſitio: Vos gentiles non debetis eſſe animis elati adverſum gentem Judaicam, perinde ac ſi inſeri amplius veræ oleæ non poſſit. Dico enim vobis ſingulare hoc myſterium excœcationem illam Iſraëlis ſeu populi Judaici non eſſe totalem, ſed ex parte tantum: quæ locum habitura eſt, donec magna illa plenitudo gentium complebitur, & ſic deinde totus Iſraël ſalvabitur, converſus ſcilicet ad verum Meſſiam. Quando Judæi infinito ſuo exilio edocti, & nimia ſed vana exſpectatione Meſſiæ (quem modo venturum eſſe augurabantur) fatigati, tandem rem altius per Dei gratiam expendent, nimirum tempora omnino adventui Meſſiæ dicta jam pridem completa, & proinde non poſſe alium pro Meſſia agnoſci, præter eum, qui jam ante publico totius orbis teſtimonio pro vero Meſſia ſit agnitus & in Evangelio declaratus. Cæterum, quod tanquam myſterium propoſuerat Romanis, id nunc ſcripturæ teſtimonio confirmat 59. *cap.* Prophetæ Jeſajæ, ubi

scriptum legitur: Adveniet ex Sion, qui liberat, puta Messias, & avertet impietates a Jacob, remittendo nimirum Israëlitis peccata, & recipiendo illos in sinum gratiæ, adeoque communionem ejus fœderis sive Testamenti, quod peccata eorum aufferre & sua gratia illos rursum dignari velit.

* *
*

Lectionem & usum hujus Compendii, inprimis vero eorum, quæ lecta sunt, fructiferam repetitionem plurimum juvare poterit libellus iste, qui jam Anno 1753. Heilbronnæ typis exscriptus est, eo insignitus titulo: *Syllogе Theologiæ ex Idea Vitæ &c.* quique se ad paragraphos hujus nostri Compendii plane refert. Unde eundem denuo typis exscribi, & Compendio adjungi, e re benevoli lectoris esse judicavimus.

DE

DE THEOLOGIA ET SACRA SCRIPTURA.

Ex §. 1 & 2.

Quomodo Theologia vera debet esse constituta?

R. Ita, ut *Gloria Dei* per illam me in fide adeo percellat, ut omnia mihi vileſcant *reſpectu δόξης Novi Teſtamenti. 2 Cor. 4, 5.*

§. 3.

Quid ergo eſt Theologia?

R. Eſt ὑποτύπωσις seu expreſſa forma Doctrinæ ſecundum pietatem, qua per ſalubria verba Jeſu Chriſti, *gloria & vita* homini ſub ordine pœnitentiæ & fidei offertur.

§. 4.

Nonne igitur Theologia talis integram ſocietatem aliquam ad officia commovere debet?

R. Omnino; Hinc dicitur *religio*, a religando ſeu commovendo integrum cœtum.

§. 5.

§. 5.

Sed hæc religio non debet esse ficta ex cerebro humano?

℟. Minime; sed *ex norma Scripturæ* resultare. *2 Tim.* 3, 16. 17.

§. 6.

Unde Scriptura vim normativam habet?

℟. Ex variis *modis revelandi*, qui tamen omnes in una Θεοπνευςία conveniunt. *Num.* 12, 6. 8.

§. 7.

Igitur sublimes de S. Scriptura conceptus habere oportet?

℟. Omnino; Hinc opus est distincte *attributa* ejus ponderare.

Quænam?

℟. *Auctoritatem* canonicam, & *Perfectionem.*

An per hæc duo attributa se distinguit S. Scriptura ab omnibus libris humanis?

℟. Omnino. Nullus enim Liber, vel nulla oratio, quantumcunque perfecta, duobus his gaudet attributis.

§. 8.

Intelligo hoc; sed non quilibet sensum totalem S. Scripturæ his attributis præditæ potest eruere; Quænam igitur adjumenta dantur?

℟. Doctores analogiam fidei brevi compendio eruant & auditoribus proponant.

§. 9.

§. 9.

Nilne nisi disserta verba Scripturæ valent?

R. Valent etiam consequentiæ & ea omnia, quæ per respectus mutuos indigitantur.

§. 10.

Quænam inde officia promanant?

R. Æstimandum est, quanti hoc sit. Igitur evitandæ parhermeniæ; & mysteria Scripturæ eo reverentius habenda sunt.

I. *LOCUS DE DEO.*

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1.

Quomodo quilibet ad Deum cognoscendum se parare debet?

R. Quasi nullum unquam terminum audivisset, vel a Philosopho vel a Theologo. Noli offendi; Est ex mente Illustris BÜLFINGERI dictum.

§. 2.

Quomodo igitur is instituet cognitionem sine terminis?

R. Deus non solum per verba & terminos, sed & per uniformes naturæ characteres docet omnes homines. *Ps.* 94, 10. Hinc ad sapientiam in plateis clamantem homo ante omnia attendat. *Prov.* 1, 20.

§. 3.

§. 3.

Qualis inde usus emerget?

R. Intellecta Die loquela per sapientiam in plateis clamantem, *Rom.* 1, 20. longe melius intelligetur S. Scriptura, homines ad Dei cognitionem ulterius formans.

§. 4.

Id si negligatur, quid hinc detrimenti venit?

R. Deum non ut *vivum* ipsi in sese sentiunt, quia vel nimis multum vel nimis parum terminis & Syllogismis assuescunt.

§. 5.

Quænam igitur datur via media, ut Deum vivo sensu attingamus?

R. Paulus dicit, Deum pluvias & tempora frugifera hominibus largiri, scopo, illos alliciendi, ad se tangendum & inveniendum. *Act.* 14, 17. 17, 25. sqq. Tangitur & invenitur Deus, quamprimum homines ex vita creaturarum ad vitam Dei gustandam & contemplandam erigi se patiuntur per notiones anticipantes.

§. 6.

Quid in Deo ita cognito distinguere possumus?

R. Vitam abditam, incomprehensibilem, simplicissimam; & vitam sui ad extra

extra manifestativam & communicativam, idque in una simplici & indissolubili unitate. Id in omnibus creaturis esse videtur & intelligitur; scil. insunt illis vires explicitæ & figuratæ, & abyssus invisibilis; vita duplex naturalis & spiritualis. Hinc colligitur, quod in creaturis est duplex & solubile, in Deo esse simplex & indissolubile, & tamen ita simplex, ut rationem contineat vitæ duplicis creatæ. Vita abdita *Joh.* 1, 18. dicitur *Sinus Patris*; vita manifestativa sui dicitur *Exod.* 3, 2. *rubus ardens*, sese non consumens.

Potestne eousque progredi cognitio naturalis?

R. Potest, ratione per sensum recta procedente, Deumque ardenti zelo quærente. Sed hæc cognitio nisi supranaturaliter confirmata, apud plurimos non est nisi ictus oculi momentaneus; hinc accedere debet cognitio permanens revelata, præcipue *Ezech. c.* 1 & 10.

II. QUOAD MYSTERIA SCRIPTURÆ.

§. 7.

Quid cognitio revelata superaddit naturali?

R. Cognitio revelata iterum iterumque per omnes pene paginas nobis contemplandam objicit *vitam* Dei. Pater est,

est, qui vitam habet in se ipso. Filius est, cui dedit Pater habere vitam in se ipso. Spiritus S. ex Patre procedens est quoque Spiritus filii, Spiritus vitæ, vitam patris & filii in se habens per characterem processionis inexplicabilem. Propterea quoque dicitur non a se ipso loqui ad nos, sed id loqui, quod audit a filio & patre. *Joh.* 16, 13. 14. 15. Vita Dei uno nomine δόξα & ἀφθαρσία appellatur in N. T. Alio manifestandi modo Filius, alio Spiritus S. δόξαν & vitam Dei ex se fundit.

§. 8.

Vita Dei nonne variis modis manifestatur?

℟. Omnino. Id enim tam multa nomina Dei in lingua sancta indigitant, præcipue *Jehovah*, ratione vitæ spiritualis, & *Elohim*, ratione vitæ naturalis. Etsi enim naturale in Deo sit etiam spirituale; tamen manifestatio diversa unius vitæ præ altera, respectu nostri, per nomina illa innuitur.

§. 9.

An vero diversitas manifestationis unitati non est contraria?

℟. Nequaquam. Dantur in Deo diversi subsistendi modi, satis §. 7. ex oraculis probati, & diversi modi manifestationis, per voces *Panim* & *Makom* indigitati; unde Trinitas. Dantur

tur alio respectu modi diversi manifestationis totius Trinitatis; unde septem Spiritus tanquam totidem lampades ardentes tum extra Agnum immediate a Throno Dei, tum mediate ex ipso Agno tanquam oculi & cornua se exserentes, & omnes terras pervadentes. Quia igitur totus Deus tam cum modis subsistendi & egressionibus inde profluis per particulas *ex*, *per*, *in*, signatis, quam cum manifestationibus, non a modis subsistendi profluis, respectu cujus opera Trinitatis ad extra dicuntur indivisa, dicitur unus: (*Devt.* 6, 4.) Hinc indivisibilitati nil per hoc detrahitur. Sed cum ne quidem hoc sciamus, quomodo ex unitate Dei sine replicatione sui fiat unitas creata; multo minus hoc comprehendere licet, quomodo diversi subsistendi modi coæquentur cum unitate indivisibili. Si sciremus, quomodo creaverit unum unitas, & in tria distinxerit trinitas: typos loquendi fœcundiores fortasse haberemus, sed ἄῤῥητα ῥήματα huic æoni sunt inexplicabilia, quantumcunque magis appropinquemus per typos concinniores ex numeris & harmonia virium ipsarum.

§. 10.

Nonne præstat pragmatica Triadis cognitio speculativæ?

R. Utraque utilis est Sapienti; sed hæc ultima §. 9. tradita promitius in usum spiritualem vertitur. Jehovah in V. T. sibi tribuit indistincte, quæ in N. T. tribus personis distinctius competere legimus; per quæ communionem cum Patre, Filio & Spiritu Sancto, in ordine salutis quivis experiri potest in se ipso.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 11.

Quid formulæ Theticæ prosunt?

R. Possunt sensum communem & sensum ex scriptura haustum, qui, stante summo consensu Lectorum Saluti intentorum, varias Scheses habere potest, determinare ad unum communitatis pacificum sensum in cogitando & loquendo, id quod magnæ est utilitatis. Ita Schesin cuique propriam retinere quilibet potest, die judicii probandam, *1 Cor.* 3, 11. & tamen eadem mente & eadem sententia firmari & conspirare cum aliis. *1 Cor.* 1, 10.

§. 12.

§. 12.

Nonne divisio cognitionis naturalis in insitam & acquisitam se probat conscientiis?

℟. Omnino. Ita enim ecclesia sensum communem sine multis ratiociniis dari probat, & eundem quoque ratiociniis adjutum.

§. 13.

Quomodo definitur Deus?

℟. Deus est Spiritus invisibilis, infinitus, a mundo & anima distinctus, unus, simplex, æternus, immensus, intelligens, & in tribus personis subsistens.

§. 14.

Quænam sunt attributa Dei?

℟. Unitas, simplicitas, æternitas, immensitas, intelligentia ipsa, voluntas nullius mali capax.

§. 15.

Nonne differt ordo attributorum pro diverso Philosophorum typo?

Aliter Schola LEIBNITIANA, aliter NEUTONIANA, aliter Scriptura ordinem inflectit. LEIBNITIANI aseitatem ex contingentia, NEUTONIANI libertatem ex beneplacito rebus creatis impresso, pro primo attributo ponunt, & sic in diversa abeunt; illi Deum necessario & mechanico quasi cognoscen-

di typo, hi libero & supramechanico, illis contradicente, sibi figurant. Scriptura pro libertate decidit, alioquin quoad ordinem attributorum nil præscribens.

§. 16.

Quid pro mysterio Trinitatis præsupponendum?

R. 1) Leges interpretandi mysteria & formulis firmandi, deberent distinctus tradi. 2) Ita definienda primo est persona, cui præter communia divina idiomata competit peculiaris subsistentia & incommunicabilitas. 3) Definienda generatio activa patris; generatio passiva filii; processio Spiritus Sancti. 4) Distinguenda hæc personalia a viribus Dei vivis, instrumentalibus, os, oculi, aures, digiti, dictis.

§. 27.

Trinitas quomodo demonstratur?

1) Per trium personarum designationem expressam. *Matth.* 3, 16. 28, 19. *Joh.* 14, 16. 1 *Joh.* 5, 7. 2) per prædicatorum communitatem; nam quod de Jehovah dicitur, quod tentaverint eum *Num.* 21, 5. refertur *1 Cor.* 10, 9. ad Christum. Et sic sæpe. Ita constat Filium & Spiritum Sanctum esse Deum. In specie probatur ὁμοουσία filii cum patre, 1) ex nominum identitate. *Exod.* 23, 21.

23, 21. 2) Identitatis cum Deo assertione. *Joh.* 10, 30. 3) attributis, operibus & cultu communibus. Probatur ὁμοσσία Spir. S. 1) a nomine. *Act.* 5, 3. 2) iisdem attributis, operibus & cultu.

Quid observandum in his ad lites præcavendas?

Stilo N. T. Trinitas vocatur mysterium Dei Patris & Christi, & hæc denominatio tantam Spiritus plenitudinem continet, ut sit supra determinationes formularum Theologicarum. Hinc sancte & seraphice mysterium hoc adoretur: neque de illo loquendum sine recollectione & veneratione intima: ita præcaventur lites & rixæ hominum.

DE CREATIONE.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 18. 19.

Quid Sensus communis assequitur de Creatione?

R. Prævenit vis divina creatrix hominum subtilissima ratiocinia, ut sentire & animadvertere possint, omnes res existentes accepisse aliquando initium a liberrimo Creatore. Ratione vero his sensus vestigiis insistentes deprehen-

dent certis demonstrationibus, dari potentias, queis Deus actuat materiam passivam, non pulsu tantum mechanico, sed interna vi penetrativa, pulsum & tactum vivificante.

II. QUOAD S. SCRIPTURAM.

§. 20. 21. 22.

Quid S. Scriptura de his Dei potentiis revelavit?

Præsuppositio, quod *Hiob.* 12, 10. dicatur esse in manu Dei anima omnis viventis, ubi manus Dei potentias primas indigitat, & quod Psalmus 18. rite intellectus scateat similibus terminis, non metaphorice sumendis, præcipuus locus est *Hiob.* 38, 6. ubi quæstiones Deus Hiobo & omnibus proponit, qui ex insufficientibus naturæ datis nimium concludunt, ut Deo gloriam tribuant veræ scientiæ. Alter locus est *Gen.* 1. Tertius est Ezechielis *Cap.* 1. & 10.

An Creatio mundi in instanti facta ex S. Scriptura demonstrari potest?

Nequaquam. Totum enim Caput Geneseos primum Creationem successivam demonstrat. Exinde autem, quod extat *Ps.* 33, 9 si dicit, fit, & *v.* 6. cœli verbo Dei facti sunt, non sequitur creationem fuisse instantaneam, alias seque-

queretur etiam. Lucem in instanti creatam, quia scriptum est: fiat Lux, & facta est Lux. Lux enim manifesto ex tenebris evocata dicitur. 2 *Cor.* 4, 6. id vero successive factum, nemo negat. Satius est nil hic determinare.

§. 23.

Ad quænam officia stimulant hæ considerationes?

Ad laudem Dei. *Ps.* 148, 5. 6. 119, 89. 90. 91.

DE PROVIDENTIA.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 24.

Quid sensus communis de Providentia attingit?

R. Quia sentit, Deum esse, abdita quoque conclusione colligit, Deum providere omnibus rebus, & dirigere omnia; sed quoniam providentia Dei est simultaneum quid, facile per vicissitudines & contrarietates objectorum dissipatur & obruitur ille sensus.

II. QUOAD SCRIPTURAM SACRAM.

§. 25 - 31.

Quomodo securit S. Scriptura sensui huic insito?

1) Sensum dari clamat, *Act.* 28, 3. 4.

2) Describit sensus hujus depravationem dæmoniacam, & ortum mali depingit. *Exod.* 5,2. *Ps.* 10,4-11. 3) Eventus remunerantes & vindicantes delineat. 2 *Chron.* 16. *Prov.* 15,3. nec non casus fortuitos 1 *Reg.* 22. 4) Res naturales determinatissime dirigi a Deo asserit. *Hiob.* 37,5. 5) Omnia Christo a Deo tradita, præcipue ut vindictam contra serpentem antiquum per ipsum successive exequatur. Legenda est integra Apocalypsis.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 32.

An verum est, mundum quoad extensionem & molem esse infinitum?

℟. Philosophi *attractionem* negantes male ita statuere debent; Imo Idealistæ omnes parum absunt a Spinosismo.

§. 33. 34.

Creatio an est actio Dei transiens, an continua?

℟. Quoniam effectum extraponit, est transiens, non intra Deitatem continuo peracta, ut generatio filii & potentiarum exertio.

§. 35.

Telluris initium quomodo probatur?

℟. Ab Adamo ad nos non sunt ultra 125. generationes.

§. 36.

§. 36.

Unde probatur Providentia?

A conscientia interna, a creatorum statu dependente, ab ordine mundi, a revolutionibus imperiorum, a terminis regionum, a judiciis.

§. 37.

Quid de término vitæ statuendum?

Pro usu mediorum prævisum & statutum esse terminum.

§. 38.

Quibus actibus peragitur Providentia?

R. Conservatione & gubernatione.

§. 39.

Quid de voce concursus ad conservationem statuendum?

Novas creari difficultates ex terminis. Igitur si vox Philosophica concursus adhibetur, exigenda est ad normam phrasium Biblicarum.

Concurrere Deum ad materiale actionis, non ad formale bene dicitur, si tantum extendatur ad formale peccati, sed si hoc universalius sumatur, tum totus Leibnizianismus temeritate sacris literis e diametro contraria in Theologiam invehitur; Directio ad objecta & gradus intensitatis virium pessime referuntur ad formale, *Ps.* 65, 8. *Ebr.* 6, 22. *2 Sam.* 17, 1. 2. Determinatissime describitur concursus sic dictus generalis

lis vel largitio virium ſubſtantialium, *Pſ.* 139. non cum excluſione totali directionis in objecta, non cum excluſione concurſus ad gradum intenſitatis virium, a materiali ſic dicto. Scio tamen, hic hiatum quendam ſupereſſe in omni Philoſophia citra revelationem excogitata.

§. 40.

Quid eſt gubernatio?

℟. Directio ad finem ultimum per intermedios.

§. 41.

An Deus, quæ permittit, etiam voluit?

Malum non eſt objectum voluntatis Dei; hinc non omnia, quæ permittit, etiam voluit.

Quid pro ſenſu communi Chriſtiano ad præcavendas lites hic obſervandum?

℟. Convenit inter omnes, Dei Pantopſiæ præſentia eſſe omnia, non convenit, an Deus per ſingula momenta ſciat, quot pulices naſcantur, quot moriantur, quod Hieronymus in Habacucum fatuam Dei adulationem dixit.

Convenit inter omnes, tamen Deum diſponere membra culicis & pulicis, ut habeant vivere, moveri, eſſe. Adeoque pendere a Deo halitum omnis viventis, & dum Deus vitam rerum conſervat, omnia conſervare, quoad vivunt, &

ſi

si moriuntur, conservare potentias vitales sub alia forma.

Convenit inter omnes, præscientiam rerum, voluntatem rebus prospiciendi & curam actualem longe aliter apud Deum quam apud nos peragi, hinc stulte litigari de his citra S. Scripturam. Convenit, coinfluere diversa agendi principia, ut in crucifixione Christi, Deum, Satanam & crucifigentes, diverso scopo, at latere nos, quousque hic & nunc quodlibet coinfluat.

Convenit, nos venerari debere imperium Dei universale occultum, confidere in Deum, eventus Deo committere, omnia ipsi accepta referre, curam in minimis præstare, munus nostrum obire ad exemplar Dei nunquam ab opere recedentis.

DE PRÆDESTINATIONE.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 42. 43.

Quid rusticum maxime juvat ad conceptum de prædestinatione?

Primo. Intuitus arboris frugiferæ vel quercus, cujus glandes sunt millenæ, & tamen vix tres vel quatuor iterum in arbores progenerantur. Id præfigurat 1) electionem hominum ad statum

tum existentiæ. 2) præordinationem ad statum quendam Physicum terræ nobilioris, ubi sibi & aliis sunt ornamento, & ad statum quendam moralem nobiliorem, in quem transplantari possunt pro habitu nobiliori ad civitatem Dei. II. Lectio libri Hiob, ubi lites de absoluto decreto & lites de gratia congrua jamjam sunt præfiguratæ. Liber Hiobi considerandus est ad sensum communem in quæstionibus difficillimis scriptus.

II. QUOAD SCRIPTURAS.

§. 44.

Quomodo Sacra Scriptura conceptus de prædestinatione exaltat?

Perquam id magnifice facit S. Scriptura, instillando *primum* generaliter præordinationis seu προορισμῷ concinnam denominationem. *Rom.* 8, 30. Nulla enim præordinationis ad mortem ibi mentio fit, etsi locus *1 Petr.* 2, 8. obstare videatur. Secundo specialiter 1) oracula de universalitate gratiæ separatim oculis objiciendo. *1 Tim.* 4, 10. 2, 5. 6. *Joh.* 3, 17. *Gen.* 22, 18. *1 Cor.* 15, 22. 2) Oracula de προθέσει, prævisione & prædestinatione, insinuando, *Eph.* 1, 11. *Rom.* 8, 28. 9, 11. *2 Tim.* 1, 9.

1,9. *1 Petr.* 1,20. ubi προθεσις non sine rationibus objectivis, sed tamen non ad modulum optimi humani pensitatis, intelligenda. Ita tamen, ut agnoscamus, esse hic βάθος beneplaciti divini nobis imperveſtigabile. 3) Integra capita *Epist.* ad *Rom.* 9. 10. 11. in nexu cum reliquis proponendo, ut pateat, decreta seu πρόθεσιν Dei habere rationem tum singulorum, tum universorum, pro fide prævisa. Tertio magnifice ostendendo ex Epist. ad Ephesios *c.* 2,7. & ad Col. *c.* 1,16. seqq. quod πρόθεσις divina integrum æonum cyclum complectatur in quo omnia, το πᾶν, excepto Deo, recapitulari vel sub unum Caput Christum post impleta tempora revocari debeant. De quibus etiam *1 Cor.* 15. insignia momenta exhibet.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 53.

Quid hic Formulæ Theticæ subministrant?

Quoniam lites de prædestinatione in immensum excrevere, igitur nil attinet illas recensere; sufficit breviter annotare, electionem apud Nostrates considerari dupliciter, secundum voluntatem antecedentem & consequentem,

tem, sed quousque hanc distinctionem applicare liceat, jam §. 51. est expensum. Datur ordo electionis, in quo 1) prævisio lapsus. 2) decretum salutis per Salvatorem mittendum. 3) dispositio mediorum gratiæ. 4) prævisio eorum, qui ea accepturi sunt. 5) denique prædestinatio horum ad vitam æternam includitur.

Cæterum Reformati in diversa abeunt, alii supralapsariorum, alii infralapsariorum sententiam arripiunt, at sine *Ep. 1. ad Cor.* 15. *Ep. ad Ephes.* & *Coloss.* nunquam in his satisfiet conscientiis.

Quid observandum in his ad lites præcavendas?

R. Ante omnia notentur ea de quibus inter omnes facile convenit per sensum quendam communem Christianam: 1) Convenit inter omnes etiam alias dissentientes, Deum velle alia absolute, alia conditionate, Deoque magis placere misericordiam quam sacrificium. *Matth.* 9, 13. *Hos.* 6, 6. magis resipiscentiam quam mortem. *Ezech.* 18, 23. *1 Tim.* 2, 4. *2 Petr.* 3, 9.

2) Convenit inter omnes, promissiones & comminationes universalissime propositas esse, singulis & universis, sub certis dispositionibus Dei, perque has

has absolute decreviſſe Deum præmia piis. *2 Tim.* 4, 8. pœnas impiis. *Rom.* 1, 32. ſalvatum iri eum qui crediderit, condemnatum, qui non crediderit, *Marc.* 16, 16. qui bona fecerit in reſurrectionem vitæ proditurum, qui mala in reſurrectionem condemnationis. *Joh.* 5, 29. Cuivis eum pro operibus tributurum *Rom.* 2, 6-10. reportaturum quemvis πρὸς ἃ ἔπραξε, *2 Cor.* 5, 10.

3) Convenit inter omnes, quod quicquid Deus in tempore agat, decreviſſe ab æterno.

4) Deum non reſpicere ad perſonas *Act.* 10, 34.

5) In Deo non eſſe contradictorias voluntates, non poſſe Deum, ut quod facere jubeat, nolit id ab ipſis fieri.

6) Omnia Dei decreta in Chriſto eſſe fundata.

Dic igitur de quibus nondum conveniat?

Illa ſunt nimis multa, quam ut recenſere brevibus poſſim. Sed ſi quis bono & recto credit animo ea de quibus inter omnes convenit, ille facile rixas Scholaſticas præcavebit, præcipue ſi πρόθεσιν Dei ad totum æonum cyclum, prout fas eſt credere ex *Epheſ.* & *Coloſſ.* epiſtola, extenderit.

II. LOCUS DE HOMINE.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1. 2.

Quid homo plebejus sine ulla arte novit de homine?

Primo quilibet ab alio tangitur & præoccupatur acie oculorum; & postmodum reliquas quoque corporis partes secundum hanc exigit & æstimat. Ipse Salvator homines hac faciei observatione distinxit. *Marc.* 10, 21. *Joh.* 1, 48. Indicio, quod hoc humanitati communi apprime insitum sit.

Nilne plus per Sensum communem distinguitur?

Proverbia Salomonis docent veram methodum se ipsum noscendi, secundum typos omnibus notos. Sed incipitur ibi ac oculis, pergitur ad linguam, ad manus, ad cor, pedes. Divisio sui a se ipso, distinctio boni & mali in se, a Paulo dein ulterius exhibetur. Facultatum vera divisio non est primum in cognitione. Cognoscimus, esse desiderium in homine, esse potentias, esse cognitiones reflexas, a se ipso quasi specullariter in se ipsum repercussas. Hic s. Scriptura statim manus auxiliatrices porrigit, ne sibi imponat ipse in ono-

onomatheſia. Jeſus Chriſtus breviſſimis dicit: a fructibus illos dignoſcetis. Fructus ſunt motus oculorum, linguæ, manus, pedum, cordis, inprimis verba & doctrinæ.

II. QUOAD SENSUM SCRIPTURÆ.

§. 3.

Quid S. Scriptura de homine tradit?

Origines nominis illa unice deſcribit, ſenſui communi penitus ignotas. Deinde hominis primi præcellentiam tam ſobrie delineat, ut ſapientiſſimi Sohporum fateri cogantur, ſua cogitata eſſe his inferiora.

§. 4.

Quid autem eſt illud præcipuum?

Hominem ex duplici conflatum eſſe in unum coëunte, Spirituali & Naturali, inviſibili & viſibili, cum hac differantia, quod, cum reliqua animantia acceperint vitam ſimul cum materia, homo illam acceperit poſt formatam materiam per inſufflationem ex ore Dei in ſenſorium narium. Homo igitur eſt perſona in fine rerum ſphæræ telluris creata corpore organico & Spiritu rationali conſtans pro gubernandis inferioribus.

§. 5.

Quid denominationes vitalitatis animantium indigitant in ſ. ſcriptura?

Philoſophos ſine Deo revelante miſere philoſophari.

§. 6.

An Scripturarium eſt, hominem appellare microcoſmum?

Omnino. Legatur cap. *Eccleſ.* 12, 1-7. Cœcus eſt, qui hoc ibi non videt.

§. 7-9.

Quam hominum differentiam Scriptura maxime urget?

Homo, ut naſcitur, eſt naturalis, vel pſychicus; per ſuperadditum quid divinum fit ſpiritualis; nam vita hominis eſt duplex, naturalis & ſpiritualis. Si quis definitionem deſiderat τῶ Naturalis & pſychici, ſciat, non opus eſſe, dari talem, quoniam quo modo probamus trinitatem ex oraculis, eo modo probamus quoque ex oraculis dari Phyſicum & Pnevmaticum, a ſe invicem diſtincta. Clamat ſtylus N. Teſtamenti de hoc citra neceſſitatem probandi id ex natura rerum. Interim de ſuperfluo tamen dabo definitionem. Naturale eſt, quod a Deo creatum eſt, ut non ſubſiſtat ſine perfectivo & integrativo ſui. Id ex tota patet Natura. Spirituale eſt, quod integrat & elevat Natu-

Naturale. In Naturali quærendus est fons non purorum naturalium, ut Pontificii arguunt, sed fons labilitatis remotæ & proximæ, quodsi enim naturale est sine spirituali, tum ex labilitate lapsus oritur non quasi peccaminosum esset in se Naturale, sed quia τὸ Naturale in se subsistere vult, cum creatum sit, ut coordinetur spirituali. Quando Naturale & spirituale actu coordinata sunt, tum alio sensu hoc dicitur esse Imagini Dei naturale, proprie connaturale. Manent post lapsum plurimi naturales, neque anhelant Spirituale; hinc loco Spiritualis insinuat se illis vita diabolica; Deum vero quærentibus occurrit vita Spiritualis, hinc tanta hominum differentis. Spiritus s. inhabitat bonos; malus malos. Ille per eorum fidem verbo vitæ habitam; hic per eorum ignorantiam & obdurationem sensus communis.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 10.

Quid schola tradit de homine?

Lites ortæ sunt multæ, an duabus, an vero tribus constet homo partibus. Dicimus, duabus constare. Sed pro diverso ad auditores habitu utrumque conciliari potest. Cœlestis autem Phi-

losophia prius debet firmari ex verbo Dei. Ante hoc vanæ sunt lites. Vanum est, Philosophiam erigere, ut scriptura ad illam exigatur. Patres certe, ut Marcus Eremita & Irenæus tripartitam fecere hypostasin corporis, animæ & spiritus.

§. 11. 12.

Quid schola tradit de immortalitate animæ?

Probant. Philosophi immortalitatem ex ideis suis, dein Scripturam ad illas torquent. Scriptura immunitatem a morte tradit, *Matth.* 10, 28. & hoc præstat ratiociniis monadologicis. Sufficit illam probare ex mercede Abrahami, *Gen.* 6, 1. ex sanguine Abelis, *Gen.* 4, 10. ex fiducia Jacobi, *Gen.* 49. ex parabola Salvatoris, *Luc.* 16, 28. a clamore animarum. *Apoc.* 6, 10.

§. 13.

Quid Theologia orthodoxa docet de traduce?

Optime illa ex Scriptura traducem contra Idealistas modernos tuetur. Scilicet anima humana non præexistit, sed propagatur per traducem ex anima actu existente in formationem animæ non existentis. Plasmat Deus Spiritum hominis in centro ejus. *Zach.* 12, 1. Adam genuit Seth ad imaginem suam. *Gen.* 5, 3.

§. 14.

§. 14 - 17.

Quid docet de ſtatu integritatis?

Docet imaginem Dei conſtitiſſe in æquali naturalis & ſpiritualis vitæ temperamento. *Gen.* 1, 20. 24. Id totum ſyſtema orthodoxum alte clamat. Quod qui volunt ignorare, ſuam ipſi theſin non intelligunt; nam in lapſu ſpiritualia amiſimus, retinuimus naturalia. E. Conſtitit imago Dei ex naturali & ſpirituali. *1 Cor.* 15, 46.

§. 18 - 21.

Quid de libero arbitrio docet?

MEISNERUS, accuratiſſimus Theologus, liberum arbitrium conſiderat philoſophice & theologice. Philoſophice illud eſt niſus indifferens ad hoc vel illud. Theologice eſt ſuperadditum huic indifferenti potentiæ, nempe perfectio illius, donum gratioſum, elevatio naturalis per Spirituale.

§. 22.

Quomodo difficultates in hac materia tam late patente prævenire poſſumus, quomodo ſenſum communem Chriſtianum tueri?

R. Quod verum eſt in philoſophia, falſum non debet dici in theologia, adeoque philoſophandum eſt ita, ut vis conſequentiarum & reſpectuum Scripturæ ſ. in apricum ponatur. Vita

duplex hominis naturalis & ſpiritualis multas difficultates tollit. De intellectu & voluntate & facultatibus hominis tum demum, quando hæc excuſſa ſunt, figendi ſunt conceptus.

Notandum igitur ante omnia, de quo, ſi actu non conveniat inter omnes, conſpirari tamen poteſt excuſſo ſenſu interno:

Convenit, nullum majus eſſe ænigma quam hominem ſibi ipſi; alias non tantopere diſcordarent hominis inter ſe.

Voluntates in homine innumeras, tum ex carne tum ex ratione, propullulare, tum ex ſtatu corrupto, tum ex primæva rectitudine recurrentes, humanitus haud ſub unum imperium redigendas, luctam & contrarietatem ſemper iterantes:

Diſtingui tamen inter hæc & ſenſu interno percipi poſſe a quolibet homine bonæ voluntatis, eſſe fontem quendam Ενθυμησέων καὶ ἐννοιῶν in homine, *Ebr.* 4, 12. cordis vel ſenſus communis nomine: Ενθυμήσεις præcedere ἐννοίας, volitiones inſtinctuum prævertere notiones puras arithmeticas, geometricas, ethicas.

Eſſe tamen in homine vim inexplicabilem, per verbum cordi & ori propinquum, qua dimittere volitiones inſtin-

ſtinctuum poteſt, qua retrahere & ſimplificare ſe ipſum poteſt ad notiones illas ſibi propinquas puriores, qua vero etiam excurrere poteſt in ratiocinia & θελήματα διανοιῶν, per quæ agitantur volitiones carnis, inſtinctus complexionum, Ενθυμήσεις, & in hac vi indifferente veram libertatis naturam eſſe poſitam, per quam quoque motus momentanee voluntatem ſequitur.

Per verbum ſpirituale ſub exercitatione interna ſimplificationem illam confirmari, elevari & ſic multiplum rationis & volitionum ſub dependentiam ſpiritus redigi.

Notiones has etſi propter vecordiam & obdurationem ſenſus interni & propter ſcholaſticam diviſionem facultatum animæ in intellectum & voluntatem ſint parum familiares, quia ſunt tamen ſcripturariæ & cordi propinquiſſimæ, tales eſſe, de quibus facile convenire poſſit inter omnes, & ſic finem imponi rixis de intellectu & voluntate, an converſio a voluntate, an ab intellectu incipiat? an liberum arbitrium ſuperſit, nec ne? quomodo differat libertas philoſophica & theologica?

Convenit tamen actu inter omnes, eſſe in homine deſideria, volitiones, inſtinctus, quibus fertur in objecta,

quemadmodum Paulus dicit de Athenienſibus, quod ignorantes Deum colant. *Act.* 17, 23.

Adeſſe cœlitus aſſiſtentes notiones anticipatas theoreticas & practicas, quæ in cujusvis diſcurſu ſemper pro baſi ſunt, etſi aſyllogiſtiæ committantur contra illas innumeræ; per quas quilibet alterum judicat, per quas Deus hominem in conſcientia abſolvit vel condemnat:

Per has tendere hominem ad cœleſte quoddam, ad immortalitatem, ſuper qua *Sap.* 2, 23. auguratur & quandoque ſentit ſeſe conditum eſſe, per has de ſuppliciis poſt mortem ſibi metuere, ſi male egerit, adeoque immortalitatem animæ dari actu experiri, ſi vel per ratiocinia neget dari.

Convenit inter omnes, hominem contrariis & inter ſe pugnantibus agendi principiis urgeri & impelli, ut faciat, quod deteſtatur.

Convenit, hominem a primæva deturbatum excellentia generare nunc ſimilem ex ſimili.

Convenit, reſiduos eſſe primævæ excellentiæ dominationis & libertatis niſus & recurſus, in ipſis vitiis conſpicuos; quid enim eſſe diceres ſuperbiam, avaritiam, niſi ex generali niſu ad perfectio-

fectionem incurvatum & determinatum appetitum ad dominationem & opum præpollentiam?

Convenit, reſiduam eſſe libertatem, qua non tam coactus quam deceptus in mala ruit; libertatem differre pro ſtatu vel corrupto naturali vel elevato ſpirituali, proque circumſtantiis, queis objicitur: hinc certum eſt, nos volentes orare, loqui, operari, & tamen Deum operari omnia in omnibus, Spiritum clamare Abba, Deum velle & operari efficere; operante Spiritu Dei juvari arbitrium, non auferri; ſi non ſit liberum arbitrium, Deum non poſſe mundum judicare; ſi non operetur gratia, Deum non poſſe mundum ſalvare.

De his convenit inter omnes; quod vero in quibusdam non conveniat, inde eſt, quod magnum illud differentiale naturalis ſeu pſychici & ſpiritualis cum utriusque per alterum integratione non perfecte hactenus penſiculatum & ad quæſtiones de libero arbitrio adplicatum fuerit.

III. LOCUS DE LEGE, JUSTITIA ET PECCATO.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1. 2. 3.

Quid sine arte docet homines Deus de lege?

De lege, & justitia instruuntur homines per vitam socialem. An dici possit, Deum docere homines de lege naturæ, ambigo. Natura enim, secundum Hippocratem, legi contraria, quia lex est tantum simulacrum Naturæ. Homo sine Deo originem legis nescit; per revelationem adjutus videt oriri legem, quando modus præscribitur compositioni virium diversarum ne divergant ab unitate simplificationis. Sufficit sensui communi, nosse, legem esse regulam vitæ.

II. QUOAD S. SCRIPTURAM.

§. 4.

Quomodo S. Scriptura docet de lege?

R. Historiam status institutionis & destitutionis integram tradit, sicque instituta Dei Adamo lata clare ostendit.

§. 5.

At vero nil dicit de lege, a Theologis fœdus operum dicta?

R. Lex non semper consistit in regula

gula monadica, sed in institutione status cujusdam ad scopum vitæ perficiendæ, in quâ status conformatione ad externa signa voluntatis divinæ fœdus quoddam Dei includebatur.

§. 6.

Cur lex vitæ post lapsum dicitur Lex mortis & peccati?

Adamus in imagine Dei constitutus potuit incrementa capere vitæ naturalis & spiritualis, post lapsum vero privatus est vitæ spiritualis vegetativa virtute, hinc externa lex nullam amplius efficaciam ad vitam sed ad mortem habere potuit. Inde est quod S. scriptura legem non amplius describat secundum eam partem, quæ ad justitiam obligat; sed secundum eam, quæ condemnationem & iram operatur. Homini semel a vita Dei alienato per fractionem legis internæ, h. e. per dissolutionem vitæ naturalis & spiritualis plane aliæ dispositiones opus fuerunt, ac prius habuit.

§. 7.

Quænam sunt illæ dispositiones?

R. Dispositiones gratiosæ, vitam reducentes, non per vires insitas sed per vires acceptas. Fecit itaque Deus unam dispositionem multis articulis constantem, in qua, quod fœdus operum ab Adamo

Adamo exegit, Christus in se recipere ret præstandum, ut nos per Christum ejusque gratiose subministratas vires, Deo iterum placere possimus, Christo inserti.

§. 8.

An lex Sinaitica etiam comprehendebatur sub una illa dispositione gratiosa?

℟. Fuit tum clausula quædam, quæ propter peccatum addebatur, tum figura fœderis gratiæ. Fœdus Sinaiticum pro Christo erat fœdus operum ab ipso explendum; pro Israële fœdus gratiæ, cujus conditio legalis ab alio præstita cessit in bonum Israëlis. Conditio legalis tum ratione culpæ tum ratione pœnæ consideranda est.

Quomodo probatur fœdus Sinaiticum Christo fuisse fœdus operum, nobis fœdus gratiæ?

℟. Fœdus Sinaiticum injungebat actus, qui jus darent ad vitam. *Gal.* 3, 10-12. & maledictionem indixit transgressoribus. Cum vero per hominem non steterit, neque actus illos elicere, nec maledictionem tollere, igitur in fœdere Sinaitico intendebatur perfecta Christi pro nobis obedientia, & satisfactio pro pœnis exigendis. Fœdus Sinaiticum vero fuisse Israëli fœdus gratiæ, id præter alia ex eo patet, quod quan-

quando Israëlitæ non peccabant contra fundamentum sacerdotale, in cæteris facili remissione & gratiosa præsentia Dei frui potuerint.

§. 9.

Recte hæc dicuntur & sunt fundamentum intelligendi epistolas Pauli ad Rom. Gal. & Ebræos, sed unde tanta stili diversitas in Paulo & Johanne?

Paulus ad tenorem dispositionum antiquarum & novorum scripsit. Johannes vero stilum habet magis abstrahentem a dispositionibus antiquis, quia fideles N. T. non amplius ducuntur occulta sub lege fœderis gratiæ, sed aperta regni cœlorum dispositione. Hinc tanta diversitas methodi moralia tradendi in V. & N. Testamento.

§. 10-12.

Adeoque noscendæ sunt res spirituales jam ex imis fundamentis Physico-moralibus, invisibilibus?

Omnino. Hinc opus est habere notiones Apostolicas non tantum philosophicas, nimirum de vita, de anima, de viribus animæ, de peccato, de corruptione animæ, de restitutione animæ, de regno peccati & diaboli. Comparandæ sunt igitur duæ methodi, methodus anthropopathica œconomica, & methodus theoprepica plane spiri-

spiritualis, in Apocalypsi revelata. Inquirendum in rationes denominationum scripturæ & in Philosophiam cœlestem.

§. 13.

Propter usum porismaticum velim revocari dicta sub unum?

Id jam factum est in ipso Libro §. 13. Prolixum nimis esset hic repetere. Vitam sub debitis dispositionibus & justo regni cœlorum ordine quære, idque moraliter & physice.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 14.

Unde theologia nostra probat, dari fœdus operum?

Ex oppositione inter Adamum & Christum, *Rom.* 5. ut personas publicas. Adamo peccante omnibus imputatur peccatum: Christo justificato omnibus imputatur justitia, qui in Christo sunt.

§. 15.

An igitur imputatio peccati Adamici fit nobis ex respectu capitis fœderalis?

Culpa peccati non imputata nobis est ex respectu solo naturali; Ergo magis ex respectu capitis fœderalis. Deus scit profunda Physica: nos hactenus non peccamus ita statuentes. Imputatio

tio immediata non concipi potest sine mediata.

§. 16.

Quid de positivo peccati originalis docet Theologia?

R. Optime secundum S. Scripturam illa statuit peccatum originale non in negativo solum sed in positivo. Scilicet vita naturalis, deficiente spirituali, non mansit vacua, sed ob defectum spiritualis evasit progerminativa mali positivi. Id Theologi urgere debent contra idealismum modernum.

Quomodo de obligatione Christianorum ad legem Mosis statuendum?

Distinguendum inter legem, ut mandatum perenne, & inter legem, ut institutum temporarium. Ad illam semper obligamur ex ratione dependentiæ, ad hanc non item. Hinc abrogatis veteribus institutis lex per fidem in Christum erigitur & elevatur in dispositiones meliores.

Quid pro sensu communi Christiano ad dirimendas controversias hic notari meretur?

Multa cum Antinomis modernis controversia hodie suborta est, quæ tamen facile conciliatur apud eos, qui contradictoria etiam alia per id, de

quo

quo inter omnes convenit, combinare sciunt.

Convenit Legem in S. Scriptura vario sensu sumi.

1) Pro tota Doctrina & Scriptura Dei, *Jes.* 2,3. *Ps.* 119.

2) Pro veteri Testamento; nam *Joh.* 15,25. dicitur in Lege scriptum esse, quod *Ps.* 35, 19. extat. *1 Cor.* 14, 21. *Jes.* 28, 11.

3) Pro libris Mosis; ut *Luc.* 24,44.

4) Pro regula & vi quacunque, ut Lex peccati, mortis, spiritus, mentis, lex in membris. *Rom.* 7.

5) Pro decalogo vel lege morali, cujus summa est charitas. *1 Tim.* 1, 5. 8-11.

6) Pro typo & figura per gratiam & veritatem JEsu implenda *Joh.* 1, 17.

Convenit inter omnes, controversias de Lege & Evangelio nostris seculis motas esse valde arduas, quia methodum spiritus, methodum prædicandi regnum cœlorum concernunt, & quia Lex & Evangelium, etsi theoretice distinguantur, practice tamen puncto mathematico conjunctiora sunt.

Convenit, oriri controversias de Lege & Evangelio, quia non eo sensu, ea extensione eaque methodo differitur de illis, quæ a Spiritu S. adhibita est.

Quan-

Quando Paulus 2. ad Cor. de litera & spiritu differit, moderni restringunt extensionem ad legem & Evangelium, cum tamen litera & spiritus multo latius pateat.

Recte TERTULLIANUS in initiis Libri contra Judæos; ante legem Mosis in tabulis lapideis scriptam, legem fuisse non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur & a Patribus custodiebatur. Dicit, hanc Legem primordialem Adamo & Evæ in Paradiso fuisse datam, & legem illam primævam (de fructu arboris interdictæ non comedendo) fuisse omnium præceptorum in lege morali quasi matricem. Patet hinc, quousque resolvi fas sit ideas de Lege & Evangelio, si contradictoria debeant uniri.

Antinomorum & Libertinorum opiniones, quod Legis nullus amplius sit usus, ex dictis *Rom.* 6, 14. *Gal.* 5, 18. facile per praxin Jesu *Matth.* 5, 17. & per Pauli dictum *Rom.* 3, 31. coæquantur. Quamvis renati quoad rigorem non sint sub lege, quamvis gratia efficiat, ut Lex non amplius sit vis peccati aut instrumentum, tamen Christus & Paulus legem in usus vocarunt subinde extantes.

Qui negant peccatum originale; adeant librum Jobi & pudebit contradi-

centes. Sufficit, sine Spiritu S. majorem in infantibus ignorantiam esse, quam in brutis cernitur:

Sensus communis hebetudinem, sine sacra scriptura esse maximam; esse quidem animæ centrum Lucernam Domini, sed corporis distemperamento offuscatam: Natura nos filios esse iræ, esse sub Dæmonis potestate, esse concluſos sub peccato: Omne plasma cogitationum cordis, nonnisi malum esse toto die, per expressum Dei oraculum. *Gen.* 6, 5. Voluntatem hominis esse mixturam, ex spontaneo & præcurrentibus rationem appetitibus, ex θύμῳ oriundis.

Ex corde, quantumcunque alias sedes sit sensus interni, tamen prodire malas cogitationes, &c. & ex toto homine oriri carnis & spiritus inquinamenta, cædes, furta, adulteria. *Matth.* 15, 19. Definitionem brevem peccati, nisi per ἀνομιαν, dari non posse; quoniam vero regula non tantum est externa sed & interna, hinc peccatum tum in negativo tum in positivo simul constans summam irregularitatem & cordis & rationis & actionis dicere.

De stipendio peccati sive reatu ad pœnam definitiones non dari posse satis fœcundas; sensum irati Numinis Cainum

num dixisse intolerabilem, *Gen.* 4, 13. iram Dei non esse tantum meram displicentiam, sed per varias scripturæ denominationes esse calicem excandescentiæ divinæ, hinc sequi ejectionem in tenebras extimas, lacum ignis & sulphuris, ejulatum & stridorem dentium.

Quibus spatiis determinetur satisfactio iræ, justitiæ & legis, scripturam variare; mox duplici, mox septemplici mensura, mox indeterminata εις αιωνας αιωνων describi. Adeoque convenire deberent mortales in his per sal & pacem, non in vanum litigare.

IV. LOCUS DE GRATIA. A.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1. 2. 3.

Quomodo quilibet indoctus ex aspectu universi instruitur de gratia?

R. 1) Videt boni & mali, lucis & tenebrarum luctam in omnibus. Videt, uno verbo, vanitatem rerum sub sole positarum, quod frustrentur plurimæ scopo, ad quem creatæ sunt. Unum sub magna inconstantia deprehendit stabile, desiderium insitum infiniti. Sed & hoc difficillime implendum. Hinc

Deo duce ad concludendum instigatur, illum naturæ gementi salutem providisse, providisse ea via, quæ toti prosit humanitati. Hinc providentiæ adjumentis directus, ut Magi Orientis, facile in exquirenda salute historiæ de Redemtore seu de Rege veritatis assensum præbebit. 2) Videt emblemata iræ in fulguribus, tonitrubus & grandinibus; videt emblemata gratiæ in pluviis & frugiferis tempestatibus, unde recta ad Deum tangendum & in Christo inveniendum ducitur.

II. QUOAD SCRIPTURAM SACRAM.

§. 4.

Quid in sacra scriptura avide legenti oculos maxime perstringit?

℟. Nomina omnium, quæ bona sunt, Christo tribui inveniet: Christum igitur a Patre datum cum summa exultatione agnoscet, præcipue suis ipse peccatis vulneratus de medico tam omnisufficiente sibi gratulabitur.

§. 5. 6.

Quænam vero methodus Christum manifestandi in S. paginis est extantissima?

Omnia dictum unum *Gen.* 3, 15. explicant. Omnia ad id insinuandum composita sunt, ut agnoscatur; Jesum semel

mel in Carne humana adparentem sub N. T. esse illum in V. T. promissum regem seu Unctum gloriæ. Hoc semel agnito, unum & verum fundamentum est positum. Ædificet igitur quilibet se ipsum tum ex lectione, tum ex auditione ad plerophoriam intelligentiæ unius mysterii Dei Patris & Christi, ut supra jam dictum. Plerophoria intelligentiæ incipit a vita & gloria Dei in Christo revelata, & per æonas angelis & hominibus revelanda. Hæc est una & constans voluntas & dispositio Dei, sub hac indies sapientiores ad salutem reddamur.

§. 7 - 11.

Quomodo Christus ut mediator inter Deum & homines indies agnoscitur penitius?

Incipiat quivis a se ipso, a tractu Patris ad Christum, & sentiat sub lectione s. scripturæ, quo maxime feratur in agnoscendo Christo. Interim ubicunque incipiat, cum veneratione ima vitam Dei in Christo patefactam sibique in fide communicandam mirabitur. Ratio summa, cur Christus officium mediatorium solus sustinere potuerit, est, quod Christus accepit a patre vitam habere in semet ipso, & quod ut princeps vitæ mortem morte vincere potuerit,

tuerit, ut nos participes vitæ faciat. Hoc fine Zacharias *cap.* 1-4. hoc fine Apocalypseos, *c.* 4. & 5. hoc fine Paulus ad *Ebr.* 2, 10. legendus. Sic persona Christi seu unio verbi & carnis considerandæ: sic status, sic officia Christi meditanda sunt. Quoad status, dum Christus omnes humanitatis gradus emetiendo consummatus est & glorificatus. Quoad officia, dum vitam hominis & omnium exaltare, & propterea mortem pro omni rerum universitate, Deo excepto, gustare ipsi, secundum decentias divinas, demandatum fuit, ut pacem in cœlis & terris faciat per sanguinem crucis.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

§. 12. Quomodo Theologia idem docet? Dum fœdus gratiæ pro objecto Evangelii ponit, ut illud tanquam dispositio & voluntas Dei æterna ea universalitate prædicetur, quæ lapsus universalitatem superet.

§. 13. Quomodo characteres adventus Christi designat? R. Dum clara & definita signa in V. T. prædicta, in novo impleta distincte tradit; qualia fuere natales Johannis. *Jes.* 40, 3. defectus sceptri Judæorum. *Gen.* 49, 10.

§. 14. Quid de ejus incarnatione docet?

cet? Dum duarum naturarum perichoristicam conjunctionem terminis securis pronunciat, ita ut post conjunctionem quadruplex communio observanda sit. 1) subsistentiæ. 2) naturarum. 3) idiomatum. 4) operationum.

§. 15. 16. Quid de statibus asserit? Quod sint status duo; exinanitionis & exaltationis: quod ille consistat. 1) in reali evacuatione usus reflexi majestatis divinæ. 2) in donorum habitualium abdicatione. 3) in formæ servilis assumtione. 4) in occultatione usus directi majestatis ad creaturas. 5) In præstatione obedientiæ activæ & passivæ; quod status exaltationis positus sit 1) in ipsa vivificatione & hanc excipiente descensu ad inferos. 2) in resurrectione. 3) in adscensione. 4) in sessione ad dextram Patris.

§. 17. Quid de officiis Christi? R. Communiter docet, esse triplex officium; sed cum propheticum ad sacerdotale reducendum sit, dichotomia ex Legibus dividendi præstat trichotomiæ. Officium sacerdotale peragitur in cœlo, benedictione & intercessione, satisfactione vicaria prius in terris præstita. Satisfactionis vero hic notanda necessitas, veritas & universalitas.

Quid hic pro sensu communi Chri-

ſtiana notandum? Myſterium Dei in homine tam ſtupenda res eſt, ut pudere deberet Philoſophos more humano objectiones hic oggerere, dicendo: aut aliquid eſt finitum aut infinitum; jam ſecundum Neſtorianos finitum non eſt capax infiniti. Ergo Deus hominem non aſſumſit. Porro: adeſſentia ſubſtantiæ ad ſubſtantiam non recipit majus aut minus, cum tamen non repugnet, gradus dari omnipræſentiæ in Natura gratia & gloria, quemadmodum apud mathematicos in confeſſo eſt, dari gradus infinitorum. Maneamus igitur in terminis ſcripturæ, tum facile conveniet inter omnes. 1) Chriſtum, unctum Dei, complecti omnes appellationes, tum ex natura divina, tum ex humana, tum ex officiis deſumtas: Reſpectu divinæ, Chriſtum dici Jehovah, verbum Patris; reſpectu humanæ, dici virum dolorum, filium Abrahæ, David, ſemen mulieris; reſpectu officiorum, ſalvatorem, expectationem gentium, regem, ſacerdotem, Adamum poſteriorem. 2) Quanquam de perfectis definitionibus de ſubſtantia & modo nondum inter eruditos conveniat, nos tamen cogi verbis ſcripturæ, *Jer.* 23, 5. 6. 33, 15. *2 Cor.* 5, 19. ut dicamus, hypoſtaſin eſſe ſubſtantiam individuam, in-

intelligentem, respective incommunicabilem, nec partem, nec sustentatam aut dependentem ab altero, sed centrum subsistentiæ habentem in se ipso, ita ut centrum universale hoc centris particularibus adimat condominationem, ut divina hypostasis humanæ ademit hypostaseos paritatem, illam enim hanc redigere in subjectionem sui: ανυποστατον igitur esse, quando centrum particulare non amplius existit per se, sed per aliud: Ενυποστατον, esse, quando cum alio secundum centrum substantiæ differente, compositam hypostasin unam perficit, centro particulari quovis per spiritum universalis in unitatem redacto, sic tamen ut unio nec sit essentialis, nec accidentalis, nec integralis, nec quibusvis aliis terminis exhaurienda, brevi, sui similem non habens; solo hoc sub sole novo, passivo mutabili tamen per activum immutabile elevando: Communicationem proprietatem igitur in Christo eam esse, qua ob humanæ & divinæ naturæ unionem hypostaticam, personæ & naturarum idiomata alterutri naturæ sive utrique vicissim attribuuntur; divinæ humana, *2 Tim.* 2, 8. humanæ divina, *Col.* 3, 9. toti utraque. *Gal.* 3, 13. *Act.* 20, 28.

3) Hæreses adversus Dominum Salva-

torem ad tria capita reduci. Hæretici enim. 1) vel naturam divinam violarunt, ut Paulus Samosatenus & Socinus & Arius. 2) vel humanam, ut Marcionitæ, qui corpus Christi Phænomenon dicebant. 3) vel unionem, ut Eutychiani, qui naturas confuderunt, & Nestoriani, qui nimis separando, duas personas statuerunt. 4) Conveniamus igitur ita, ut absque confusione, conversione, divisione & separatione unionem naturarum in una persona intelligamus, nec tamen demonstrationibus nimis hic tribuamus.

AD LOCUM IV. DE GRATIA. B.

DE OPERATIONIBUS GRATIÆ.

§. 18. Quis est scopus Dei cum homine post glorificationem Jesu Christi? ℟. Ut Christus sit vita ejus. *Coloss.* 3, 4.

§. 19. Quonam ordine Christus vita hominis fit? ℟. Homo elevare debet desiderium & cogitationes suas ad annuntiationem salutis in Christo: meditando quomodo vita hæc in Christo inde ab incarnatione per exinanitionem ad exaltationem traducta fuerit, & quomodo post residentiam Christi, in tabernaculo cœlesti captam, omnia vivere & operari debeant ex Christo. Sic Spiritus Christi cum anima hominis unitur,

tur, & Spiritus ille commercium inter animam & Christum ipse testatum reddit; sic operationes gratiæ succedunt. Ordo regenerationis, conversionis, pœnitentiæ, justificationis, sanctificationis, adoptionis, celeri progressu apud simplices & rectos corde hic peragitur. Juvat autem quam maxime, si verbum Dei cum administratione spiritus a docente prædicatur. Impedimento est, si vocatio Dei in mera litera sine vivo offertur ordine. Edidi propterea Proverbia Salomonis cum triplici methodo morali, nempe methodo 1) Naturæ. 2) Salomonis & 3) Jesu Christi, ut uno quasi obtutu differentia dispaleſcat, & excellentia methodi Christi oculos stringat.

§. 20-23. Sed quis methodum illam simpliciſſimam facile capiet hodie? R. Verum est: multæ hoc seculo viæ, simplicitati adversæ, se exserunt. Anfructuosi ambitus sub optima intentione eriguntur; Ipsæ accommodationes nimiæ ad statum corruptum sunt periculosæ. Igitur cuivis vigilandum est, & ab ovo quasi incipiendum. Orandum, confidentiam suam in Deum inexhaustis modis excitando, quærendum, ad regulam N. T. sese unice attemperando, & ex collisionibus se simplificando,

cando, pulsandum, non cedendo malis, moris & difficultatibus, dabit se via simplicitatis divinæ. Quantumcunque aliquis, ut Arndius, contradictiones patiatur in via recta, tamen fide & patientia triumphabit rectitudo cordis.

§. 24.

Quid igitur formulæ theticæ prosunt? R. Prosunt admodum ad coërcendam luxuriem ingenii humani. Sapiens Christianus ex omnibus usum trahit. Providentia partes insignes habet in salutis ordine publico tramiti accommodando.

Quomodo igitur Theologia orthodoxa salutis ordinem suis signat limitibus? R. Scripturæ admodum conformiter in describendis gratiæ operationibus primum agit de vocatione, per quam in prædicatione Evangelii gratia hominibus offertur. Vocationi respondet fides. Hæc, quia gratiam pro objecto habet, Deum non quasi opere quodam allicere & obligare nitatur, sed semper misericordiam expectare debet, quantumcunque viribus vitæ præpolleat. Ex fide fit regeneratio, seu vitæ spiritualis radices generantur. Unde homo firma conversione erigitur ad Deum, sub gratia ut olim præveniente & præparan-

parante, sic nunc operante & cohabitante. Conversionis effectus est pœnitentia seu intima humiliatio coram misericordia & gratia Dei, per novas cogitationes prioribus præsumtuosis contrarias. In hoc statu capax est homo justificationis; seu justitiam Christi pro sua judicare & firma conclusione tueri potest. Nam fides, ut semper facit humiles, sic semper est justifica, in passivitate ad gratiam demissa; unde sanctificationis realissima genesis exsurgit, nempe conformatur homo per spiritus paupertatem in intellectu & omnibus animæ viribus ad legem Dei in Christo. Ex sanctificatione serenitas conscientiæ & testimonium adoptionis & communio hæreditatis divinæ cum Christo stabilitur, cui quoque respondet in intimo sui unio mystica seu status confirmatus communionis vitæ Christi in fide, in quo impletur operibus justitiæ per vitam & operationem Christi ad gloriam Dei. Et hæc est anima orthodoxæ fidei. Huc nos concentrare debemus per formulas theticas; non vero per illas nos dissipare in lites & controversias, turgescentiæ spiritualis altrices. Fugit illas vera cordis humilitas. Certandum cum principe tenebrarum, cum carne, cum se ipso.

ipso. Erigendum cor ad Deum Patrem inexhaustis confidentiæ nisibus ex Christi intuitu renovandis.

Quid pro sensu communi Christiano, pro sale & pace, queis sectarismus disputantium abscinditur, hic notandum? Ante omnia notandum, neminem nosse filium nisi patrem, neminem nosse patrem nisi filium, & cui filius vult revelare; revelari vero id non sapientiæ & intelligentiæ suæ insistentibus, sed parvulis; adeoque nisi quis animo infantili & demisso de his colloquatur & differat cum aliis, vanas esse disceptationes: Gratiam & veritatem cœlos & nubes annunciare: Gratiam & veritatem per Jesum Christum oriri in cordibus humilium, ad verbum unctionis cum expectatione & patientia attendentium, donec Phosphorus illucescat: Illis qui sunt ex contentione, nec secundum patientiam boni laboris, nunquam satisfieri per methodum Scholasticam, semper dubios manere vanos fidei demonstratores. Ante omnia conveniendum esse in hoc, quod S. scriptura non una definitione Evangelii & fidei utatur, sed quod mox latiore mox strictiore significatu utrumque sumat: Conveniendum est: Evangelium esse lætum nuncium. 1) De eo, quod annun-

nunciet hostes per Christum fugatos, pacem restitutam esse parta victoria. *Luc.* 1, 74. *Col.* 1, 13. 2) De eo quod consolationem annunciet pœnitentibus, qui per peccata dupliciter punitos sese agnoscunt. *Jes.* 40, 1. 2. 3) De eo, quod attributa Christi, *Jes.* 9, 6. enumerentur ad filiationem nostram, ad liberationem ex carcere infernali, *Zach.* 9, 11. ex potestate Satanæ ad mortem morti inferendam, ad pestilentiam gehennæ, *Oseæ* 13, 14. neque posse Evangelii latitudinem exhauriri nisi ea methodo, qua Christus utebatur. *Luc.* 24, 25-27. *Matth.* 5, 17-19. Tot definitiones esse, quot descriptiones. *Matth.* 1, 20. 21. 9, 13. 11, 28. *Marc.* 16, 16. *Joh.* 1, 12. 5, 24. 6, 40. *Act.* 10, 34-36. Tantam esse plenitudinem Spiritus ut geometricos definitionum limites exundet. Evangelium mox administratio Spiritus ἐν δόξῃ, ministerium Novi Testamenti & justitiæ, dicitur; mox sermo reconciliationis, quem legati Apostolici annunciant Christi nomine; mox doctrina in qua justitia Dei absque lege manifestatur testimonio Legis & Prophetarum comprobata; mox revelatio mysterii, ab ævis silentio retenti, nunc manifestati & omnibus gentibus declarati; mox testimonium Christi, *1 Cor.* 1, 6.

1,6. mox sermo de cruce, stultitia iis qui pereunt, potentia salvandis. Sunt qui definitioni Evangelii solam remissionem peccatorum objiciunt pro formali; sunt qui conditionem operum addunt. Sed semper his definitionibus lites augentur, scandala cumulantur. Convenit, omnibus, etsi Christus novus Legislator non sit, per novam tamen dispositionem antiquasse dispositionem veterem. Hinc Christus dicitur locutus esse ut potestatem habens, conformiter tamen stilo curiæ cœlestis. Conveniendum igitur quoque, quod fidei definitio non una respondeat plenitudini definitionum Evangelicarum. Occurrunt octo fidei acceptiones in s. literis. Sumitur. 1) Pro credendorum complexu, *Ebr.* 6, 1. 2. & summa doctrinæ. *Rom.* 1, 5. 3, 17. 2) Pro cognitione Dei in Christo & metro agnitionis mysteriorum. *Rom.* 12, 3. 3) Pro Evangelii professione, *Rom.* 1, 8. per mundum annunciati. 4) Pro vi miraculosa. *1 Cor.* 13, 2. 5) Pro gaudio & acquiescentia interna ex Evangelio. *2 Cor.* 1, 24. 6) Pro nudo rerum divinarum assensu, quem diaboli trementes habent. *Jac.* 2, 19. 7) Pro assensu inchoato Evangelio recens exhibito, *Act.* 13, 8. a quo Magus Elymas absten-

abſterrere fideles conatus eſt. 8) Pro fide cordis plena, ſeu πληροφορια qua totum Chriſtum, qua regem & ſacerdotem integro corde agnoſcimus & amplexamur, quæ fides ſola juſtificat. Sic in confeſſo eſt apud omnes, nusquam legi in ſ. literis, nos ſola fide juſtificari, abſtractive & metaphyſice, ſine reliquis fidei inſtrumentis, quale eſt Evangelium ipſum, ſacramentum baptiſmi, ipſe Chriſtus & ejus ſubdelegati, *Joh.* 20, 23. quorum eſt ſeipſum ſervare & eos qui illos audiunt, *1 Tim.* 4, 16. preces & ſupplicationes quotidianæ, *1 Tim.* 2, 1. etſi ſolus oculus videat, tamen oculus non videt ſine capite ſine trunco; fides etſi ſola juſtificet, tamen ſemper inſtitutis Chriſti circumfuſa eſt. In confeſſo eſt apud omnes per oraculum Pauli. *1 Cor.* 13, 2-13. Charitatem eſſe majorem ſpe & fide, charitatem eſſe ligamentum perfectionis, legem regiam, viam maxime ſtratam, absque diverticulis & errandi periculo: Nihilominus neminem dicturum, nos charitate juſtificari. Hinc fides, qua ſola juſtificamur nunquam eſt ſola & abſtractiva, quemadmodum oculus nunquam ſeparatus eſt a capite, etſi ſolus videat. Facile igitur controverſiæ componi poſſunt ab iis qui ſale & pace

delectantur, nunquam finiuntur a rixatoribus, & iis, qui abstractionibus suis monopolistarum more tripudiant. In confesso est igitur apud omnes, remissionem peccatorum esse favorem Dei gratuitum, justificationis termino venientem; ubi forensia vocabula ex abundanti concurrunt. Judex, judicium, tribunal, reus, accusator, testis, chirographum, debitum, advocatus, absolutio, condemnatio. Quid plura? An sola fides debita nobis remittit? An non Dominus, an non Deus solus justificat? Sit ita, solipsissimum exprimi, *Rom.* 3, 23. *Eph.* 2, 8. *Gal.* 2, 16. *Rom.* 4, 6. 7. 8. tamen hæc omnia in toto nexu sumenda sunt. Sola gratia justificamur. Hoc omnes concedunt. Fides sine pœnitentia, Melanchtonis verbo, est inane somnium. Igitur verborum formulis discrepantes concordes sumus quoad rem, si modo in his conveniamus, in quibus omnes convenient. 1) Justificationem esse actum forensem, quo peccata remittuntur; esse simul actum Majestaticum, quo justitia Dei seu resplendescentia attributorum ex fonte bonitatis in nos fideles spargitur, cujus nos per fidem recipimus & repercutimus radios. *Rom.* 1, 17. 2) Dei igitur solius esse justificare,

care, Dei hoc esse axioma. 3) Justificatos esse tales, qui manifestationem justitiæ divinæ receperunt in se per fidem, superantem manifestationem iræ Dei ex cœlo. *Rom.* 1, 18. 4) Fidem igitur etiam continere potentialiter justitiam, hinc fidem pro justitia reputari. 5) Sub hoc visus puncto totam epistolam ad Romanos intelligi debere; sub hoc omnes conspiraturos, rixatores solum discrepaturos.

V. LOCUS DE ECCLESIA.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1. 2.

Quid sensui plebis de ecclesia & mundo occurrit? R. Quum per sapientiam in plateis loquentem hactenus instructus fuit, atque firma persuasione fidei illam in carne apparuisse & in cœlum rediisse tenet, acquiescit unice in optima Jesu Christi institutione, perversitatem mundi perhorrescit, societatemque quærit cum iis, qui eundem habent sensum, sed quum impeditam mundano schemate inveniat, sub multis angoribus & gemitibus facit id, quod sapientia semper fecit; Ut enim illa non erubuit in foris, scholis, opificiis interesse, sic in medio generatio-

nis curvæ & perverſæ degit, ſenſum autem ſervat intemeratum, quousque poteſt, genuinæ ab antiquo doctrinæ, cum veris chriſtianis communem.

§. 3. *Daturne ſenſus ut communis inter omnes homines, ſic inter fideles & vere Chriſtianos?* R. Datur omnino, inter veros Iſraëlitas ſpirituales, & cum his unum ſenſum, unam ſententiam habere communem gaudet, ſi vel nullo poſſet alio frui commercio.

II. QUOAD S. SCRIPTURAM.

Cum ſacra ſcriptura hujus ſenſus unica ſit norma, dic in compendio, quid illa dicat de eccleſia? R. Eccleſia eſt cœtus e mundo evocatus. Mundus hujus æonis, malis ex prævisione Dei multis, gravatur: ſequentes æones puritatem promittunt. Hinc ad futura præparant ſe fideles in hoc æone malo. Nil vero magis in votis habent, quam cum regeneratis unitatem ſpiritus habere & conſervare per unicum vitæ fontem. Ut enim a vita Dei pendet tum reſuſcitatio Chriſti, tum fidelium vita ſpiritualis; ita etiam unitas ſpiritus. Hinc deſiderium communionis immenſum quaſi eſt propter unitatem ſpiritus in Deo Patre, in Chriſto & in fidelibus. At quam hoc hodie deſi-

desiderium sufflaminatur! Mirum pauciores inter nos Eremitas dari, ac tempore patrum, Hieronymi, Macarii.

§. 7. *Video in singulis Theologiæ locis ad vitam Dei recte recurri; At ante hanc informationem non putassem locum de ecclesia tantam lucem accipere ex vita Dei?* R. Non possumus contra veritatem, sed pro veritate. Dextra Dei est tanquam stella polaris, circa quam rotantur omnes Loci Theologici, omnesque ecclesiæ phases. Dextra Dei est fons vitæ, quem Christus in humanitate occupavit, unde omnis Christianorum virtus & justitia; unde omnis ecclesiæ colligatio per hanc. Ex hac sane Paulus *Eph.* 1, 16-23. nexum ducit totius epistolæ, & qui hoc non videt, spiritum & nexum epistolæ non videt.

§. 8. 9. 10. *Nonne hinc mutua quoque subministratio vitæ Dei in ecclesia deducitur?* R. Facile hoc cuivis patet. Nam cum in id omnis vis N. T. tendat, ut Christus sit vita fidelium; quid instituta Christi per verbum & sacramenta aliter intendere possunt, quam varios communicandæ invicem vitæ Dei modos? Imo vult spiritus Christi, ut subministratio vitæ Dei per

quotidiana mutua officia & actiones communes peragatur.

§. 11. 12. 13. *Video jam penitius, id ab illo fundamento pendere, quod unio Christi personalis & mystica fidelium ab una vita Dei prodeat?* R. Vera Ecclesiæ definitio hoc omne complectitur. 1) Fontem unum vitæ Christi & fidelium ex Deo. 2) Inde sensum communem membrorum ex una vita. 3) Actiones mutuas membrorum ad vitam sibi invicem subministrandam. Hinc ne impediatur reatu peccati, confessio & absolutio in Ecclesia obtinet.

§. 14. *Video jam quoque originem sacramentorum & dispositionum V. & N. T. id si placet enucleabis paulo amplius?* R. Deus cum spiraculo vitarum inflato dedit homini desiderium æternitatis, cujus plus habet sensus quam reflexæ cognitionis. Igitur subvenire Deus volens huic desiderio, etiam cultum & media salutis dedit, sc. primam dispositionem ceremonialem veterem: Impleto tempore patefactæ vitæ Jesu Christi dedit dispositionem non tam ceremoniis quam principiis insitis vitæ concinnam. Duo tantum instituta principalia in ea injunguntur, secundum duos actus fidei, baptismus & sacra cœna.

cœna. Per illum abolitio veteris, per hanc induitio novi hominis magis innuitur. Certe baptismus magis initiationem, s. cœna magis confirmationem intendit.

§. 15 - 19. *Quid s. scriptura docet de ecclesia visibili & invisibili?* &c. Hæc distinctio non occurrit: sed si ecclesia in singulari indefinite nominatur, si unum Corpus, una Sponsa appellatur *Eph.* 4. *Cant.* 6. idem quandoque est ac invisibilis, ut *Matth.* 16, 18. Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Si in plurali, tum intelliguntur ecclesiæ particulares, uti *Apoc.* 2. 3.

Vellem jam ut specialius de baptismo summam rei dicas? Baptismus primum per Johannem, tum per Apostolos ex instituto Christi peragebatur, & omnibus ecclesiæ ministris commissus est. Baptismus Johannis & Apostolorum gradu effusionis Spiritus distinguitur. Nam effunditur in Baptismo Spiritus S. ut causa materialis & efficiens regenerationis simul, *Tit.* 3, 5. 6. & cum baptismo sigillum justificationis conferebatur in ecclesia primitiva.

Dic etiam de s. Cœna? &c. Ante Christi mortem discipuli carnem Christi accepere minus substantialiter, quam post mortem & resurrectionem. Nam

tum vita Jesu Christi sub pane & vino singulariter exhibebatur. Lites hic nil prosunt. Sufficit, vita Dei corporaliter in Christo habitante, in s. Cœna frui, & in communionem omnium Sanctorum firmari, in unum corpus cibari, in unum Spiritum potari. Dummodo cum reverentia accedamus cum hoc sensu, nemo litem nobis movere potest. Scriptura s. sane nil metaphorici in s. Cœna intellectum vult. Quod non videre velle, miserum est & per philosophiam cœcum.

§ 20. 21. *Jam in summam velim reduci, quæ ex formulis Theologicis ad hunc locum faciunt?* R. Quoniam satis concisus fui in ipsa tractatione libri de his, non opus est ulterius illa contrahere. Unum de sacramentis dicam, ut numerus nonnisi duorum exacte demonstrari queat. Externum signum internæ gratiæ non est bona definitio, per hanc enim sequeretur, dari innumera. Octo etiam conditiones Bellarmini de sacram. in genere. L. I. c. 9 non sufficiunt, utpote quæ sunt etiam in impositione manuum, eleemosyna, oratione, reconciliatione. Ex. gr. Reconciliatio cum fratre injuriæque remissio est 1) signum. 2) sensibile quid. 3) non naturaliter significans sed voluntarie.

tarie. 4) habet analogiam tamen. 5) res sacra. 6) habens effectum. 7) in ipsa actu Deus concurrit ex altera parte, remittendo quæ frater remittit. 8) est statum quid semper in ecclesia obtinens. Sed ob has octo conditiones non est sacramentum proprie sic dictum. Nam sacramentum est actio, per instrumentum divinitus institutum significativa & exhibitiva, fœderis divini renovativa, ordinem solennem innuens, quo Deus per ecclesiam in vocatis gratiam & vitam vel producit vel productam confirmat cum sigillo totius dispositionis divinæ. Caret reconciliatio renovatione fœderis divini, & sigillo totius dispositionis divinæ, caret institutione ad significandum & exhibendum solenniter. Quod tamen ad pacificum sensum communem christianum facit, velim non abrupte sed prolixius exponi, dic igitur in quo convenire possent litigantes? Conveniunt, quod fides ut organum internum instrumentis opus habeat externis, nempe sacramentis & ministeriis, quæ utraque Christus instituit. Lites de sacramentis & de sensu verborum institutionis multæ sunt enatæ. Sed si fines institutorum Christi, sc. informandi, significandi, exhibendi, applicandi, obsignandi, disci-

plinam conservandi, obligandi, fœdusque confirmandi, nec non discriminandi, uno complexu colligatos comprehendissent litigantes, non amplius contendissent. In unum colligare multa, medetur discordiæ, abstrahere nimium, parit discordiam. Sic sacramentorum numerus facile apparebit, si cum vera definitione comparentur, in qua primitus divina institutio requiritur. Sic baptismum parvulorum ratihaberi a Domino, sic præsentiam corporis Christi realem & substantialem in sacra cœna exhiberi, nemo pacis studiosus negaverit. Ipse Calvinus Instit. L. 4. c. 17. symbolum inane proponi, idem dicit, ac fallacem vocare Deum. De ministerio ecclesiastico constat, Christum solos Apostolos & discipulos instituisse & utrorumque successores, episcopos atque presbyteros. Diaconorum institutio clare traditur. *Act.* 6. Quidquid autem prærogativæ confertur ministris ad normam Jesu Christi, tenendum, qui dixit: Ego sum inter vos, tanquam qui ministrat. *Joh.* 13, 15. 16. *Luc.* 22, 26. 27. sic facile retundetur contendendi de primatu pruritus. De ipsa ecclesia valet & usui est hodie distinctio in ecclesiam vocatorum & electorum ex Salvatoris sententia bis inculcata. *Matth.*

Matth. 20, 16. 22, 14. De ecclesiæ auctoritate facile convenit inter omnes, illam esse testem & custodem veritatis debere. Fides inchoanda ministerio ecclesiæ opus habet. Fides consolidata scriptura demum utitur, sui ipsius interprete. Solus Christus est infallibile caput ecclesiæ. Solius Christi ecclesia corpus est mysticum. Christus solus corporis sui Salvator audit. Romano-Catholici Christo æqualem facientes Pontificem, inviti ex eo faciunt Antichristum. Contendunt ecclesiæ Hispanicæ & Italicæ, Papam esse supremum & infallibilem judicem. Gallicanæ Papam pro hæretico declarandum clamant, qui concilii generalis sententiæ recuset subesse. Et tamen adhuc convenit inter has ecclesias. Possent multo magis adhuc vinculo externo cohærere, si vel deciderent ex oraculis Apocalypticis, Papam reapse Antichristum indigitari. Domini autem adventus externis papatus munimentis finem faciet; nostrum est agnoscere & pro certo habere, quæ Apocalypsis demonstrat. Utinam S. Rev. D. BENGELIUS eousque vixisset, ut scribere adhuc potuisset librum mente jam conceptum, in quo ex Pontificiorum commentariis ipsis demonstrasset soliditatem explicationis

tionis ſuæ Apocalypticæ. Sed nunc in ἁγιοις fruitur eis quæ fide prævidit. Quantus quamque immenſus rerum creditarum uſus in gloria! Pauca hic addam pro ſale & pace in materia de conjugio & magiſtratu: multæ controverſiæ matrimoniales de gradibus prohibitis præter rem enatæ ſunt 1) quia univerſalitatem verſus 6. *Lev.* 18. reſtrinxerunt auctores quidam, cum tamen expreſſis verbis extet: Iſch Iſch quilibet æl col ſcheer beſaro Lo tikrebu, ad omne reſiduum (propinquum) carnis non appropinquate. Ego ſum Jehovah, (& hæc eſt regula generalis, quemadmodum *Lev* 11, 3. 4. 9. ſunt regulæ generales pro dijudicandis puris & impuris cibis, reliqua ſunt exempla, ſecundum quem canonem totus catalogus exemplorum judicandus,) 2) quia ſanctionem pœnalem ℣. 24. ad præcedentes caſus beſtialitatis reſtrinxerunt tantum. Sed qui tam temerarii ſunt in expreſſa Dei oracula, illos ſibi relinquo: vix convincentur: tales etiam concludent ex ℣. 18. poſſe duci uxoris ſororem: idque per technas interpretandi, dum ex difficultate textus argumenta quærunt pro ſuis rebus. Qui vero ſimplicem regulam recto corde ad allegata exempla applicant, illi etiam caſus

casus omissos & tamen sub extensione scheer besaro comprehensos facile perspicient, perspicient etiam in ℣. 18. id innui: ne ducas sororem nec successive nec simultanee; non enim ibi est explicatio ejusdem rationis, sed duplicatio rationum. Cæterum & si liceat duobus fratribus nubere duabus sororibus, tamen cum Theodosii constitutio consobrinorum & patruelium conjugia vetuerit, inde patet, factum licitum apud pios horreri etiam propter vicinitatem illiciti, quanto magis factum ℣. 18. * De magistratu Anabaptistæ lites scrupulosas moverunt. At Paulus longe aliter decidit, distinguendo inter personas magistratu tyrannice abutentes, & inter officium. Officium manet in salvo,

* Difficillimus, fateor, textus ita latine reddi debet ex mente celeberr. Dn. Kochii, seu Elevtherii Taximenis, in libro vom nahen Heyrathen p 44.

Uxorem successive in relatu ad ejus sororem ne capias. Zelotypiæ, quoad retegere nuditatem ejus, simultanee contra illam, illa adhuc vivente. Sunt duo casus: quod concernit tò nubere sorori conjugis, id pugnat contra propinquitatem; hinc prohibitum est. Quod attinet tò nubere sorori, adhuc altera sorore vivente, id simul pugnat contra amorem, & cedit in Zelotypiam; hinc prohibitum est.

salvo, etsi *Hos.* 8, 4. extet: regnarunt, sed non ex me. Viæ Dei publicæ simplicitatem & bonitatem Dei referunt, queis provisum est usui generis humani, ut myriades in unius obsequio retineantur. Hinc Paulus dicit: ad Tribunal Cæsaris sto, ubi oportet me judicari, *Act.* 25, 10. ab impio Cæsare sanctum Apostolum. Inde vero non sequitur, delicatas conscientias ex verbo Servatoris: Vos vero non ita, non deprecari posse munus magistratus, nam ut est extremitas vitiosa, dicere: si rex degeneret in tyrannum, tum a fidelitatis sacramento liberari subditos, clericos non esse regum subditos, ac proinde, rebellionem eorum in regem non esse crimen læsæ majestatis; sic etiam altera talis est, ubi dicitur: mundani regni naturam commisceri posse cum natura regni Jesu Christi. Manet enim: Regnum meum non est de hoc mundo.

VI. LOCUS DE INVISIBILIBUS ET NOVISSIMIS.

I. QUOAD SENSUM COMMUNEM.

§. 1. *Per quid tandem Sensus communis exercitatus se ipsum cognoscit?*

R. Quando ad Deum, ad seipsum, ad legem,

legem, ad gratiam, ad ecclesiam se vertendo assuescit objectis invisibilibus, dum distinguit in se lucida & tenebrosa intervalla: Illa, quibus sensus se exserit, hæc, ubi nullus se exserit: illa, ubi preces exaudiri sentit per operationes gratiæ, hæc, ubi Deus silet, hominemque sibi relinquit. Ita potentias Dei, δύναμιν Θεᾶ, quam Sadducæi ignorarunt, cognoscit, & scripturis amen dicit.

§. 2. *Potestne sensus ille magis ac magis elevari?* R. Potest & in tali gradu dicitur Magia, eo sensu, quo Salomo *Prov.* 3, 13. eam describit, ut sit sapientiæ occultæ, quam Deus in creatione mundi exeruit, cognitio & possessio analogica, & quam Paulus in N. T. etiam ex parte describit. *1 Cor.* 2, 7.

§. 3. *Agnosco primum hoc esse inter invisibilia, ut sensus sine hæsitatione sibi ipse conscius fiat, sed nonne plura dantur objecta invisibilia?* R. Dantur: nimirum 2) cœlum & orcus, lux & tenebræ. 3) boni & mali genii. 4) mors & status post mortem. 5) status meliorum temporum in terra. 6) resurrectio. 7) judicium. 8) infernus. 9) æones.

Quid s. c. obvium est de cœlo & orco? R. Id valde clarum est, si nemo quæstiones moveat; quam primum autem subti-

subtilius quæritur, quid hoc rei sit, consulendus est Hippocrates.

Quid de bonis & malis geniis? R. Antiquissimis populis, qui propius abfuerunt a traditione patriarcharum clarum fuit, illos tum elementis rerum tum ordini universi a Deo præfectos fuisse, hos sub principe tenebrarum ut rebelles obsistere illis.

§. 5. *Agunt ne genii seu intelligentiæ bonæ semper naturæ conformiter?* Omnino. Illi exactissime rationes Musico-harmonicas universi sequuntur.

Quænam per sensum communem porro distinguuntur objecta ab invisibilibus denominanda? R. 4) Mors ipsa, etsi quoad externum sit visibilis, quoad internum tamen est invisibile quid, præcipue si status post mortem bene perpendatur.

§. 8-14. *An status meliorum temporum quoque hac referri debet?* Quoniam ille status est demum futurus, adeoque nunc invisibilis, soli sapientes illum prospicere possunt, adeoque heic numero 5to locamus. 6to autem numero resurrectio ex emblematis Naturæ perspicua. 7timo judicium extremum ex tot impunitis facinoribus colligendum. 8vo Infernus, malorum in unum separatio, unde puritatis & beatitudinis initia. 9no Æones æonum & con-

consummatio quædam seculi in circulo æonum.

II. QUOAD SCRIPTURAM SACRAM.

Quid S. Scriptura revelat de his, ut sensus natura hæsitans ad fixam certitudinem ducatur? R. Apocalypsis lucem spargit retro in omnes scripturæ libros. Describit vero illa I. Res invisibiles; II. Res novissimas. Ad res invisibiles pertinent 1. Cœli. 2. Terra. 3. Abyssus. 4. Spatia inter cœlum, terram, abyssum, intermedia. Ad res novissimas referenda sunt 1. Mors prima & secunda. 2. Status post mortem. 3. Fata temporibus inclusa. 4. Status regni Christi in terra. 5. Resurrectio prima, & reliquorum universalis. 6. Conflagratio telluris cum judicio. 7. Nova Jerusalem & lacus igneus.

Dic jam ideas Scripturarias de cœlis? Cœli sunt extensum quoddam, *c. 1. Gen.* ex aquis supra-cœlestibus & expanso, quod *Ps.* 150, 1. expansum roboris Dei dicitur, constans. Habent cœli certas Sphæras, hinc dicitur: cœli cœlorum non capiunt Deum. *2 Chr. 2.*

§. 15. *Dic summam de terra?* Terra, Petro teste, ex aquis & per aquas constat verbo Dei. *2 Petr.* 3, 5.

§. 16. *Dic de abyſſo?* Multa mentio abyſſi in Apocalypſi, eſtque regio tenebrarum inviſibilis in terra & mari. Dicitur infimi loci terræ, *Eph.* 4, 9 quo Chriſtus deſcendit in Spiritu, ubi ipſi mali genii catenis tenebrarum detineri horrent. *Marc.* 5, 12. 13.

§. 17. 18. *Quid de ſpatiis intermediis dicit Scriptura?* De his per conſequentias ſaltem colligi poteſt ex Apocalypticis. Nam variæ mutationes mox ex terra, mox ex cœlo, mox ex abyſſo prodeunt, & ubi manifeſtantur illæ mutationes, ibi ſunt illa ſpatia. Certe ubi prælium inter angelos & draconem accidit, illud certum fuit ſpatium. *Apoc.* 12. & quod ex harmonia ſtellarum ad terram reſultat, huc quoque referri debet, nec non dextra & ſiniſtra Dei. *Hiob* 23, 9. Etiam ſcala Jacobæa inter cœlum & terram interjacens, ſuper quam angeli Dei aſcendunt & deſcendunt.

Quid de noviſſimus tradit Scriptura? Primo occurrit mors prima & ſecunda. Quid ſit mors prima, ſciunt omnes notione communi. Mors ſecunda eſt illud, cui tribuuntur adjuncta aculei, laquei, torrentis, *Pſ.* 18, 6. & ſe exerit diverſimode poſt mortem primam apud eos, qui Chriſti victoriam haud

in

in usus vocarunt. 2do Status post mortem, de quo vide denominationes scripturarias, α) silentium, *Ps.* 115,17. β) terra oblivionis, γ) terra rephaim, δ) umbra mortis, ε) puteus corruptionis, ζ) abbadon, η) scheol. 3tio Pertinent ad noviſſima, fata ultima, temporibus inclusa. De quibus videatur Apocalypsis. 4to Status regni millennarii in terris, qui dicitur in Actis tempus restitutionis, *Act.* 3, 19-23. ad quod omnes prophetæ respexerunt. 5to Resurrectio; quæ secundum, *1 Cor.* 15. consequens est resurrectionis Christi, adeoque vita Dei per Christum in resurrectione se manifestabit, quemadmodum per totum hunc locum se quam maxime diffundit ratione locorum & temporum. 6to Dies magnus judicii. Ubi notandum, quod dies magnus judicii a Zacharia describatur ita, ut quemadmodum in sextiduo primum fuerit lux, ita primum in judicii die sit frigus & congelatio, & postremum lux. *Zach.* 14,6.7. Cæterum sonabit illo die magna tuba archangeli; colligent angeli electos, fiet immutatio rerum, ignis resolvet omnia, libri essentiarum aperientur, apparebit judex, a cujus facie fugiet cœlum & terra, & quodlibet sententiam accipiet pro

participatione vitæ Christi. 7timo, Nova terra & nova Jerusalem, in qua plena vitæ Dei erunt omnia, quæ vitæ Dei contraria sunt, in lacu igneo sortem habebunt; Erit circulus æonum; tandem Deus erit omnia in omnibus.

III. QUOAD FORMULAS THETICAS.

Quis hic formulis theticis locus? R. Theologia, quatenus ad doctrinam publicam pertinet, non agit prolixe de arcanis invisibilium, & novissimorum. Hinc ut supra brevis fui, ita & hic, quæ concise dixi, repetere nil attinet.

Quid pro sensu communi Christiano hic observandum? R. Mysterium pietatis *1 Tim.* 3, 16. mysterium voluntatis Dei *Eph.* 1, 9. Προθεσις των αιωνων εν χριστω, *Eph.* 3, 11. Mysterium Christi ℣. 4. omnisque thesaurus plerophorias intelligentiæ ad agnoscendum mysterium Dei & Patris τε χριστε *Col.* 2, 2. nonnisi unicum est mysterium; quod qui agnoscit, ille etiam noscet ea quæ de invisibilibus & novissimis scripta extant. Præcipue si summe Rev. D.D. Bengelii Apocalyptica bene trutinaverit. Qui vero divitias illas plerophorias intelligentiæ insuper habet, prætextu quod talia non sint articuli fun-

fundamentales, ille etiam ipsum articulum fundamentalem, si Christi tempore vixisset, quod Jesus sit Christus, cum Pharisæis non fuisset agniturus, *Matth.* 23, 30. sed tum fide historica Diabolorum contentus videbit, quando mors oculos aperuerit, quid sit carere oleo virginum providarum. Fides est demonstratio invisibilium. *Ebr.* 2. Horrent disputare de his, horrent oculos cordis aperire, horrent convenire. Si quis vult ignorare, ignoret. *1 Cor.* 14, 37. 38. *2 Petr.* 3, 5. Hoc unum hic subjungam, quod B. S. R. D. Bengelius Theologiæ meæ subscripsit post censuram.

„Basis hujus compendii vita Dei. „Vita hominis est duplex, naturalis & „spiritualis. Sed vita Dei, cui utra„que illa respondet, est una & simplex. „Propterea ex robore virtutis Dei & „resuscitatio Christi ex mortuis & spi„ritualis vita fidelium deducitur *Eph.* „1, 2. Omnia opera Dei naturalia „sunt etiam spiritualia.

Nonne potes totam hanc syllogen per unam ideam vitæ concentratam sistere in uno quodam puncto? Omnino; Et si quis remotis variis denominationibus percipit, totam Theologiam rem non esse nisi unam, eamque unam

rem in imo sui Spiritus omni tempore & loco cum voluptate summa gestat, ita ut omnia vilescant ei respectu hujus; Næ ille tum in Spiritu Theologus est, Deum adorans in Christo cultu continuo.

Ecce igitur quam facilis hæc sit Theologia!

1) Deus est ipsissima vita & ἀφθαρσια, solvi nescia. Creaturæ vitam non habent solvi nesciam. Vita est duplex, physica & spiritualis, naturalis & supranaturalis. In Deo utraque vita est una & indissolubilis, sed prout se vita Dei exerit ad objecta gratiæ, dicitur Jehovah. 2) Homo constat spiraculo vitæ duplicis, & imago Dei sita fuit in vitæ duplicis, physicæ & spiritualis, temperamento æquabili, sc. Nischmat chajim. 3) Lex non habet locum ubi unum tantum est, hinc solus Deus est sine lege. Unum est & manet unum, nec est deviationis capax. Ubi lex est, ibi vita ad minimum duplex solutionis & aberrationis possibilitatem habens, esse debet. 4) Peccatum est ipsa aberratio vitæ duplicis a primæva colligatione, adeoque a lege, quæ solutioni mortem præsagit. Vides quatuor has ideas una vitæ idea contineri & respectibus tantum differre, re una.

5)

5) Gratia est illud beneplacitum Dei, quo reducendi vitam spiritualem ad vitam naturalem certum ordinem constituit. 6) Ecclesia est cœtus, in quo est unitas Spiritus, una præsentia Dei in vita, omnibus membris communi. Unitas Spiritus fundatur in unitate fidei: Adeoque vita spiritualis per verbum rursus vitæ naturali est coadunata, per singula membra, etsi donis & charismatis inæqualia. 7) Novissima sunt, ubi vita interior tum naturalis tum spiritualis est extrapositа; ubi occultum fit manifestum, ut in resurrectione, morte secunda, nova Jerusalem, nova terra, præeunte judicio extremo, donec Deus post æonas æonum erit omnia in omnibus.

Vides igitur tres has ideas posteriores sub diversis tantum respectibus etiam esse unam.

Fac ut in spiritu & in *vi* sis verus Dei adorator. Unum est necessarium. Theologia disputatoria nil facit ad unum, ad æternitatem. Facit ad hoc seculum.

MEDITATIO IN PRIMUM CAPUT EZECHIELIS PRO DEMONSTRANDA VITÆ IDEA.

Dictum est in Præfatione, vitam

esse colligationem seu complexum potentiarum ex Deo libere emissarum, atomis molis divinitus immersarum, sic ut primitus impressâ rotatione continuâ passivum elevetur per activum. Hæc idea solis philosophis, scientiam vitæ possidentibus, qualis fuit Arabs Alipuli, ex natura rerum est demonstrabilis. Nos Theologiam professi abstrahimus ab illis, solum eo tendentes, ut ex oraculis talia probemus. Subvenit Deus imbecillitati intellectus nostri per caput primum Ezechielis, ubi nil nisi rotæ & motus circulares innuuntur, vitæ divinitus exortæ phases præcipuæ.

Vidit Ezechiel. 1) Turbinem ex Aquilone, & in medio turbinis ignem concentratum. 2) Ex medio hujus ignis vidit existere quatuor entium vividissimorum sive animalium species. 3) Vidit cursum animalium recta processisse, etsi intrinsecus decussatione fulguratoria distinctum. 4) Vidit in terra rotam unam prope animalia in quatuor latera spectantia. Ex his ea tantum hic pressissime observanda dabo, quæ definitionem vitæ lucidiorem sistunt. Primum ejus momentum est, vitam esse colligationem potentiarum a Deo libere emissarum: id ut intelligatur,

gatur, etsi cum ideis hactenus adsuetis non conveniat, notandum primo ex comparatione Apocalypseos Johannis & rotarum Ezechielis, rotas in Apocalypsi non fuisse visas, sed non nisi animalia, at ea tum interne tum externe plena oculis; oculos vero apud Ezechielem insitos fuisse rotis, sequitur, cum oculi rotæque sint interius animalium Apocalypticorum: hinc animalia denotare exterius vitæ, rotas interius; sequitur porro, animalia & rotas, etsi separatim & optice ut diversa fuerint depicta, tamen idem denotare.

Notandum secundo, rotas Ezechieli apparuisse quidem, ut rotam unam, sed fuisse quatuor rotas in se invicem innexas, sicut animal in animali: hinc clarescit, vitam in animalibus esse intensum quid, ubi potentia est in potentia, adeoque complexus potentiarum per spiritum Dei in unum colligatus. Turbinis enim & animalium & rotarum unus fuit spiritus, distinctus a potentiis, queis illa constant. Quod vero potentiæ a Deo libere sint emissæ, patet tum ex illa ipsa distinctione spiritus Dei a potentiis rotarum, tum ex ipso motu gyratorio, qui nisibus contrariis centripeto centrifugoque,

divinitus & libere in contrarias plagas coordinatis, perfici debet.

Objiciet aliquis, nondum esse certum, ea, quæ Ezechieli repræsentata sunt, denotare res spirituales: at respondetur, certissimum esse, ortum quatuor entium vitalium describi ex turbine aquilonari emicantem, quid jam hæc sunt nisi spiritualia? Potentias vitales habere initium ex eo, quod ipsæ non sunt, nimirum ex aquilone, qui indigitat chaoticum quid ex parte invisibile, abyssum quandam; quid vero abyssus hæc est aliud, nisi spiritualis atque potentialis origo, Deo liberrime acturo, soli cognita. Illustratur autem hoc ex basi Musica 1^{∞}, 2^{6}, 3^{2}, 5^{1}, 7^{0}; ubi unitas, ex qua potentiæ 2, 3 & 5. exeunt, est punctum, & septenarius, sine quo in singulis octavis innumeri darentur Toni, quia basis non esset satis limitata per 5, est quoque punctum seu circulus concentratus; ubi nec punctum 1 nec circulus 7 potest cum potentiis 2, 3 & 5 comparationi seu homogeneitati subjici, nam unitas, cum qua 1^{∞} & 7^{0} coincidunt, non est in serie numerorum primorum 2, 3, 5, 7, 11, &c. sed illam ex sese generat modo omnem regulam transcendente: utrumque igitur punctum constituit

ſtituit abyſſum, quæ nec eſt merum punctum chaoticum potentiale, nec nihilum abſolutum differentialiſtarum, ſed poſitivum quid, cum quaternario & ſenario idealiter & plaſtice agens; uti enim unitas in ſe ipſa diſtinctionem facit per duplicem expreſſionem 1^{∞} & 7°, totius harmoniæ Muſicæ fundamentum, ita eadem quoque omnes numeros ab 1 ad 7 in ſuo fundo $1^{\infty}7^{\circ}$ realiter diſtinguit a ſe invicem: & ſic activitatis Muſicæ non unus eſt terminus, centrum 1, ſed etiam alter adhuc in ipſis principiis diverſus ab iſto circulus 7 concentratione punctum efficiens, ut adeo $1^{\infty} = 7^{\circ}$ ſit abyſſus iſta; 2, 3 & 5 potentiæ; 4 & 6 ideæ operatrices. Potentiæ ex 2, 3, 5 colligatæ, mihi quoque dicuntur Eſſentiæ in fieri conſtitutæ.

Previſſimus eſſe debeo; hinc ad alterum diſtinctionis momentum progredior, quod eſt, potentias atomis molis eſſe immerſas, & ſic paſſivum elevari per activum. *Dices, unde oriuntur atomi molis?* R. *Ex abyſſo ſpirituali, per potentiarum, diverſo intenſitatis & directionis gradu collidentium, fulgurationem & decuſſationem, dum potentiæ itus reditusque, per puncta decuſſatim & cyclice indefinenter continuant propter legem Gyratio-*

rationis semel & libere a Deo potentiis impositam, unde sequitur, oriri passivum & activum sive atomos molis & Spirituale chasmal ex iisdem punctis abyssalibus, præcipitari passionum, idque semper revolvi per activum illud, chasmal Ezechieli dictum, & in vividiorem statum elevari, ut materia bruta Buffonii in animatam elevatur, atque in hoc consistit notabilis ille Geneseos circulus, τροχος γενεσεως *seu naturæ naturantis creatæ vota, brevissime a Jacobo C. 3, 6. indigitata, etsi a paucissimis in versione germanica, imo nec ab ipso Luthero, animadversa. Iterum objicies, halitum vitarum, nischmat chajim, in Genesi esse vitam per se, antequam potentiæ atomis molis erant immersæ,* Resp. *In Ezechiele, prolixius singula enarrante, ad figuras animalium corporeum quid, atque adeo atomos molis concurrere, quis non videt? Sed quomodo id fiat, subobscure innuitur, dum motus internus sese exserat per modum fulguris;* v. *13. 14. fulgur autem oritur ex collisione calidi & frigidi, activi & passivi, adeoque continua subactio & elevatio passivi in motu vitali interno occurrit. Nos successivis Geometriæ figuris assueti simultaneos hos conceptus ægre ferimus, sed sufficit, Deum ostendere nobis, rotam naturæ non concipi per Geometricam methodum, nisi quis potissima*

ma Geometriæ theoremata sub unum obtutum simultaneum revocare assuescat, artificio universalificationis intensissimo ad quadraturam intento. Nobis hic sufficit, ideas vitæ ex Ezechiele doceri; si non omnia exhaurimus, prosunt tamen plurima.

Igitur bene expendatur, quod Ezechiel dicit de cursu animalium, excurrisse illa & divertisse in speciem fulguris vehementissimi v. *14. (etsi antea dictum, non divertisse* v. *12.) tum intelligetur, animalium vitam in interioribus vim fulguris quadratice decussativi retinere, cum in negotiis ad extra motus sit simplicissimus. Sed ne quis dicat, Spiritualia tamen materialiter concipi, dicam brevissimis: immaterialitatem spirituum longe melius hac via salvari quam Wolffiana. Primo enim puncta duo chaotica nec non ipsæ potentiæ sunt immaterialissimum quid; potentiæ in potentia sant intensum quid, non extensum; quod vero semper materialis quidam typus ingrediatur conceptus hos, ex eo est, quod tum formale tum materiale per ideas operatrices quaternarii & senarii ex punctis iisdem chaoticis ortum habeant, ita ut materiale & immateriale perpetua lege discriminentur atque iterum uniantur cum atomis molis; id vero non potest satis vivide typis figurari successivis, more Geometrico, ut ex capite primo Ezechielis patet.*

tet. Uterque concipiendi modus, Wolffianus & Ezechieliticus, nodos habet suos; saltem cum ea differentia, quod α) ibi verbum Dei normam concipiendi nullam, hic non certe nullam suggerat, β) quod ibi corporeum ut merum Phænomenum, hic ut reale, γ) quod ibi corporeum incorporeo per harmoniam tantum externam (si tamen harmonia dici potest) hic per internam jungatur. Cæterum in utroque concipiendi modo materiale & immateriale quidem ut diversum sistitur, sed apud Wolffianos tantum nominaliter, apud nos realiter.

Ex hoc Spinozismo Judaico ante Spinozismum jam pridem id emersit, ut Marcionitæ corpus Christi tantum pro Phænomeno habuerint. Vide p. 39.

Dices: tu certe compositum efficis ex anima? respondeo: compositum si id apellas, quod asserum more per partes extra partes jungitur, tum anima tale non est: si id compositum dicis, quoad unitum quid est ex potentiis, tum compositio æque minus præjudicat animæ, ac compositio Theanthropi Deo. Placuit Deo, corporaliter omnem plenitudinem Deitatis habitare in homine. Perfectio hæc est, non imperfectio. Anima hoc sensu non componitur materialiter sed essentiatur ex 2. 3. 5. hoc est ex intellectivo 2. potestativo 3. & sensuali

suali appetitivo 5. per puncta principiativa 1. & 7. cum 4. unita, in substantiam ex potentiis completam. Deinde anima ut hypostasis ex diversis potentiis complexa simplificatur divinitus per λογον.

Dices: quid hoc novi est vocabuli essentiare? respondeo: est ad intensitatem & inexistentiam potentiæ in potentia redigere. Sic præcavetur contradictorius conceptus antitypiæ, Leibnizianis monadibus maximum, una cum principio indiscernibilium, præbens effugium. Unitas cum septenario sunt potentiæ primæ chaoticæ, & ut monas respondet septenario, sic binarius senario, ternarius quinario concinit. Solus quaternarius in medio stat, & est principium formale respectu reliquorum, miscens atomos molis cum formali essentiationis ortu. Sic intensum præmittimus extenso, & terminos illos metaphysicos principii, essentiæ, substantiæ *longe reddimus intelligibiliores, cum apud metaphysicos difficillime distinguantur, imo nominaliter tantum discrepent. Principia sunt mihi 1. & 7. cum 4. essentiæ 2. 3. 5. substantia sunt omnia illa in uno. Materialitas animæ per nos nulla infertur, sed vera existendi perduratio, materiæ superstes. Dein etiam individuationis principium non ab omnimoda determinatione externa, sed ab internis sui manifestativis*

pendet

pendet apud nos: In Leibniziano autem ſyſtemate deeſt in manifeſtativo indiviſibili illud, quod ſui *dicitur, quia nulla ibi eſſentiatio genetica, nullus circulus geneſeos, a patre luminum primitus impreſſus, ibi deprehendi poteſt, ſed repræſentatio tantum mera. Hic vero eſſentiantur potentiæ, hic intellectivum efficit* το ſuum, *poteſtativum cum ſenſitivo in unione cum intellectivo ſunt manifeſtativa ſui. Omnes potentiæ, baſin muſicam ingredientes, operantur etiam in intimo aliorum ſubjectorum, non muſicorum, ſecundum legem jam ab eruditis receptam: Rad. quadr. elaſticitatis, denſitatem, per quam, quod in atractione deeſt, corrigit ſummus Eulerus, intima naturæ propius tangendo, & tum denſum per ſubtile, & hoc per denſum eſſentiatur. Potentia 5. notat aliquid denſum, 3. reſpectu hujus aliquid elaſticum, etſi ſit medium quid inter 2. & 5. quæ cum in lucta ſint per 5. retentivum & per 3. reſpective extenſivum, diviſionem mediantibus reliquis operantur continuam, diviſione tamen ſemper iterum ſimplificata h. e. per ſimpliciores numeros radicales revocata ad eſſentiationem unitivam. Fateor, naturaliter nos neſcire, tale quid ſubeſſe rebus ſpiritualibus; ſed per caput primum Ezechielis infallibiliter docemur, rem ita ſe habere*

habere etiam in spiritualibus, utut eminentiore modo.

Nullæ igitur malæ consequentiæ pro Epicureismo pro animæ destructibilitate necti possunt. Vita animæ etsi non sit solvi nescia, veluti divina, tamen interire nequit propter simplificationem divinam. Debent omnia bene circumspici, priusquam objectiones formentur. Responderi potest ad omnes objectiones. Judicent jam æqui veritatis trutinatores, quis a Fanaticismo metaphysico vel Physico propius absit, Leibniziani an Neutoniani. Illi ex nexu substantiarum ideali Dei omnia deducunt, magnum rationis sufficientis principium in phantasma redigentes h. e. eo abutentes, ubi Deum ipsum huic principio subjiciant. Hi vero inexhaustam Dei libertatem, ejusque actiones liberrimas, cum nexu substantiarum ita committunt, ut pateat suæ voluntati, suo imperio, subjecisse Deum universa, eoque tendere numen, ut tandem post certum æonum cyclum sit omnia in omnibus.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ EX RATIONIBUS EXTERNIS, OECONOMICIS, ANTHROPOPATHICIS.

Quæstiones, quæ mihi Systema Theologicum, ex sacra scriptura deductum

expendenti de fœdere operum oboriebantur, sequentes sunt:

1) Quum Deus in sacris litteris, κατ' ἄνθρωπον, per tot imagines, nobiscum loquatur; numquid hanc ob causam id factum sit, quod præsens nostra cognitio, cum futura illa revelatione comparata plane sit puerilis? an vero alium Deus finem ex methodo intendat? 2) Cum Adam in statu integritatis constitutus, cum Deo, ut Patre, filii ad instar, agere potuerit; an nihilominus operum, quod appellitant, fœdus cum illo iniverit divinum Numen? 3) An amicæ Dei cum primævo homine actiones sub schemate tantum fœderis cujusdam proponantur? vel an genuinam veri pacti formam habuerint? si quidem homo jam antea ad omnes obsequii partes fuerit obstrictus. 4) Anne, jamdum in Paradiso fœdus quoddam gratiæ locum habuerit? porro: an divisio in fœdus operum & fœdus gratiæ Theologico systemati necessario sit inferenda? nonne doctrina illa sine omni fœderis denominatione, percipi possit? 5) An divus Paulus *Rom.* 5. divisionem illam necessario præsupposuerit? 6) Anne a recentioribus Theologis demum sit conficta, ut

ideas

ideas de merito & satisfactione Christi possint systematico nexu compingere? 7) An pactum inter Patrem & Filium, ob introductum fœdus gratiæ sit statuendum? 8) An quicquam inde incommodi sequeretur, si quando, sepositis ratiociniis, in eo toti subsisteremus, quod in priore utroque capite Geneseos de primo homine nobis est consignatum? Anne tempus melius fuisset collocatum, si restaurationi ad imaginem secundi Adami, quam ratiociniis de primo Adamo impenderetur? 9) Cum clarissime liqueat, homines peccato inquinatos esse ad unum omnes, atque ita peccatum & mortem, per unius hominis culpam, in mundum introivisse: num idcirco Adamus tanquam caput totius humani generis a Deo constitutum, sit æstimandus, cujus peculiare delictum Deus universæ posteritati, tanquam hujus propriam prævaricationem imputaverit, licet nondum nata vel in voluntaria peccata collapsa fuerit? anne minus artificiose res hæc concipiatur, si ponamus: Posteros Adami propter suam uniuscujusque iniquitatem divino judicio ac vindictæ esse obnoxios; ita tamen, ut ob personale Adami peccatum, totum naturæ regimen pervertens, omnem prosapiam

Adamiticam favore Dei excidisse, sicque per unum hominem peccatum in mundum venisse statuamus. 10) Quoniam ingressus peccati & mortis in mundum nec physice nec moraliter, puta neque secundum intrisecas suas, neque secundum illas rationes, quæ ad judicium Dei pertinent, satis a nobis intelligi atque perspici potest; imo vel idea realis de rebus in regno spirituum tam horribilibus nobis deficiat: annon Paulus idcirco *Rom.* 5. peccatum & mortem quasi personas, quin regna, repræsentaverit? 11) Num quæstionis nonæ solutio tantum inserviat litibus Theologicis dirimendis, an vero etiam usum aliquem adferat vitæ spirituali? quænam sententia inter illas duas minora habeat incommoda ad controversias tollendas? quænam majora habeat commoda ad profectus spirituales? 12) Quodsi Adam publica, & omnes omnium seculorum homines repræsentans persona non habeatur; quomodo evinci possit: Christum obligationem ab Adamo fractam perfectissime implevisse? An non verbis illis post lapsum datis: Fac hoc & vives: obligatio Adami denuo fuerit repetita? atque an eloquium hoc, atque alterum: Crede & salvaberis; non sint sibi invicem oppo-

sita?

sita? quemadmodum fœdus operum, & fœdus gratiæ. 13) Anne Adamus integer externa lege potuerit egregie carere? an fidelibus simili modo sufficiat lex spiritus. 14) Quale momentum habeat respectu imputationis tota hæc systematica fœderis expositio? An sine hac non sufficiat ad solandas animas illa veritas, quod Christus regnum peccati & mortis destruxerit, quandoquidem istud, proh dolor, satis adhucdum in terrâ habeat roboris atque dominii? 15) Cur conscientiis hominum non satis probetur, si in hoc argumento considerationes gravissimæ ad respectus tantum morales referantur; respectus autem physicus satis exiliter inferatur? 16) Quid conferat ad Justificationem & sanctificationem promovendam, si utrumque respectum pari pondere doceamus, præeunte Pauli exemplo? ac ad quantas grates redemtori nostro persolvendas spiritualis iste sensus hominem commoveat? 17) Quomodo prædicandum sit Evangelium de Christo? Numquid, ut idem eo facilius & clarius prrspiciendum sistatur, fœderis & legis relatio ad Evangelium, a nostro docendi modo exesse possit? an profiteri liceat, nos, cum Christum, supremam Dei legem, audire tantum-

modo jubeamur, neque mediate, neque immediate ad reſpiciendum Decalogum obligari? 18) Cur D. Lutherus tam ſtudioſe urſerit peculiarem uſum legis, & peculiarem Evangelii uſum; neque ſatis eſſe putaverit, quod lex in ipſa Evangelii prædicatione exacuatur explicando acerbiſſimos ſanctiſſimo ſoſpitatori noſtro ob crimina noſtra illatos dolores? 19) Cur Melanchthon ſuſtulerit obligationem ad Decalogum? 20) Cur D. Spener & Halenſis triga magnorum virorum, Anton, Breithaupt, & Frankius obligationi ad legem tam ſtrenue inſtiterint? 21) Cur Comes de Zinzendorf his viris eam ob cauſam adverſetur? 22) Unde petendum ſit, quod myſtici ſint ab Ideis legis & imputationis alieniores, itemque certo reſpectu Comes de Zinzendorf? neque tamen utrique ab iisdem ſtare partibus videantur?

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ
EX RATIONIBUS INTERNIS, THEOPREPICIS.

1) An notiones fœderis & imputationis pro allegorico verborum luſu ſint habendæ, ita, ut omnia per naturalem atque eſſentialem rerum ſequelam interpretari opus ſit? an Theologia

gia possit in ideas simplices, in rerum natura fundatas, resolvi? an vero in beneplacito divino debeamus subsistere? 2) Num ante omnia, fundum animæ centraliter aperiri, necesse sit, si dici quis velit homo Dei, aut, si mavis, Theologus? 3) Quid, si ex hoc fundamento judicandum sit, deinde Evangelium, quid lex esse vel dici debeat? atque, annon hoc modo ultimum pro primo, finis pro initio ponatur? 4) Unde evenire soleat, quod mystici parce admodum de œconomia divina loquantur? e contrario suam ipsorum doctrinam, quæ ad summos fines tendit, statim ab essentia atque nobilitate animæ, sive ab hujus reditu ad interiorem suam originem, non vero a fœdere Dei incipiant? 5) Quomodo s. oraculum illud: formemus hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram; intelligendum sit? an homo in imagine Dei conditus, actutum quoque secundum similitudinem Dei adstiterit? aut anne hoc illi post præstitam explorationis conditionem reservatum fuerit? 6) An Deus spiritualem vitam secundum mensuram graduum conferre homini soleat, ita, ut communicata vita capax sit incrementi atque accessionis? aut an vita

punctum sit indivisibile? 7) Cum *Ebr.* 7. vitæ attributum indissolubilitatis adscribatur; an ea jamdum in Adamo fuerit? an vero demum per Christi resurrectionem futura sit indissolubilis? 8) An Adamus in terrestri parte sua quoddam sensorium ad res terrestres, atque in sua a Deo illi inflata parte aliud quoddam sensorium ad divinas habuerit, ita, ut res duas, atque diversas effecerint? vel, an utrumque simul res una fuerit, & diverso tantum modo diversis tantum centris ad divina aut terrestria dirigi potuerit? 9) An Cœleste ad essentiam animæ pertinuerit? vel an per unionem tantum cum eadem fuerit combinatum? 10) Qua in parte libertas, & qua in parte ordo mechanicus suum habuerint fundamentum? 11) Anne Adamus jacturam passus partis istius cœlestis, cujus ope libere agere potuerit, talis factus sit machina, quam externæ impressiones regerent? aut an post illud dispendium nonnullas veræ libertatis reliquias habuerit? 12) Unde possibilitas peccandi petenda sit? 13) Quid peccatum sit? an ex ipsa sua natura; an vero illud tantummodo ex lege cognosci possit? 14) Quid carnis vocabulo designet scriptura? num anima quoque caro vocetur?

&

& quomodo peccatum in carne habitet? an plane nihil boni insit animæ & corpori sine Spiritu Dei? an adhucdum bona dispositio quædam supersit? aut an Deus eam demum creet? 15) Quid Spiritus illi, qui a Deo desciverunt, ipsique adversantur, machinentur, hominem ad male agendum decepturi? annon præcipuum istorum artificium in eo consistat, ut eundem ad alium speciosioremque, quam Deus instituit, ordinem perducere laborent? 16) An homo res istas intrinsecas, de imagine Dei, de bono naturæ residuo, de ordine virium animæ, & quæ sunt ejuscemodi plura, tam adcurate intelligere, atque omnibus hisce quæstionibus solvendis par esse debeat, quando sibi a pessimis geniis velit prospectum? aut an soli ordini & institutioni Jesu Christi, quâ ad restaurandam imaginem divinam edocemur, inhærere sufficiat? 17) Cur Deus per gratiam in Christo, secundo Adamo, aliam plane viam instituerit, quam quæ in statu primi Adami principiis naturæ, & fœderi operum consentanea videbatur? 18) Quid Christus phrasi illa abnegationis sui ipsius, vel vitæ propriæ amittendæ intellectum velit? an perversâ modo philavtia, aut an instinctus primis naturæ

principiis sive inclinationibus convenientes intelligendi sint? 19) An in viâ ad imaginem Dei per Christum recuperandam nulla omnino principia naturæ extra Christum adhiberi debeant, quæ normam dijudicandi boni & mali, melioris & optimi suppeditent? 20) Quid sit lex? & cur scriptura vocabulo legis naturæ abstineat? 21) Quænam fuerit illa Adami præcellentia, quâ rebus nomina, naturam illarum exprimentia, seu ut Hippocratis vocabulo utamur, νομοθετήματα indidit? 22) Quid lingua conferat ad intelligentiam? an potius ex interna rerum indole, quam ex arbitrio hominum orta sit? quatenus Adam linguam naturæ calluerit? annon soli Christo prærogativa illa comperat, ut per mortem & resurrectionem suam perfectionem linguarum in regno suo demum introducat? 23) Annon Theosophus Mysticus, qui in contemplatione sua res vel verissimas divinissimasque spiritu contuetur, expressionibus demum suis illas possit dubias facere atque incertas, nisi Linguæ Dei œconomicæ adsuescat? 24) Nonne Apostoli divinam Inspirationis Auctoritatem eo confirmaverint, quod unctis atque sanctificatis œconomiæ & regni Dei vocibus

usi

nsi fuerint; & ceteroquin id, quod ad ipsorum tempora cognitionisque mensuram non pertinebat, intactum reliquerint? 2 *Cor.* 12, 2. 25) Cur s. scriptura ab argumentis & conclusionibus tantopere abstrahat, quæ ab essentia animæ, aliisque profundis de natura ideis desumtæ sint, licet aliàs plura ex sublimitate & profunditate petat? eccur e contrario sensum communem plerumque præsupponat? in mysteriis autem loquelam divinæ œconomiæ usurpare satis habeat? 26) Quantum ex una parte emolumenti, ex altera vero detrimenti habeat, si quivis de rebus conversionem & ædificationem aliorum concernentibus loquatur vocibus vel mundo, vel suæ ipsius experientiæ familiaribus, sine prævia ὑπακοῆς τῆς πίςεως exercitatione? 27) Quid inferat, si quis ex s. scriptura verba vel phrases usurpet, quibus nondum intellectis sua tamen sensa exponat? & annon id prophetis sæpe in usu fuerit? 28) Cur hoc primo sciendum sit, quod nulla prophetia sit ἰδίας ἐπιλύσεως? 29) Qua ratione duplicis generis homines ad legendas scripturas obligati sint, nimirum & nondum, & jam conversi, ad exemplum Gazophylacis, *Act.* 8. licet illi tardius eas intelligant?

30)

30) Quomodo Evangelium nondum conversis littera occidens sit, neque tamen non inserviat illis ad veram illuminationem præparandis? quî fiat, ut quis legi per legem moriatur? 31) Quomodo spiritus & verbum sint distincta? quomodo conjuncta? an spiritus per verbum, an vero verbum per spiritum operetur? an spiritus verbum scriptum tollat? 32) An Jesus in spiritu, unica summa & viva lex vocandus sit? quia legem post lapsum ortam, quæ tantum iram operatur, abrogaverit, idem contra ipse, uti victima & sacerdos, ita sit quoque lex & legislator & Dominus, justitia nostra? 33) An Jesus formam tantum veteris testamenti abrogaverit, aut an obligationem quoque ad decem præcepta sustulerit, cum ipsemet summum verbum, & verbum Dei sit? 34) An homo interior nulli legi subsit? an lex veteris tantum hominis causa, haud vero, nec in primis, propter sanctitatem Dei præsto sit? 35) Cur nos, cum sub gratia simus, tamen sine lege & officiis esse nequeamus? 36) An lex Christi tantum legem naturæ dictam, non vero Mosis legem stabiliat? 37) Quam infinita sit amplitudo legis regni Christi, respectu æstimationis peccati & justi-

tiæ,

tiæ, & respectu præmiorum ac pœnarum? 38) Quomodo Evangelium nihil modo legali postulet, cum tamen novum fœdus melioribus promissionibus legis ad instar stabilitum sit? 39) Num dici possit, leges regni Christi mera esse privilegia? 40) Quodnam sit discrimen, si quis Legem & Evangelium separatim doceat? vel si quis Legem in Evangelio, atque Evangelium in Lege proponat? 41) Cur Apostoli, Evangelium annunciantes, illud præconium regni vocitent? 42) An Evangelium merum de regno præconium, neque lex sit? 43) Quousque liceat condescensu, quem vocant, quodam uti Evangelium annunciantibus? quemadmodum, exempli causa, Paulus, qui *Act.* 17. nomen Jesu reticuit? 44) Cur mysticis inter Romano-Catholicos ignoscendum sit, quod de anima tantum & de unione cum Deo, neque de regno Christi locuti fuerint? 45) Quomodo præconium de regno Christi solum satisfaciat animæ & conscientiæ hominum? 46) Quantum interfit, Jesum ita docere, quemadmodum in Apocalypsi repræsentatus est, non ut hostia tantum, sed etiam ut sacerdos & rex, cui omnis potestas tradita est? 47) Quomodo triga angelorum

rum in Apocalypsi æternum Evangelium sensim sensimque clarius annunciaverit? & quomodo nos trium illorum præconum argumentum firmiter teneamus? 48) Quid ad Theologiam quandam simplicem facilemque requiratur, quæ ab omnibus vocibus polemicis alienata sit, quæque sanum sensum communem & mysteria una contineat? 49) Cur ad Theologiam talem tantopere intersit, divisiones reales ex S. scriptura eruere, qualis est divisio facultatum animæ in cor & intelligentiam, καρδιαν & νοηματα? Et cur tot divisionibus scriptura scateat, cum paucissimas definitiones det? 50) Quid divisio illa: diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota intensitate tua; momenti habeat? & cur Jesus Christus interseruerit; ex tota intelligentia tua? & cur S. scriptura *Eph.* 2, 3. voluntates, θελήματα carnis & διανοιῶν, non voluntatem, innuat? 51) Quanti intersit in legendo Gnonome S. R. D. Bengelii ad indicia talium divisionum attendere? & cur eruditi ad talia eruenda tam sint difficiles & morosi? 52) Cur divisionum receptarum, quales sunt facultatum animæ, in intellectum & voluntatem, legis, in naturalem & positivam, regni,

in

in potentiæ, gratiæ & gloriæ regnum, mortis, in temporalem & æternam, nulla in ſ. ſcripturis inſint veſtigia? & quousque procedat vis normativa ſcripturæ, quæ nos obligat ad diviſiones reales, adæquatas, fœcundas? 53) Cur Theologi diviſiones extantiſſimas ſcripturæ: de Deo, ut Ælohim & Jehova, de homine, ut pſychico & pnevmatico, illo εκ των κατω, hoc εκ των ανω: de adminiſtratione verbi, qua literæ & qua ſpiritus, de peccatis ad mortem & non ad mortem, de officio Chriſti ſacerdotali & regio, de morte prima & ſecunda, non æterna, haud receperint in ſyſtemata ſua? 54) An in loco de Creatione & Providentia vox concurrere bene adhibeatur? an termini ſcripturarii, φέρειν, portare, ſuſtentare, *Ebr.* 1, 3. εργαζεσθαι, *Joh.* 5, 17. διοικειν, *Sap.* 9, 1. non ſint multo efficaciores? 55) An vox omnimodæ determinationes rebus ſpiritualibus conveniat? an, ſi dicatur, Deum ad ſingulas creaturarum actiones omnimode determinatas i. e. individuales concurrere, non qua individuales, hoc non idem ſit, ac dicere, Deum non concurrere, niſi univerſaliter? 56) Annon injurium ſit in providentiam, ſyſtema rerum ita concipere, quaſi Deus a rerum natura determi-

terminetur? Annon ſcriptura & tota natura potius clamet, Deum tum leges naturæ, tum res ipſas ita determinare, ut nec reſiſtentiis nec nexui rerum operatio ejus ſubſit. 57) Annon ſyſtema Domini de Maupertuis de principio minimæ quantitatis actionis in natura, tum pro demonſtranda Dei exſiſtentia, tum pro ſcripturario naturæ conceptu, ſit millies præferendum ſyſtemati Leibnitiano, quod independentiſmum aliquem creaturæ a Deo infert, ut in ipſius Eſſai de Cosmologie legi poteſt? & annon eo ipſo pateat, gratiam in quantitate actionis maxima poſitam (κράτος τῆς δόξης, *Eph.* 3, 16.) talibus non ſubeſſe limitibus, ut naturam. 58) Quum Dominus de Maupertuis recte aſſerat, principium Carteſii mundum ſubtrahere imperio divinitatis, & ſtatuere, quæcunque mutatio contingat in mundo, conſervari eandem motus quantitatem, cujus contrarium experientia probat: Principium Leibnitii de conſervatione ejusdem quantitatis virium motricium videri poſſe adhuc plus mundum in ſpeciem independentiæ redigere; quæcunque enim mutationes contingere poſſent, quantitatem abſolutam virium ſeſe conſervaturam eſſe, & poſſe ſemper

per reproducere eosdem effectus; Annon ex sexcentis scripturæ locis pateat, Dei providentiam ex Leibnitii sententia, scripturariis ideis indignè defigurari? 59) Cum igitur natura in minimo, gratia in maximo, natura in subjectione, gratia in superioritate, natura in lege, gratia in libertate consistat, jure maximo quæritur, quantum interfit ad Theologiam veram, momentum, tò psychicum & tò physicum ex scripturæ ideis rite determinare; psychicum, quatenus opponitur spirituali, physicum, quatenus opponitur supranaturali? Annon igitur psychicum, quatenus adhuc legibus est solutum, pertineat ad vires omnipotentiæ chaoticas? quatenus vero Deus eas a se ipso distinxit, & legibus subjecit, & cum aliis viribus superioris ordinis coadunavit, eatenus ψυχικον appelletur, & vires coordinatæ sensu eminenti dicantur vita, ut *Genes.* 2. Næphæsch chajah. 60) Annon Physicum, ut opponitur supranaturali, respectum habeat ad atomos molis? annon φυσις eapropter dicatur natura vegetativa, quia atomus molis certa vi, per legem Dei circumscriptâ, actuetur una cum aliis atomis communi vegetatione? & annon supranaturale tum futurum sit

omne id, quod his legibus non est circumscriptum? 61) An non totum systema Leibnitianum coram verbo Dei contremiscat, si una differentia tantopere in verbo Dei notata nempe viventis psychici & viventis pnevmatici consideretur? quid continget olim, quand la farce sera joüée, prout Leibnitius ultimo suo verbo dixit, si rev. lata videbunt omnia, propagatoribus horum commentorum? Unus sane obtutus scripturariis conceptibus adeo contrarius anxietatem injiciet incredibilem, nisi Sospitator ipsos ex abysso naturæ eripiat. Scio quid loquar: dicitur, *1 Cor.* 15, 44. seminatur corpus Psychicum & resurgit corpus pnevmaticum, & ut momentum rei agnoscatur, addit Paulus: est corpus Psychicum h. e. a vitalitate naturali prædominanter animatum, & est corpus pnevmaticum, a vitalitate spirituali prædominanter animatum. Pnevmaticum vero non debuit esse primum, sed Psychicum, postea Pnevmaticum. Potest itaque Psychicum & Pnevmaticum atomis molis inseri & cum illis unum quoddam constituere. Soli, qui sunt Psychici, his reclamant & murmurant, *Joh.* 8, 23. *c.* 6, 41. Quis enim hoc refutabit? hic murus aheneus esto. 62) An igitur

igitur his expensis, non ea Philosophia, si quidem aliquam adsciscere fas est, Theologiæ sit committenda, quæ mundum in primis principiis adeo facit subjectum liberæ Dei dispositioni, ut natura & gratia genuinis inde limitibus dignoscatur. Si leges motus in vegetabilibus, animalibus & mineralibus ita ex uno principio deducuntur, ut in regno Naturæ quantitas actionis sit minimum possibile, tum certe natura, quantumcunque mensuris inclusa, satis distinguitur a gratia, cui tum in quantitate actionis maximum possibile supereſt. Natura sic semper eget vi superiore & integrante. Naturale Psychicum sic erit id, quod sine integrativo sui non est perfectum. Naturale Physicum erit id, quod sine vi superiori non potest in ordine subsistere. Illud magis in immaterialibus, hoc magis in materialibus locum habere potest. Utrumque naturale semper minimum, utrumque supernaturale semper maximum referet. Sic imago Dei concipi potest homini fuisse naturalis utroque sensu, scilicet, cum natura in mera subjectione consistat, in egentia plenitudinis roboris divini, sensorium divinum sensorio naturali ita coadunatum fuit, perpetua lege assistentiæ divinæ,

ut quamprimum naturale se subtraxit sensorio divino, statim in tenebras incideret, quousque vero το naturale subjectum fuit divino, το naturale lucem accepit jugiter a supranaturali. Itaque ipsa imago Dei constitit in hac coordinatione naturalis & spiritualis, Physici & supranaturalis. Et quoniam hoc vegetativo propagationis ordine fuit stabilitum; igitur homini naturalis fuit. Per hoc omnis lis pelagiana finitur. Spiritus Macario est peregrina propriæ naturæ vis, igitur Psychicon pertinet ad propriam naturam, ad illa ἐκ τῶν κάτω, spirituale autem naturæ non proprium, est ἐκ τῶν ἄνω, *Joh.* 8, 23. & tamen tam contraria in uno subjecto colligare, Deo placet. Sic natura & gratia limites habent suos. Sic Theologia facilis fit conceptu, parvulis arridens, monopolio Philosophorum erepta. Sic terminis multis de substantiis, accidentibus, modis, concursu, præcursu, non adeo habemus opus, possemus illos ad paucitatem redigere, quoniam clarum est, illos terminos sufficere, quos scriptura, ex ratione summa dedit, & quibus veritatem quam proxime ad vivum delineavit. Supersunt quæstiones aliquæ, ab amico propter præfationem motæ, ad

quas

quas sufficienter respondere, visum est ex re libelli hujus integri futurum.

Q. 1. *An hæ notiones Theologicæ cum Thealogia Breithauptiana conveniunt?* R. Nullum melius compendium datur Breithauptiano. Vir optimus & sinceriſſimus, perque crucem renovationis edoctus D. Breithaupt, non erubuit Arndii vestigiis insistere, quum plerique laudent Arndium & algeant; Aliquos dicere audio, Breithauptium nullas dare notiones, sed formulas biblicas tantum in compendium transscribere suum, at hi, quum notiones substituant minus spiritualiter affectas, desiderant aliquid, quod quid sit, nescire volunt ipsi, imo cum ignariſſimis ignorare. Ego, crucem nil reformidans in hac γενεᾷ, & præoptans ignominiam pati quam peccare contra lucem, *Hiob* 36, 21. cum notiones has clare & perspicue suggeram, eas, certus sum, convenire cum Arndianis & Breithauptianis. Nonne Breithauptius ex imagine Dei deducit Theses suas? Nonne ego ex vita Dei? Nonne Paulus ex vita Dei scripsit Epistolam ad Romanos? cur quæso scripsit *Rom.* 3, 23. Omnes peccarunt & orbantur της δοξης gloria h. e. imagine & vita Dei, *Rom.* 6, 4. 5, 2? dices: non propterea Pauli epistola,

more geometrico, procedit ex vita Dei. Reſpondeo: verum eſt, magis procedit ex juſtitia Dei, *Rom.* 1, 17. ſed dicitur cum ſumma emphaſi: juſtitia Dei, objective, non juſtitia, quæ coram Deo valet, ſubjective. At hæc juſtitia eſt reſplendeſcentia attributorum Dei ex fonte bonitatis, vid. p. 46. quam definitionem alte clamant Propheræ *Jeſ.* 54, 14. 17. 51, 6-8. Hæc juſtitia comprehendit vitam & δοξαν Θεϰ. Interim Paulus δοξαν Θεϰ, poſt juſtitiam Dei peculiariter nominans, habuit rationes cur, etſi ultimato tota Epiſtola procedat ut *2 Cor.* 3. 9. 4, 6. ex fulgore vitæ, ex δοξη, tamen juſtitiam methodo generativa præmiſerit, propter reſpectum ad legem. Ecce igitur quam prægnans ſit notio δοξης imaginis Dei & vitæ apud Breithauptium, quam una cum Pauli idea, quam eadem cum mea. Evolve quæſo in Schmidii concordantia vocem δοξα, & vide an non totum novum teſtamentum eo ſe referat. Clauſtrum vero januæ ut ut primum clave opus habeat, tamen januâ reſeratâ peſſuloque firmatâ clave non ſemper opus habet. Q. 2. *Quænam ſunt notiones præcipuæ, capita & theſes Breithauptii pervadentes?* Certe notiones illæ ſunt in omnium ore, ſunt in communiſſimis

mis

mis libellis catecheticis. Quis enim nescit superiorum & inferiorum, *Joh.* 8, 23. veritatis & mendacii, *v.* 44. Dei & Diaboli, Christi & Antichristi, spiritus s. & spiritus mundi, discrimina? Quis nescit, operis fidei & operis operati, indolis spiritualis & carnalis, naturalis & supranaturalis, cœli & orci differentias? sed alia est cognitio horum spiritualis, alia literalis. Iterumque alia fœcunde literalis, alia jejune literalis. Errores quoque dantur in asymmetria propositionum verarum & syllogismorum materialiter & formaliter bonorum. Errores contra sensum communem, quales vidit Phormio, de quibus alio loco. Audiunt hos aulici, audiunt quandoque plebeji, maxime vero spirituales. Hinc D. Breithaupt ante omnia id agit, ut agnitionem veritatis secundum pietatis indolem tradat. *Tit.* 1, 1. oppositam cognitioni pseudonymo, *1 Tim.* 6, 20. concinnæ non veræ, coloratæ non vivæ, affabrefactæ non geneticæ. Impii fugiunt veras notiones, & si arripiant illas, exsuccas faciunt. Hinc ad admonitiones Paulinas ad Timoth. & Titum sexeriſſime attendendum *1 Tim.* 4, 6-11. 5, 21. 6, 13. 14. 20. *2 Tim.* 4, 1-5. Certe Breithauptius nil magis quam vitam

ſpiritualem urget, cujus privatio radicale initium ipſius mortis animalis ſeu Pſychicæ dicitur. Libr. 1. *c.* 2. Theſ. 4. qu. 3. Omnes itaque notiones vita ſpirituali ſunt affectæ, eædem notiones, eædem phraſes apud alios non ita ſunt affectæ, quia non ſuccrevere in agro ſpiritualiter culto, non ſunt communione mortis & reſurrectionis Chriſti perfuſæ, hinc fragrantia odoris illius carent, etſi ſint quoad figuram ſimiles Breithauptianis & Arndianis. Habent Breithauptianæ odorem fermentalem, aſſimilatorium ſui, inviſibilem. Is vero in compendiis aliis parce admodum ſpirat. Referunt ſe Breithauptianæ ad aliquid ἄρρητον, per prudentiam viri tempori debitam magis ſpirabile quam viſibile. Eandem ſagacitatem adhibuit D. Bengelius, diſcipulus de temporibus. In meis notionibus viſibile eſt aliquatenus, quod in illis eſt ſpirabile; ſed illud ſpirabile multum ipſe deſidero in meis. Si quis tamen vitam habet in ſe, illi meæ notiones non erunt peregrinæ, fragrantius olentes in frigido quam in calido. Diſcipuli beatiſſimi Præſulis Bengelii vident, cur in Epiſtola ad Romanos nulla mentio ſpirituum malignorum, vident, cur ſit largiſſima in Epiſtola ad Epheſios. Videant in

Breit-

Breithauptii Theſibus ſimile quid politæ ad Romanos epiſtolæ, videant ſimile quid utut exiliter Epiſtolæ ad Epheſios in hoc Libello. Optimum eſt videre & odorari ſimul in timore Domini. *Eccleſ.* 8,5. *Prov.* 20,12. *Jeſ.* 11,2. Optima vero exercitatio in his ideis vita perfuſis, eaque facillima eſt in Proverbiis Salomonis; ibi innumera per reſpectus mutuos dicuntur, nonniſi eis qui vitæ veras ideas experti ſunt, recludendos. Videant ſtatim *cap.* 2,1-7. quam magnifica promittantur. Q. 3. *An hæ notiones ſyſtema ſcripturarium ſupponunt?* R. Quid ni? ſupponunt & ſupponuntur: nam vita eſt nexus ſyſtematis ſcripturarii, igitur hæ notiones ſupponuntur in ſcripturis, undequaque emicantes. Vita eſt prima & ultima idea, principium & finis: igitur ſupponit ſyſtema ſcripturarium. In ſyſtemate autem ſcripturario ut in Hippocrateo, finis eſt principium & principium eſt finis. Vide Hippocratem de locis. ξυῤῥοια μια ξυμπνοια μια. Confluxio una, conſpiratio una. Si cui hæc videntur hypochondriaca, conſulat Hippocratem. Sed ſufficit ſcriptura ſ. Adhibendi vero omnes ſenſus ſpirituales ad videndum, non επιγνωσις tantum, ſed & αισθησις, eaque omnis

Phil. 1, 9. si non potes omnem, adhibe, quantum satis est. Ora cum *Ps.* 119, 66. bonitatem gustus doce me. David dixit: gustate ut videatis *Ps.* 34, 9. Q. 4. *Sed quomodo jam per has de vita ideas redintegrantur illæ Breithauptianæ?* Dixi eas redintegrari, quia multi oblitterarunt eas. Lege p. 61. in libello meo, lege Breithauptii practicas Theses, & vide, an non quod Breithauptius consultum haud duxit eloqui, dixerim ego. Venit generatio, abit generatio, tempus est silendi, tempus est loquendi. Vixit Bengelius, multis præferendus Leibnitiis. Jam properat veritas in apricum, *Luc.* 12, 1. 2. 3. Dixi aperte quo collimavit Breithauptius occulte. Q. 5. *Sed cujus usus erit, si notiones illæ in has de vita resolutæ, teneantur?* Audi Breith. Thes. cred. L. 1. c. 1. Thes. 4. q. 3. Irritum est initium gratiæ, nisi ipso exercitio confirmetur. Ideæ nil juvant solæ. Orandum, pulsandum, iteranda renovatio, & tum post accuratum ordinatumque scrutinium, τὸ multiplum νοος possidebitur in uno spiritus. Nemo sapiens fit, qui in cortice denominationum hæret, neque videt, quam multa verba recidant in unum spiritus sensum. Stilus referet spiritum. Ex ventre credentis proruent

ruent fluenta viventis aquæ. Epictetus ait: ovis gramine saginata non gramen sed lanam reddat. Idem dicit Salomo *Prov.* 22, 18. Una est utriusque sententia. Jam his perpensis confer stilum Bengelii & Wolffianorum; subductis differentiis animadvertes, cujus usus sit futurum, si notiones has oleo non aqua descriptas impressasque tenueris; in cognoscendo se ipsum, in formando stilo, in interpretanda s. scriptura, in docendo & persuadendo, in distinguenda litera & spiritu, brevibus: in præstando λογω υγιει, ακαταγνωςω *Tit.* 1, 6. partheſias non affectatæ pleno. Dummodo sanum sermonem, a terminis peregrinis purgatum, & spiritualiter affectum, in docendo præstes, tum prophetiæ opus perfecisti, fecisti, adeo laudatum a Paulo, *1 Cor.* 14. Et Jacobus dicit, si quis in sermone non impingit, ille perfectus vir est, totum corpus refrænare potes. A verbis, non a mundano spiritu & tropo purgatis, omne malum in Theologiam dimanat. Non potest thesibus exhauriri Theologia vere spiritualis, alioquin dedisset nobis Deus talem normam loco Epistolarum Apostolicarum. Interim juvat tamen υποτυπωσις aliqua. Redegi Theologiam in sex locos, sed deberent

rent in quolibet loco innecti singuli iterum loci, quemadmodum ζωα in ζωοις Ezechieliticis; rotæ in rotis. Fac periculum, redige in Theses Theologiam Apostolicam, & videbis te ne centesimam quidem partem dixisse, pro mensura cognitionis Apostolicæ. Breithauptii virtus hæc est, ut Theoreticis præmittat practica, & sic invitet suos ad cognoscendum mysterium Dei & Patris & Christi, sub Spiritus S. in omnem veritatem ductu. Solus προφητεύων in fluxu spiritus potest pro certis circumstantiis theses νοι includere & dein perpolire. Alioquin multis in causâ gratiæ vitæ & conversionis idem evenit, quod apud Ciceronem, belli dux quidam, Phormionem audiens scholastice de bello differentem, edixit: multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem.

SYNO-

SYNOPSIS THEOLOGIÆ BREITHAUPTIANÆ EX THESIBUS CREDENDORUM ET AGENDORUM.

PARS PRIMA.

I. DE OBJECTO THEOLOGIÆ DEO EJUSQUE VERA COGNITIONE.

Quicunque fuit creationis hominum finis, idem ipse est restitutionis per Christum factæ, inchoatæ proximus, consummatæ ultimus. Jam vero communicatio vitæ & imaginis Dei fuit finis Creationis; igitur & restitutionis. Finis intermedius ad vitam communicandam fides est, sed non tantum quatenus justificat sed & quatenus sanctificat. Et quemadmodum fidem cum vita non confudit Johannes, nec cum salute Paulus, *Joh.* 20, 31. *2 Tim.* 3, 15. sic nec nos; docemus enim fidem ducere ad salutem & vitam. Fides est ex Evangelio, & hoc est Evangelium της δοξης *1 Tim.* 1, 11. quod ad δοξαν vitam & incorruptibilitatem ducit; Hinc eis, qui gloriam, honorem & incorruptibilitatem quærunt, vita erit præmium, *Rom.* 2, 7. & eis qui Jesum in αφθαρσια amant, erit gratia. *Ephes.* 6, 24. Ex

Præfat.

Præfat. ad Theſes. Quum Evangelium dicatur Evangelium της δοξης, *1 Tim.* 1, 11. & Spiritus S. Spiritus της δοξης, *1 Petr.* 4, 14. δοξα vero apud Paulum pro vita & imagine Dei ſumatur, *Rom.* 3, 23. 5, 2. 6, 4. ſalus quoque magnifica habeat prædicata cum αιωνίω δοξη conjuncta, *1 Petr.* 1, 4. 5-10. *2 Tim.* 2, 10. ſequitur, Theologiam non aliter eſſe hominibus ſalutarem quam quoad hæc ſpirituali ſenſu & experientia agnoſcuntur & exercentur ipſo uſu. L. I. C. I. Th. 4. Cognitionem hiſtoricam intra hominem ſenſu ſpiritus non eſſe veram, neque Cognitionem Theologicam apud impios aut hypocritas eſſe veram. *2 Cor.* 4, 3. 4. *1 Sam.* 2, 12. *1 Cor.* 8, 2. 3. 15, 34. *1 Joh.* 2, 3. 4. *Matth.* 22, 29. *1 Cor.* 2, 14. 15. *Col.* 2, 8. Ipſam imaginem Dei inſtaurandam fundari in communione crucis Chriſti inſtaurandæ, quam niſi quis omni ignominia obnoxiam totus dilexerit, non Chriſti & Apoſtolorum ſed Pſevdapoſtolorum aſſeclam eſſe. *1 Cor.* 4, 8. 9. *Gal.* 1, 10. 6, 12. *Phil.* 3, 18. 19. Igitur Theologiæ primum momentum eſt in vera & experimentali cognitione: alterum eſt in moribus, erga Deum & homines, non tam externis quam internis, utpote quos ſpirituales intendit fides & efficit.

efficit. *1 Tim.* 1, 5. *2 Tim.* 1, 13. Sic instauratur imago Dei; sic conservatur & augetur, per renovationem mentis quotidianam, in imitatione Christi.

II. DE IMAGINE DEI.

Homo conditus est ad imaginem triunius Dei. *Gen.* 1, 26. Imago sita fuit in eo, quod vires vitæ spiritualis inerant in homine, quibus & animæ & cordis & mentis facultates omnes adhærerent Deo. Posita fuit in justitia & sanctitate ipsius veritatis, *Col.* 3, 10. quatenus hæc opponitur errori, cupiditatum scaturigini. *Eph.* 4, 24. Fideles per medium speculi cujusdam spiritualis in verbo gloriam seu splendorem vitæ Domini retecta facie videndum intuentur atque in eandem imaginem ab ipso spiritu transformantur (in abscondito *Col.* 3, 3.) ex gloria in gloriam. *2 Cor.* 3, 18. In hac igitur participatione gloriæ & vitæ Dei primario sita fuit imago Dei, secundario in perfectionibus vitæ animalis cum immortalitate & dominio. Hujus gloriæ privatio ipsa mors fuit spiritualis, mortisque animalis initium. Vita animalis tempore non prior extitit, nam cum ante inspirationem spiraculi, Adam nil fuerit nisi pulvis, sequitur inspiratio-

nem

nem utramque vitam tum animalem tum ſpiritualem attuliſſe. Filius Dei, æterna Patris imago, amiſſam imaginem reſtituit in aſſumta humanitate, eandemque mediante carnis ſuæ ſpiritu vivifico in hominibus inſtaurat. Ex plenitudine ipſius accepimus gratiam pro gratia, gratiam nempe & veritatem. *Joh.* 1, 16. 17. Longe perfectior in altero Adamo, quam in primo fuit imago Dei, quæ redundantia gratiæ & doni juſtitiæ demonſtratur. *Rom.* 5, 14. Hanc gratiam & veritatem ut nos recipere poſſemus, *Rom.* 5, 17. idem Chriſtus promeruit in exinanitionis & exaltationis ſtatu, ſimul commonſtrans viam, qua nos intuentes in ipſius imaginem transformari oporteat. Chriſtus ſecundum utramque naturam mediator, reconciliavit nos Deo atque etiam ſanctificat, quemadmodum autem humana natura ad redimendam imaginem Dei exinanita & exaltata eſt, ſic etiam confertur nobis natura divina ſeu hujus imago h. e. ſpiritualis vita in nobis inſtauratur mediante illa, ut edamus carnem & bibamus ſanguinem Chriſti, *Joh.* 6, 53. quæ verba intelligenda ſunt de ſpiritu Chriſti vivificante, *V.* 63. ita vero ſi Chriſtus in homine vivit tum demum hic intueri ve-

re

re potest in imaginem ipsius & in ejusdem virtutes transformari. Est autem inter imaginem Dei in hac & futura vita non nisi gradualis differentia, quoad essentialia; nam imago Dei etiam post lapsum est lux spiritualis, qua homo ad sanctitatem & justitiam renovatur. In vita æterna eadem est lux spiritualis. In hac vero vita imago Divina inhæsiva est necessaria vitam æternam consecuturis, non necessitate causæ meritoriæ, sed ordinis & conditionis subjecti. Sequitur hinc, officium christianorum esse, ut recipiant in se unctionem Spir. s. & sic imago Dei instauratur. Virtus fidei constans sit circa res omnes, ut influxus radiorum gloriæ, quem fides accipit, haud impediatur. Nam ex recepta hac luce fit, ut lucem videamus in omnibus rebus; ea deficiente defectus officiorum, ea cessante peccatum & lapsus oritur *2 Cor.* 3. 18. 4, 6. *Ps.* 36, 10. *2 Cor.* 4, 4. *Luc.* 11, 34. 35. Ex Thes. L. I. c. II.

III. DE PECCATO.

Lapsus originalis intra animum factus, ita describitur, *2 Cor.* 2, 2. 3. Serpens Evam seduxit panurgia sua, ut νοήματα corrumperentur, a simplicitate detorta. Sic veritate expulsa, dubi-

tando, renitendo emergebat mendacium, error, *Gen.* 3, 6. *Eph.* 4, 22. 24. cujus pater est diabolus, ex propriis loquens *Joh.* 8. Homines mali, spiritualis veneni indole affecti, dicuntur ideo progenies viperarum & serpentes *Matth.* 3, 7. 32, 33. peccatum ipsum dicitur venenum aspidum. Tentatio hostium spiritualium non potest complere effectum, nisi hominem ad consensum voluntatis trahet per tentationum gradus varios. Hostium nocentissimus est caro, quæ est propria voluntatis affectæ propensio, qua semet ipsum decipit. *Gal.* 6, 3. itaque verum conversionis initium incipit per hoc, ut se quis suspectum & indignatione dignum habeat ipse, seque ipsum abneget. In peccato generaliter distinguenda sunt 1) formale 2) materiale 3) consequens seu reatus. In peccato Originali speciatim considerato formale est defectus vitæ; materiale prava concupiscentia; consequens, ira Dei, potestas diaboli, tenebræ. Peccatum originale quoad reatum in regeneratione tollitur per fidem, concupiscentia mortificatur per spiritum, ne dominetur defectu virium spiritualium. Peccatum est imago satanæ, quæ intime cognoscenda est tum secundum legem, tum secundum Evangelium.

gelium. Agnoscendus est status securitatis, ubi homo sine lege vivit, agnoscendus est status servitutis, ubi homo sub lege detinetur anxius. In utroque statu conscientiæ radii directi per prætextus & obdurationem, ex asyllogistia, tota symmetria a vero aberrante, contractam, offuscantur & insensibiles fiunt, die judicii redituri. Conscientia seu sensus internus veri & recti, residuus ex statu primævo per φιλαυτιαν, jam corruptus est. Naturales vires facultatum nil possunt in spiritualibus sine luce Dei, prosunt tamen in rebus naturalibus, moralibus, civilibus, inque ipsis pædagogice spiritualibus, ut possint agere vel non, hoc vel illo modo. Arbitrium ante conversionem non est liberum a servitute peccati; liberatur ipsa conversione, liberatum ex collatis novæ vitæ viribus libere operatur & cooperatur bona. Lib. I, II.

IV. DE GRATIA.

Gratia denotat operationem, qua Deus per redemtionem Christi peccata remittit & hominem sanctificat, *Eph.* 1, 7. 8. Præsupponit favorem Dei gratuitum *Luc.* 1, 30. Antequam Deus peccata remittere potest, vires credendi offert, vocat, illuminat, regenerat,

convertit, ad pœnitentiam movet, qui actus sunt gratiæ sanctificantis. Vocat Deus ad imaginem in se restaurandam omnes: Quæ præveniendo, præparando, operando, cooperando stabiliendoque agit secundum legem: habenti dabitur *Luc.* 8, 18. Vocat per œconomiam universalem & individualem. Vocat per legem, promissiones Evangelicas & per afflictiones, vocatione resistibili; *Matth.* 22, 3. *Jes.* 40, 3; nam quia vocati neque terminum a quo *Ezech.* 16, 5. 6. nec ad quem digne considerant, inde negligunt & resistunt. Gratia motus suos per gradus exerit, externe & interne, pædagogice & spiritualiter, per infinita providentiæ media, perque pulsus tractusque Dei innumeros, haud investigabiles creaturæ. Prævenit Deus homines generaliter & specialiter. Specialiter per sensum hortationis ex verbo & sic gratia hæc est primus gradus. Gratia præparans motus & impressiones priores ad scopum præparat, ut repugnantia minuatur in lucta carnis & spiritus. Excutitur, ut a Felice *Act.* 24, 25. vel adhibetur, ut a Paulo, Lydia. Gratia operans tractionem Patris completam efficit *Joh.* 6, 44. ex fide victoriam mundi efficit, *1 Joh.* 5, 4. ut homo sit vere liber, non glo-

glorians nisi in domino. Gratia cooperans & stabiliens potentiam Christi in infirmitate perficit, efficiendo, ut gratia sufficiat fidelibus, *2 Cor.* 12,9. testimonio perhibito, interpellatione Spiritus juvando, *Rom.* 8, 13-16. 26. *1 Petr.* 1, 5. 5, 10. Ex naturali illuminatione fieri potest spiritualis & contra. *Marc.* 12, 34. Spiritualis illuminationis vires proveniunt ex lege terrentes & occidentes, ex Evangelio salutares & vivificæ, ita ut illuminationis initium fiat ab arrogantia propria detestanda. Verbum Dei est omnino medium illuminationis ordinarium, neque est aliud quidquam, quam communicatio divinæ & veritatis & virtutis: non illud vero alligatum est tantum auditionis, lectionis aut meditationis actibus, sed quando est insitum, semper est potens, servare animas, semen incorruptibile, per quod spiritus sanctus operatur, sicut vult. Regeneratio reipsa non differt ab illuminatione, nisi quod illa cor, hæc intellectum magis respiciat, consistens in supranaturali cordis immutatione ex viribus collatis & moriendi peccato & vitam spiritualem recipiendi ex communione mortis & resurrectionis Christi per Evangelium; neque conversio & pœnitentia a regeneratione

nisi respectibus differt. Ut collatio vitæ spiritualis est fructus redemtionis Christi, sic & remissio peccatorum, neque ipsa sanctificatio a remissione differt, nisi respectu positivi & privativi. Doctrinæ de justif. fundamenta sunt promissio & satisfactio, quam in judicio divino apprehendit pœnitens, cui Deus in Christo sic recepto non imputat peccata, sed justitiam filii, unaque spiritum ipsi confert. Justificationis in tempore & electionis ab æterno rationes sunt eædem. Fructus gratiæ miserantis & sanctificantis est libertas spiritualis, quâ mens se vindicatam sentit a morte, peccato & lege: Libertatem sequitur obsignatio & unio mystica. Justificationem sequitur renovatio, & versatur in conservandis fructibus justificationis. Renovatio est etiam abnegatio seu communionis crucis JEsu Christi reiteratio, ut communio resurrectionis sit tanto certior. Abnegatio sui & mundi est vera spiritus paupertas, omnium virtutum basis. Ex renovatione resulat facultas spiritualiter judicandi de se, aliisque rebus, summum apotolesma regenerationis.

PARS ALTERA, VERE THEORETICA.

V. DE ECCLESIA ET VI. NOVISSIMIS.

Post hæc exercitia communionis statuum Jesu Christi demum mysterium Dei & Christi plene agnosci potest. Tum spirituales conceptus oriuntur de Deo in spiritu & veritate adorando, de attributis Dei, de tribus personis, de creatione, de providentia, de unione Dei & hominis, de cummunicatione idiomatum, de officiis Christi. Sic totum pietatis mysterium id intendit, ut Deus in carne conspicuus reddatur. Christus in scripturis non tantum sumitur secundum personalem unionem, sed & mysticam, h. e. ita ut, quod individualiter impletum est in ipso, tribuatur ipsi quoque in corpore mystico. Sic agnita sacræ scripturæ attributa, sic agnita sacramentorum efficacia tum initiationis tum confirmationis, fundamentum præbet vero Dei cultui. Unde vera Ecclesiæ constitutio, cui Ecclesiæ imminent noviſſima, cum ἀποκαραδοκια expectanda piis, ut mundo cum tremoribus.

EMPHATICÆ LOCUTIONES DE VITA.

Deus est vita, quia λογος *est* λογος της ζωης *1 Joh. 1, 1. Joh. 1, 1-5.* Θεος της δοξης *Act. 7, 2. pater splendoris vitæ, Eph. 1, 17. quem habuit filius apud patrem, ante quam mundus fuit. Joh. 17, 5. Deus est Lux 1 Joh 1, 5. pater luminum, Jac. 1, 17. lux habitans inaccessa 2 Tim. 6, 16. Lux mirabilis 1 Petr. 2, 9. cujus luce substantiali fruentur beati, non enim egebunt luce solis aut lunæ, sed Jehova Deus illuminabit h. e. lucem dabit super eos Apoc. 22, 5. Gloriæ & fulgori huic immenso tribuuntur attributa roboris & potentiarum, & divitiæ; hinc dicitur Deus potentiarum Sec. LXX. primus ab Hanna nomine hoc Dei Zabaot, post sensum infirmitatis agnitus 1 Sam. 1, 11. Roboris attributum cum* δοξη *nectitur Coloss. 1, 11. Ephes. 6, 10. 3, 16. 2 Thess. 1, 9. Talia attributa rationi videntur ninia, metaphorica, quum fides ea intelligat proprie. Apoc. 5, 12. 13. Sic denominatio septem spirituum rationi tantum non absurda videtur Apoc. 1, 4. 4, 5. Sed, qui spiritum Christi habent, adorant emphases verborum, lætantur stilo curiæ divinæ. Jubilant, quod Jesus eandem gloriam, quem pater*

pater ipsi dedit, dederit illis, ut sint ἕν. Joh. 17. ut sint vocati ad unitatem spiritus Eph. 4, 3. 1 Cor. 6, 17. εἰς περιποιησιν της δοξης *2 Thess. 2, 14. Qui spiritum ejus non habent, etiam Luce vitæ carent Joh. 8, 12. gloriam hæreditatis ignorant 1 Tim. 1, 7. 6, 3. hinc emphases sanorum verborum non attingunt. Fides est initium substantiæ vitæ Hebr. 3, 14. Convictio & persuasio est effectus illius; Et qui illa gaudet, emphases scripturæ sacræ non evacuat, quilibet enim apex verborum Jesu cælo & terra firmior stat, quoniam est spiritus & vita. Joh. 6.*

Sic, Lector Bibliophile, in spiritu renovationis de vitæ primaria idea convincêris, quando Philosophus eris acutus in conferendis Phrasibus spiritus sancti, margaritas illis longe postponens, & lexicon criticum de vocibus præcipuis Nov. Test. mecum volutans. Voces ejusmodi sunt Αβυσσος, *locus chaoticus;* αγιος, *sanctus gloria involutâ internâ;* οσιος, *externâ;* αιδιος, *perennis;* αιωνιος, *occulte periodicus;* αρχη, *principium.* αφθαρσια, *incorruptibilitas substantialis;* βαθος, *profunditas;* βασιλεια, *regnum;* βελημα, *optio;* γεεννα, *infernus;* γενεσις, *generativa constitutio;* διαθηκη, *dispositio ordinis;* δικαιος, *justus; hinc* δικαιωσυνη,

δικαιωμα, δικαιωσις, δοξα, *sanctitas evoluta*; ειλικρινης, *limpidus*; εις, εν, *unum*. εμφυτος, *insitus*; επουρανιος, *cœlestis*; θελημα, *voluntas*; ιερατευμα αγιον, *sacerdotium sanctum*, *regale*; ισοψυχος, *æqualiter sensatus*; καιρος, χρονος, *tempora*; καρδια, *cor*; κλητος, *vocatus*; λιμνη τε πυρος, *lacus ignis*; μαρτυρια, μαρτυριον, *testimonium*, *res testibus probata*; μονογενης, *unigenitus*; νους, πνευμα, *sensus doctrina paratus*, *spiritus accedens*, παιδεια, *informatio per disciplinam*; πιστις, *fides*; Φυσις, *constitutio vegetativa*. χαρις, αληθεια, σωτηρια, *semitæ ad vitam*.

IN-

INDEX.

Adoptio 287.
Analogia fidei 15.
Angeli 355. 372. seqq.
Animæ humanæ propagatio 130.
Antichristus 338.
Articuli fundamentales & minus fundamentales 17.

Baptismus 328.
Beneplacitum Dei quomodo concipiendum 99. quem usum practicum præstet, eo probe imbui 104. eidem subsunt omnes naturæ simplicissimæ 233.

Cœna sacra 330.
Conclusiones theologicæ 19.
Concursus, non est vox biblica 85.
Confessio & absolutio 320.
Conjugium 339.
Conservatio 84.
Conversio differt a regeneratione 261. hominis passivitas in illa 262. errores circa hanc doctrinam 266. speranda Judæorum conversio 432.

Cor.

Cor, ejus notio scripturaria 161.
Creatio, quid sit? 60. cur sextiduo facta, non uno momento? 66. an ex nihilo negativo 50.

Desiderium infiniti, a quo saturetur? 181.
Deus, Ejus definitio 46. cognitio naturalis 24. 44. revelata 31. vita, sen gloria Dei 31. 32. seqq. nomina Dei Ælohim & Jehovah 35. 36. Unitas Dei 37. 225. intellectus 48. voluntas 49. ordo attributorum ejus 50. 51.

Ecclesia 312. seqq. quomodo in ea subministretur vita Dei 317. definitio ejusdem scripturaria 319. de notis ecclesiæ 333. fata ejusdem per tempora 395.
Electio ejusque ordo 115.
Errorum theologicorum fontes 21.
Exinanitionis & exaltationis status in Christo 195. 206. 208.

Fides vocationi divinæ respondens 253.
Fœdus operum 148. 165.
Fœdus gratiæ 152.
Fœdus Sinaiticum Christo fœdus operum 154. Israëlitis fœdus gratiæ 155.

Gratia, oracula pro universalitate ejusdem 93. 94. quomodo cœlum & terra plena sint vestigiis gratiæ 175. quæ vero a vanitate nonnihil obliterantur 177.

Homo, unde cognoscendus & distinguendus 118. præstantia ejusdem præ reliquis creatis 120. constat ex activo & passivo 121. habet vitam augmenti & decrementi capacem 123. 124. dicitur microcosmus 124. maxima differentia inter hominem animalem & spiritualem 125. seqq.

Illuminatio 242.

Imago Dei 131. an sint nobis ejusdem reliquiæ 133.

Immortalitas animæ, quomodo probanda 129.

Incarnatio 204.

Infernus 365.

Judicium extremum 418. æternum 424.

Justitia, obviæ homini notiones de ea 144. varii ejusdem gradus 171.

Justificatio 274. ejus sensus forensis 275.

Lex, ejus origo 146. cur lex mortis & peccati denominetur 149. quomodo fiat lex spiritus vitæ 157. quid a Christo, quid a nobis poscat 219.

Liber-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624/phys_0599
DFG

Libertatis notio eruitur 135. seqq. testimonia theologorum de eadem 137. seqq.
Lux, quæstiones Dei de luce 63. retractio lucis in die novissimo 64.

Mediator, ejus requisita 195. 196. ejus officium sacerdotale-Regium. 198. 199. sqq.
Mors & status post mortem 360. 381. prima & secunda 389. quomodo Christus eam vicerit 391.
Mysteria, quod cuique circa ea incumbat 54.

Naturalia, quomodo in scriptura describantur 76.

Origo mali moralis & physica 71.

Peccatum, obviæ homini notiones de eo 144. originale, quid sit 151. positivum in illo 168. regnum peccati quomodo agnoscendum 157. seqq. peccati Adamitici imputatio 166. pugna contra peccatum, quomodo instituenda 172. sqq. status peccati actualis 174.
Personæ in divinis definitio 56. persona Christi 192.
Pœnitentia 269. pontificiorum sententia de illa 271.

Sacra-

Prædestinatio 89. vanæ hominum de ea cogitationes 91. scripturæ methodus de ea docendi 92. oracula de ea 95. 96.
Præordinatio, quid inferat? 108.
Protevangelium, quid innuat? 186.
Providentia, sensus hominum de ea 68. extendit se super minima 82.

Regeneratio 257. quomodo differat a conversione 255.
Religio 6. ejus norma 6.
Resurrectio, ejus præludia in natura 362. sqq. ejus probatio ex scriptura 405. quid provocet ad adspirandam resurrectionem primam 411. 412. seqq.

Sacramenta, eorum origo 322. numerus binarius duos fidei actus respicit 325.
Salus universalis rerum creatarum 178. quomodo ejusdem spem conceperint homines 179.
Sanctificatio 285.
Satisfactionis Christi necessitas, veritas, universalitas 211. 212.
Scriptura S. ejus attributa, sc. auctoritas 10. 11. efficacia 13. sufficientia & perfectio 14. characteres externi & interni 11. 12.

Sen-

Sensus communis, quomodo elevetur 27. & corrumpatur 28.
Stellæ, conjectura de illis 375.

Telluris nostræ initium 82.
Theologia, quid sit 5. ejus scopus 2. ejus objectum 3.
Theopneustia, ejus varii modi 7.
Trinitatis cognitio, quomodo instituenda 41. ejusdem probatio 57.

Unio mystica 300. seqq.
Unum intendit methodus scripturæ 183. inprimis evangelica 240.
Verbum legaliter tantum perceptum quid efficiat 237.
Vita 29. terminus vitæ cuivis positus 83.
Vita Dei, quo ordine communicetur 185.
Vitam æternam habere, quid inferat 234. sqq.
Vocatio 252.

Errata.

p. 214. l. 21. pro: &, lege: ex.
p. 459. l. 12. pro: sobriæ, lege: sobrie.
p. 461. l 18. pro: differentis, lege: differentia.
p. 461. l. 27. pro: patribus, lege: partibus.
p. 506. l. 21. pro: *hac*, lege: *huc*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1680625624/phys_0602
DFG

E X.

æ hominum de ea co-
pturæ methodus de ea
la de ea 95. 96.
at? 108.
nuat? 186.
ninum de ea 68. ex-
na 82.

modo differat a con-

na 6.
ia in natura 362. sqq.
ptura 405. quid pro-
n resurrectionem pri-
q.

o 322. numerus bi-
us respicit 325.
creatarum 178. quo-
conceperint homines

cessitas, veritas, uni-

l, sc. auctoritas 10. 11.
entia & perfectio 14.
interni 11. 12.

Sen-